BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
8 H F
30

Antonius Annibali

DESCRIPTIONES POETICÆ

Ex Probatioribus Poetis excerptæ

QVAS IN HAC NOVA EDITIONE

VBERIVS LOCVPLETATAS

Publicè vtilitati exponit

P. IO: BAPTISTA GANDVTIUS

SOCIETATIS IESV.

Cum Indice Deſcriptionum omnium vberrimo.

VENETIIS, MDC. XCI.

Apud Nicolaum Pezzana.

Superiorum Permiſſu, & Priuilegijs.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

BENEVOLO LECTORI.

GEmmas expono, & quidem pretioſas: quippe quæ fœtus ſunt præſtantiores lectiſſimorum Poetarum. Iſtis diteſcere potes, quicunque ſapis: quæ vt ſint faciliùs ad manum, eodem ordine exponuntur, qui in Deſcriptionibus Oratorijs & ſeruatus, & exceptus eſt cum laude. In tam multiplici, & vario rerum apparatu, vix argumentum excogitare liceat, cuius híc perbellè, & affabrè delineatam non recognoſcas imaginem. Perlege, & fruere, dies enim his gemmis ſignatos, aureos facies.

AVCTORES
EX QVIBVS
DESCRIPTIONES COLLECTÆ.

Actius Syncerus Sannazarius.
P. Albertus Ines Soc. Ieſu.
Albius Tibullus.
Alcimus Auitus.
P. Alexander Donatus Soc. Ieſu.
Andreas Naugerius.
P. Angelinus Gazeus Soc. Ieſu.
Angelus Politianus.
Annæus Lucanus.
L. Annæus Seneca.
P. Antonius Chanut. Soc. Ieſu.
P. Antonius Millieus Soc. Ieſu.
Auguſtinus Maſcardus.
Aurelius Prudentius.
Aurelius Vrſius.
Auſonius.
Benedictus Milanus.
P. Bernardinus Stephonius Soc. Ieſu.
P. Carolus Franciſcus de Luca Soc. Ieſu.
P. Carolus Malapertius Soc. Ieſu.
P. Carolus Verpæus Soc. Ieſu.
Claudius Claudianus.
P. Conſtantius Pulcharellus Soc. Ieſu.
Cornelius Gallus.
P. Dionyſius Petauius Soc. Ieſu.
P. Famianus Strada Soc. Ieſu.
Franciſcus Petrarcha.
P. Franciſcus Bencius Soc. Ieſu.
P. Franciſcus Remondus Soc. Ieſu.
Gaſpar Barlæus.
P. Gilbertus Ionninus Soc. Ieſu.
P. Gulielmus Dondinus Soc. Ieſu.
P. Hermannus Vgo Soc. Ieſu.

Hieronymus Fracaſtorius.
Hieronymus Vida.
P. Hippolytus Graſſetus Soc. Ieſu.
Q. Horatius Flaccus.
P. Iacobus Balde Soc. Ieſu.
P. Iacobus Bidermanus Soc. Ieſu.
P. Iacobus Vallius Soc Ieſu.
P. Ioannes Ambruſterus Soc. Ieſu.
Ioannes Barchlaius.
Ioannes Baptiſta Amaltheus.
P. Ioannes Biſſelius Soc. Ieſu.
P. Ioannes de Buſſieres Soc. Ieſu.
P. Ioannes Bap. Ferrarius Soc. Ieſu.
P. Ioannes Bap. Maſculus Soc. Ieſu.
Iouinianus Pontanus.
P. Iulius Cæſar Deſtitus Soc. Ieſu.
Iunius Columella.
Iunius Iuuenalis.
Lactantius Firmianus.
P. Laurentius le Brun. Soc. Ieſu.
P. Leo Sanctius Soc. Ieſu.
Lucretius Carus.
P. Ludouicus Cellotius Soc. Ieſu.
Marcus Antonius Flaminius.
Marcus Antonius Muretus.
Marcus Manilius.
P. Marius Bettinus Soc. Ieſu.
P. Mathias Caſimirus Sarbieuius Soc. Ieſu.
P. Nicolaus Cauſinus Soc. Ieſu.
P. Oddo de Comitibus Soc. Ieſu.
Pub. Ouidius Naſo.
Palatium Reginæ Eloquentiæ.
Petronius Arbiter.
Petrus Angelius Bargæus.
Petrus Bembus.
Philomathi Muſæ Iuueniles.
Seuerinus Boetius.
Sidonius Apollinaris.

P. Sidronius Hoſchius Soc. Ieſu.
Silius Italicus.
Statius Papinius.
P. Tarquinius Gallutius Soc. Ieſu.
Valerius Catullus.
Valerius Flaccus.
Valerius Martialis.
Veſtigium Gymnaſij Romani.
P. Vincentius Guiniſius Soc. Ieſu.
Virgilius Maro.
Vrbanus VIII. Pont. Max.

Facultas R. P. Viſitatoris Soc. IESV in Prouincia Veneta.

EGo Ludouicus Bomplanus Societatis IESV in Prouincia Veneta Viſitator, poteſtate ad id mihi facta ab Adm. R. P. Noſtro Io: Paulo Oliua Præpoſito Generali, facultatem facio, vt Liber inſcriptus, *Deſcriptiones Poeticæ*, Auctore P. Ioanne Baptiſta Gandutio Noſtræ Societ. Sacerdote, & eiuſdem Societatis grauium & Doctorum hominum iudicio approbatus typis mandetur. In quorum fidem, &c.

Foroliuij die 27. Octobris 1664.

Ludouicus Bomplanus.

DE-

DESCRIPTIONES POETICÆ.

CHAOS.

ANte mare, & terras, & quod tegit omnia Cœlum
Vnus erat toto naturæ vultus in orbe
Quem dixere Chaos, rudis indigeſtaque moles,
Nec quidquam niſi pondus iners, congeſtaque eodem
Non benè iunctarum diſcordia ſemina rerum.
Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan
Nec noua creſcendo reparabat cornua Phœbe:
Nec circumfuſo pendebat in aere tellus
Ponderibus librata ſuis: nec brachia longo
Margine terrarum porrexerat Amphitrite.
Quàque erat & tellus, illic & pontus & aer:
Sic erat inſtabilis tellus, innabilis vnda,
Lucis egens aer, nulli ſua forma manebat,
Obſtabatque alijs aliud: quia corpore in vno
Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis,
Mollia cum duris, ſine pondere habentia pondus.
Ouidius l. 1. met.

Fama fuit quondam dubijs elementa figuris,
Indiſcreta locis nullo non didita tractu,
Per vacuum volitaſſe vna, miſtoque tumultu
Erraſſe innumeris fluitantia ſemina rebus.
Materies informis erat, confuſaque nullo
Ordine congeries, moles incondita, miris
Infabricata modis, nullaque coercita lege,
Non tellus librata cadit, non innatat vnda,
Non ignis ſupera alta petit, non proxima ductu
Circuit aura polum facilis, ſed cœca feruntur.
Cuncta ſimul: volat inſtabilis ſuper aere tellus,
Vnda riget concreta ſitu: ſubſidit in imum
Ignis, & alterutris immiſtus fluctuat aer.
P. Tar. Gallutius l. 1. carm. poem. 1.

Congeries rerum paſſim indigeſta iacebat
Et turpi moles infabricata ſitu.
Terra poluſque fuit, nec terra poluſque fuerunt:

Dicere ne licitum eſt, en polus, ecce ſolum.
Cuncta ſuperfuſo horrebant reuoluta barathro,
Omnia inexplicitum ſemina ſemen erant.
Proteus orbis erat, quem denſior vmbra tegebat,
Et vaga centenis verſa figura modis.
Sic Deus implicuit confuſo fœdere mundum,
Volveret vt ſuperis inferiora locis.
Frigida pugnabant calidis, & acuta rotundis,
Certabant duris mollia, & alba nigris.
Non color informi reſidet, non vultus in orbe:
Nulla figura ſoli, nulla figura poli.
Quàque erat & tellus, illic & pontus & aer:
Vnda, aer, tellus, vnus aceruus erant.
Imperfecta ſitu macies, ſine nomine corpus,
Et ſine perfecto corpore nomen erat.

P. Lauren. le Brun. Hexam. die 1.

Principio totum tenebris immerſerat orbem.
Et poterat ſibimet diſplicuiſſe chaos.
Nullus in orbe decor; non fulgens ignibus æther,
Aut ſpatijs dirimens ſæcla, dieſque ſuis.
Non ſua fraternis opponens vultibus ora
Signiferi medium luna ſecabat iter;
Non Helice pauidis fluctus ſignabat Achiuis,
Viſaque tum populis Parrhaſis Arctos erat.
Imbiberat terram pelagus nec flamma, nec aer
Seque, ſuumque decus conſpicienda dabant.
Semina naturæ nox intempeſta premebat,
Officio nondum tunc patefacta ſuo.

Gaſpar. Barlæus l. 1. Eleg. 1.

M V N D V S.

Et Mundi procreatio.

PRincipio terram, ne non æqualis ab omni
Parte foret, magni ſpeciem glomerauit in orbis
Tum freta diffudit, rapidiſque tumeſcere ventis
Iuſſit, & ambitæ circumdare littora terræ.
Addidit & fontes, & ſtagna immenſa, lacuſque,
Fluminaque obliquis cinxit decliuia ripis:
Quæ diuerſa locis partim ſorbentur ab ipſa,
In mare perueniunt partim: campoque recepta
Liberioris aquæ, pro ripis littora pulſant.
Iuſſit & extendi campos, ſubſidere valles,
Fronde tegi ſyluas, lapidoſos ſurgere montes.
Vtque duæ dextra cœlum, totidemque ſiniſtra
Parte ſecant zonæ, quinta eſt ardentior illis;
Sic onus incluſum numero diſtinxit eodem
Cura Dei, totidemque plagæ tellure premuntur:
Quarum quæ media eſt, non eſt habitabilis æſtu,
Nix regit alta duas: totidem inter vtramque locauit

Tem-

Temperiemque dedit miſta cum frigore flamma.
Imminet his Aer: qui quanto eſt pondere terræ
Pondere aquæ leuior, tanto eſt oneroſior igne:
Illic & nebulas, illic conſiſtere nubes
Iuſſit, & humanas motura tonitrua mentes
Et cum fulminibus facientes frigora ventos.
Hæc ſuper impoſuit liquidum, & grauitate carentem
Æthera, nec quicquam terrenæ fæcis habentem.
Vix ita limitibus diſcreuerat omnia certis;
Cùm, quæ preſſa diu maſſa latuere ſub ipſa
Sidera cœperunt toto fulgeſcere cœlo.
Neu regio foret vlla ſuis animalibus orba.
Aſtra tenent cœleſte ſolum, formæque deorum,
Ceſſerunt nitidis habitandæ piſcibus vndæ,
Terra feras cœpit, volucres agitabilis aer.
Ouidius lib. 1. metam.

Hic ſuperum ſator informem ſpeculatus aceruum
Æternam noctemque, indigeſtumque profundum
Prima videbatur moliri exordia rerum.
Ipſe micans radijs, ac multa luce coruſcus.
Iamque videbatur fulua de nube creare
Stelligeri conuexa poli, terraſque, fretumque, ...
Et lucem ſimul vndiuagam, mox vnde micantes
Et ſolis radios, & cœli accenderet ignes.
Ipſi iam denſo crepitare examine circum
Authoremque, ducemque ſuum, plauſuque ſonare
Aligeri fratres ſupera arce volabile vulgus,
Lucis opus primæ: nec dum tamen æthera ab imis
Flammiferum terris, terras diſcreuerat vndis,
Sed tantum confuſa iacebant ſemina rerum.
Nec mora, vix cœli extulerat ſeptemplicis orbem,
Ordine cui vario rutilos affigeret ignes:
Et iam cuncta nouam incipiebant ſumere formam
Paulatim, cœlumque ſua compage teneri.
Cernere erat ſicca in medio iam mole relicta
Littoribus curuis circum maria humida fundi,
Illiſoſque vadis ſpumare ad ſidera fluctus,
Ecce autem iam ſagiferi capita ardua montes
Attollunt, infràque iacent humiles conualles.
Continuò tellus ſubmittens dædala germen
Flore renideſcit, & frondes explicat arbos.
Iam videas viridi veſtiri gramine campos.
Iam colles denſis frondere cacumina ſyluis.
Ilicibuſque, oleiſque, & coniferis cypariſſis.
Nec mora: cæruleo flammis duo lumina cœlo
Incipiunt teneris primùm luceſcere rebus,
Et ſibi, ceu mundi vigiles ſtationę vieiſſim
Succedunt, certoque ſuum dant fœdere lumen.
Nam lucis fons dimenſum Sol ambit olympum
Ipſe dies, terraſque nouo ſplendore colorat,
Nocte ſua vultu pallenti ſeruat in vmbris
Luna vices, fundens auratis cornibus ignem,

Lucidaque exornant nocturnis æthera gemmis
Sidera perpetuo circumlabentia motu
Tum bifidis paſſim verrebant marmora caudis
Squammigerûm mutæ pecudes, pelagoque natabant.
At pictæ volucres librare per aera pennis
Corpora, & inter ſe curuis decernere roſtris.
Nec procul hinc errant latos armenta per agros
Lanigerique greges perſultant pabula læta.
Hier. Vida Chriſt. l. 1.

Tu Verbo nutuque potens ingentia Diuum
Limina, tu magni poſuiſti immane theatrum
Ætheris, & fixis radiata ſedilia flammis,
Sidereo nobis fingens laquearia tecto.
Tu ſua tellurem collectam in pondera circum
Sponte ſuo obnixam oneri, fixuque perenni
Pendentem ab ſe ſe nullo fundamine libras.
Seu nobis natale ſolum, ſeu penſilis vltro
Naturæ momentum ingens, nec mobile pondus,
Illum inter varios florentem germine campos
Extollentem altis montana cacumina ſyluis,
Viſceraque abruptis pandentem effoſa barathris,
Neptuno fœtam eſſe iubes, & fonte profundo.
Hunc etiam certos vetitum tranſcendere fines
Porrigis immenſum ſpatijs, & littore vallas
Indomitum quamquam furijs, cœloque minaces
Attollentem iras, & agentem ad ſidera fluctus.
Te ne illum aſpicio, qui ſ n quondam aſpexit olympus
Flore coronantem terras, totoque ferentem
Æthere luciferos, oculatæ lumina noctis?
Tu faciles obitus, faciles das ire per ortus,
Quâ regis æternos mundi verſatilis ignes,
Taurumque, plauſtrumque, Lycaonioſque Triones,
Et ſobolem Ledæam, & noctiuagam Cynoſuram,
Atq; Helicem, atq; Hydram, atq; auripedem Menalippen
Et pluuias Hyadum flammas, toruumque Booten,
Anguineumque iubar cum ſidere Centaureo,
Et formidatum nautis Oriona nimbo,
Errantemque Iouem cum pignore Cylleneo.
Et tardum genitorem æui ſua ſæcla morantem,
Gradiuumque patrem, & dulcem inſidijs Cythercam;
Et regem Titana diei luciſque parentem,
Et celerem curſu Dianam, & fronte bicorni,
Quæque pares ſpatijs diſtinguunt ſidera menſes
Et verſas duodena vices annumque reducunt.
P. Pulcharellus l. 1 car. 2.

Nondum ſerena luce ſtellatos globos
Tornarat auctor; Orbis aut molem in duos
Librarat axes; multiplex nondum poli
Verti volumen iuſſerat; nondum fuga
Temporis obibat ſiderum ad numerum dies:
Secretus aſtris ignis ambitum ſupra

Aera

Aera rubebat: nullus aut infra faces
Fluitabat aer ſubdito leuior freto:
Non picta bruti riſerat ſpecies ſoli.

P. Stephonius in Flau. act. 1. ſc. 6.

Ignis in æthereas volucer ſe ſuſtulit auras
Summaque complexus ſtellantis culmina cœli
Flammarum vallo naturæ mœnia fecit.
Proximus in tenues deſcendit ſpiritus auras
Aeraque extendit medium per inania mundi.
Ignem flatus alit vicinis ſubditus aſtris.
Tertia ſors vnda ſtrauit. flatuſque natantes
Æquora perfudit toto naſcentia ponto.
Vt liquor exhalet tenuis, atque euomat auras,
Aeraque ex ipſo ducentem ſemina paſcat.
Vltima ſubſedit glomerato pondere tellus
Conuenitque vagis limus permixtus arenis
Paulatim ad ſummum tenui fugiente liquore:
Quoque magis puras humor ſeceſſit in vndas
Et ſiccata magis ſtrinxerunt æquora terras,
Adiacuitque cauis fluidum conuallibus æquor,
Emerſere fretis montes, orbiſque per vndas
Exilijt, vaſto clauſus tamen vndique ponto,
Imaque de cunctis mediam tenet vndique ſedem.

Manilius Aſtron. l. 1.

Ante hominum pecudumq; genus, pictaſq; volucres,
Et quæ multa ſecant liquidos animantia fluctus:
Omnis erat rerum ſpecies confuſa, neque vllus
Orbis honor: maria, & tellus, nec lucidus æther
Seminibus permiſta ſuis ſine lege coibant,
Cuncta coercebat tenebroſum corpora corpus.
Sed ſimul in proprias cœperunt ſingula ſedes
Muneribus diſcreta ſuis ex ordine labi,
Et tener ab rerum diſcrimine creſcere mundus:
Tum primum in medio conſedit pondere tellus
Nixa graui, hanc circum irriguo ſe gurgite pontus
Intulit, & ſuper incubuit ſpirabilis aer,
Omniaque extento cœlum comprendit amictu.
Nec minus aurato diſtingui cœpta decore
Sidera, quæ toto radiant pulcherrima Olympo,
Seu tremulo rutilant, ſeu fixo lumine fulgent.
Terra tulit grauidas vllo ſine ſemine fruges
Terra parens rerum, & magni velut æmula cœli
Induere in varios ſtuduit ſua ſidera flores.
Hæc propter roſa ſanguineo, vacinia fuſco,
Lilia candenti, flauo velatur amictu.
Caltha, crocus rutilo, violæ ferrugine, & auro
Et niue fulgentes alios variare colores
Atque alios tendunt: hæc pallet, purpurat oſtro
Illa magis, gemmam illa refert, ſtellamque micantem,
Hæc virides rubro prætexit ſanguine guttas
Et matutinis collucent roribus herbæ.

P. Bencius lib. 1.

...... Interea Summi Sapientia Patris
Adfuit innumeris diſtinguens cuncta figuris:
Frigida ſecreuit calidis, humentia ſiccis,
Et ſtabilem fecit terram, pontumque liquentem
Diffudit, vetuitque ſuos excedere fines.
Tunc ſiluis immiſſa fera, & ſquamoſus in æquor
Piſcis, & in nubes penna fugere volucres.
Scilicet alitibus dedit aera, piſcibus vndas,
Quadrupedum generi tribuit Sapientia ſiluas:
Quid dicam, vt læues mundi tornauerit orbes
More fabri, ferro tornat cum raſile buxum?
Quid dicam, vt cœlo Stellas oculoſque micantes
Addidit, & gyro lunam breuiore fugacem
Carpere iuſſit iter; terras quæ ſidere circum
Frigenti meat, & flammas terit vltima curru,
Perque poli tractus, medijque per ætheris oram
Diſpoſuit ſolem auricomum, luciſque beatæ
Fontem, qui radijs terrarum opera omnia luſtrat.
P.Tarquinius Gallutius lib.1.car.16.

Principio cœlum ac terras exiſtere iuſſit
Ex nihilo, cœcumque chaos compegit in orbem.
Empyrei ſummo ſtetit extima vertice moles:
In medio tellus immenſi ſubiacet vndis
Immenſumque operit tenebris nox atra profundum.
Nec ſpeciem tellus, formam nec pontus habebant:
Tum Deus accenſam verbo ſplendeſcere lucem
Edixit, curſuque nouum circumtulit orbem
Gyrantem immenſis ſpatijs noctemque, diemque.
Cœperat altera lux ſummos perſtringere fluctus,
Cum Deus in medijs molem concreſcere lymphis,
Cryſtalli immenſam molem, vitreamque videri
Perſpicuamque hyalo mortales fallere ſenſus;
Et tamen vt ſolido duratam adamante, fluentes
Scindere aquas ab aquis, mediamque inſiſtere ſciſſis
Iuſſit, & Oceanum duplicem ſeiungere ſepto
Inferiore mari, & ſupero confinia ponto,
Quod cœli inſcripſit cognomine firmamentum.
Tertia lux oritur; nutu in diuortia fluctus
Ire iubet, cœloque ſuos oſtendere campos
Tellurem ſpecubuſque cauis attollere montes,
Congeſtoſque lacus, & flumina claudere ripis,
Complectique ſinu fluuios, & vallibus imis
In mare præruptum deuoluere fontibus amnes,
Arida vix patuit tellus, cum germina fudit
Imperio fœcunda Dei, veſtitaque vernis
Graminibus, ſimul & meſſes, præcoctaque poma
Extulit, & tenero liuentes palmite botros
Aptaque gignendis incluſit ſemina plantis
Omnibus, vt ſua cuique inſit genitalis origo.
Quarta oritur cum ſole dies: nam ſpiritus idem
Affixit digitis ſtellas, & ſydera cœlo:
Signauitque vias, aduerſaque ſigna locauit

In

In ſtatione, ſituque: dedit ſua munia cunctis
Partitus, certoſque obitus adſcripſit, & ortus.
Præcipuè immenſo donauit lumine Solem
Primigenæque facem lucis ceu lampade vinxit,
Æternumque dedit radijs ardentibus ignem
Quem vehat, & terras, mediuſque illuminet aſtra,
Lucentemque globum Lunæ, quem ſemper ab alto
Dimidium videt, & nocturno lumine complet.
Quinta luce Deus compleuit piſcibus æquor,
Aeraque alitibus fœcundo è germine ponti:
Iuſſit enim feruere mare, & genitalibus vndis
Tollere ſe in ſpumas, mixto vitalia flatu
Inſinuans alimenta; rapit calido aere vitas
Reptantumque animas viſcoſis artubus igni
Elicit, & tremulis vegetat præcordia flammis.
At volucrum aerijs rareſcunt corpora plumis,
Queis tenues tranant auras, & nubila ſindunt.
Emerſiſſe fretis hilares liquido æthere pennis
Librantur, mulcentque ſuum concentibus æquor.

P. Ant. Millieus Moyſ. Viat. l. 6.

Tum ſubito coram è nihilo ſe erumpere mundi
Viſa videre globum immenſum: ſubſidere terram
Pondere libratam proprio; iuſſamque potenti
Mole, cauis elementa globis, orbemque repoſtum
Extremo fundare ſitu: conſurgere cœlum
Altius, immani ſe circumfundere gyro
Corporibus: tendi magnos cœleſtibus orbes
Ignibus: immenſi partem ſuper æthera tolli
Æquoris; inque ſinus magnos, valleſque profundas
Finibus incluſam certis concedere partem
Et partem in vacuæ condi penetralia terræ.
Ardua ſurrectos cœlo iuga tollere montes,
Vicinoque cauas Erebo deſcendere valles,
Æquatoſque plagis latè ſe fundere campos.
Extendi tenues tractus, auraſque liquentes
Aeris: accendi flammis ſublimibus orbem
Æthereum: primo ſpargi vaga ſidera cælo
Componique locis, ſuperi per concaua mundi
Cærula, defixis gaudentia ſedibus aſtra;
Iuſſaque perpetuas imponi in munera leges
Omnibus, errantum vinctos quoque legibus orbes.
Elyſium videt inde ſeri, geniale beatis
Hoſpitium, ſineret ſcelus exitiale parentum,
Donec in æthereos olim poſt ſæcula vitæ
Felicis, genus humanum poſt tædia terræ
Immortale Deus ſine funere tolleret axes.

P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Namque vbi prima diem mundo conceſſerat Eos.
  Emicuit vultu lux ſpecioſa nouo.
Non tenebræ merſere chaos, ſed clara diei
  Fax fuit, & nocti diſſociata ſuæ

Altera

Altera ſuſpenſum ſpatioſo fornice cœlum
Vidit, & æthereas corpora vaſta domos.
Voluitur, & magno moles libratur inani,
Et diſtincta ſuis orbibus alta ruit.
Quo colitur rectore domus, fulcitur ab illo,
Quoſque ſibi format, poſſidet ipſe lares.
Et licet occiduis omnes merguntur in vndis,
Tardius occiduis quilibet exit aquis.
Non ſubit alternas cœleſtis machina mortes,
Nec variæ verſant iſta theatra vices.
Vna manet cunctis facies, decor omnibus idem;
Et ſtabili pulchrum fœdere perſtat opus.
Tertia ſpumantis diffuſa palatia Nerei
Aſpicit, & vaſti regna profunda maris.
Aſpicit è medio naſcentes æquore terras,
Quæque prius latuit merſa reſurgit humus.
Ipſe ſua, magno quas non comprenderat alueo
Oceanus, vario gurgite clauſit aquas.
Pars Gades, Calpenque ſubit, pars Caſpia pulſat
Littora, pars Gothici verberat arua ſoli.
Illicet Ægræos fluctus abſorpſerat Helle,
Et Tanai propior mixta Propontis erat.
Pars hæſit concreta gelu ſuppoſta Bootæ.
Forſitan vt Batauis ſola negaret iter.
Pars Arabum terras, calidos pars alluit Indos.
Pars ſubit ingenti Perſica regna ſinu.
Nec tamen ignotos fluctus ſulcauerat Argo,
Aut fragili Tiphys puppe magiſter erat
Nec primæua truci liuebat ſanguine tellus,
Aut ſpatijs ſtabant arua dirempta ſuis.
Sponte ſua fruges nullis vexata colonis,
Neſciaque attriti vomeris arua dabant.
Iam coryli, & nondum feralia ſigna cupreſſi.
Et ſalices petulans exeruere caput.
Floraque purpureos pratis expandit honores,
Luxurianſque nouo gramine riſit ager.
Creuerunt virides ventura in præmia lauri,
Palmaque Olympiacis præripienda rotis.
Aurea per laxos radiabant lilia campos,
Nondum virginea lilia capta manu.
Et violæ, & Regum ſignandi nomine flores,
Iamque recens factæ plus rubuere roſæ.
Quarta coruſcanti flammas inſparſit Olympo
Et tremulæ radijs emicuere faces.
Explicuit roſeos lampas Phœbeia vultus,
Et vaga ſpumantes exit, & intrat aquas.
Per duodena ſuos impellens ſidera currus,
Metitur ſpatijs tempora fluxa ſuis.
Quæque per obſcuræ tranquilla ſilentia noctis
Cornigero niteat lumine, Luna venit.
Subdidit ipſe ſuos Veneri Cyllenius ignes,
Ceſſit & ingenti Martia ſtella Ioui,
Hunc Saturne præis, & terris dira minatus.

Ingre-

Ingrederis lento per tua regna gradu.
Nec minus innumeris illuxit ab ignibus æther,
Cœpit & obliqua ſignifer ire via.
Hic pluuias fundebat Hyas, ſpirabat Orion,
Parte alia rabido torruit igne Canis.
Altera Hyperboreas ſpectabant ſidera terras,
Altera in Auſtrales verſa fuere plagas,
Quinta luce vagi verrebant æquora piſces,
Et Venus in gelidis feruere cœpit aquis.
Grandia terribiles agitabant corpora phocæ,
Et piſtrix ſpinis horruit ipſa ſuis.
At mediam aligeræ ſulcabant aera turmæ,
Argutaque loquax voce ſtrepebat auis.
Sed nondum humanas edoctus reddere voces
Pſittacus indocili gutture cantor erat.
Sexta dies totum fœtis animalibus orbem
Donat, & innumera paſcua prole beat.
Hic quadrupes laſciuit equus, ſpiraſque retorquens
Gramineo fallax delitet hydra thoro.
Lanigerique greges ibant cuſtode remoto
Nec Corydon timidas paſtor agebat oues.
Non lupus imbelli ferus inſidiatus ouili eſt
Ambulat innocuo tigris & agna gradu.
Gaſp. Barlæus Poem. par. 2. El. 1.

Dixit, & à tenebris lucem diſcluſit, & orbem
Condidit, vt proprio conſidat pondere tellus,
Quam circum glomerentur aquæ, ſuper enatet aer,
Et procul abſcedens, longa regione feratur,
Omniaque extento cœlum comprendat amictu,
Ætherium cœlum, & mundi verſatile templum.
Ille ſimul iuſſit, viridi ſe gramine terra
Veſtijt, & vario depinxit prata colore;
Nec minus & nitidas fruges effudit, & altis
Vndantem arboribus ſiluam, fœtuque grauatis;
Vnde ſimul fructus, ſimul & genitalia creſcant
Semina, & æternùm frondentia rura propagent.
Et nihil vt deeſſet decoris, pater optimus auxit
Cœlum ſideribus, mare piſcibus, aera pennis;
Immiſitque feras ſiluis, & muta animantum
Agmina, quàm varia ſpecie, tam corpore, & armis.
P. Franc. Bencius V. Mar. l. 4.

CÆLESTIA.

Cœli creatio.

QVantus honos ſpectaſſe Deum, cum conderet arces
Æthereas, ſtructo laquearia cærula mundo
Tenderet, humanæ ſtellata palatia genti.
Vndique præcinctæ non expugnabile vallum
Naturæ ſuperis daret immortale theatrum.

Igni-

Ignibus, æternæ regnum inuiolabile vitæ.
Quando laboratos cœlum tornabat in orbes,
Claudebatque potens captiua elementa beato
Carcere, figebatque polos, celſumque per orbem
Ducebat medium, quo mundus vertitur, axem:
Tunc aderam dimenſa globos, & iuſta decentis
Interualla ſitus rerum, molemque ſuperbam
Ætheris, authori comes indiuiſa parabam
Teſtis eram, ſtipata globi cum ſidera formæ
Cogeret, in rutilos noctis ſuccenderet ignes,
Signaretque ſua ſparſim per cærula ſedes.
Illic denſa manu larga profunderet, illic
Ordine rara tenax certo digeſta locaret.
Vidi ego cum lunam Veneri, Veneremque micanti
Mercurio, famulum Soli ſupponeret author
Mercurium, medijs Solem componeret aſtris.
Hic, ait, hic cæli rector, qui lumina curſu
Diuidet, infuſum ſtellis effundet honorem,
Purpureamque diem terris feret: addita circùm
Aſtra ſatellitium domini, prætoria regis
Agmina, cærulei felix cuſtodia mundi.
Vidi ego ſanguineas cùm Marti accenderet iras,
Flammantemque facem: vidi cùm plumbea triſti
Lumina Saturno daret, auratamque locaret
Inter vtrumque Iouis ſtellam quæ fronte ſerena
Temperet infeſtis fatalia ſidera tædis.
Errantum quibus ille vagos per cærula curſus,
Acceſſuſque, abituſque moras, niſumque reuinxit
Legibus; alternos iuſſis occaſibus ortos
Miſcuit, & cautas dedit in mortalia vires.
Lucis inæquales, tempeſtatumque ſequaces
Æterna ratione vices, in commoda terræ
Sanxit, & in menſes lunam præfecit, in annos,
Luſtraque, & à luſtris labentia ſæcula Solem.

P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Galaxia, ſiue Via lactea.

NAmque in cæruleo candens nitet orbita mundo
Ceu miſſura diem ſubito, cœlumque recludens:
Ac veluti viridis diſcernit ſemita campos
Quem terit aſſiduo renouans iter orbita tractu
Inter diuiſas æqualibus eſt via partes:
Vt freta caneſcunt ſulcum ducente carina:
Accipiuntque viam fluctus ſpumantibus vndis.
Quam tortus verſo mouit de gurgite vortex:
Candidus in nigro lucet ſic limes Olympo
Cæruleum findens ingenti lumine mundum.
Nec mihi cælanda eſt famæ vulgata vetuſtas
Mollior, e niueo lactis fluxiſſe liquorem
Pectore reginæ diuum, cœlumque colore
Infeciſſe ſuo: quapropter lacteus orbis
Dicitur, & nomen cauſa deſcendit ab ipſa.

An

Digitized by Google

An maior denſa ſtellarum turba corona
Contexit flammas, & craſſo lumine candet,
Et fulgere nitet collato clarior orbis?
Manilius Aſtron. l.5.

Nate etiam ſi quando oculos ad ſidera tollens
Albentem cœli tractum mirabere, forſan
Addubites, quæ cauſa viam ſignauerit; an ſit
Halitus idem author, longo quem tramite ductum
Stellarum denſus circum ſe complicat ordo.
Quippe vagus Solem fugiens, torrentiaque aſtra
In læuum dextrumque latus declinat, & ipſa
Raptatus circum cœli vertigine candet
Sideribus latè ſparſus, pallentiaque ora
Stellarum, atque amnes lactis ſub imagine præfert.
Namque acies obtuſa, & non penetrabile lumen
Et ſeries numeroſa, minutaque corpora paruis
In ſpatijs verſata procul candere videntur,
Dum nequeunt radios iaculari, & ſtringere flammam,
Candet & à multa caligine conſitus aer,
Hinc illinc agitata, & lactea conſtat imago.
Io. Pontanus in lib. meteor.

Zodiacus, ſeu circulus duodecim ſignis diſtinctus, per quæ Sol incedit.

HÆc plaga circuituſque ingens, flexuſque deorum
Biſſenas patet in partes, ac tramite lato
Obliquat ſe ſe in Lybien, vnde horrida bruma
Adueniat; ſecat hinc medium curuatus Olympum
Qua de parte nouum ſpirat Ver, inde volutus
In boream, vnde æſtas flauentia demetit arua,
Conuertit rurſum in medium ſinuatus olympum
Autumnus, paribus qua tempora diuidit horis.
Hinc iterum in lybiæ ſitientis flectit arenas.
Atque hunc obliquis circundare flexibus orbem
Iuſſerat ille hominum, diuumque æterna poteſtas,
Quo variæ rerum ſpecies, quo tempora rebus
Certa forent, obſtringat hyems, ver ſtricta relaxet,
Concoquat Autumnus, quod & ante coegerat æſtas,
Quin & biſſenis paſſim variata figuris
Signa vehit, pictoque micat zona aurea textu.
Iou. Pontanus de ſtellis l.2.

Signa Zodiaci.

HIc qui ſacris peruius aſtris
Secat obliquo tramite zonas,
Flectens longos ſignifer annos
Lapſa videbit ſidera labens.
Hic qui nondum vere benigno
Reddit zephyro vela tepenti

Aries

Aries præceps ibit in vndas,
Per quas pauidam vexerat Hellen.
Hic qui nitido Taurus cornu
Præfert Hyades, ſecum Geminos
Trahet, & curui brachia Cancri,
Leo flammiferis æſtibus ardens
Iterum è cœlo cadet herculeus,
Cadet in terras Virgo relictas,
Iuſtæque cadent pondera libræ,
Secumque trahent Scorpion acrem.
Et qui neruo tenet Æmonio
Pennata ſenex ſpicula Chiron.
Rupto perdet ſpicula neruo.
Cadet Ægoceros, frangetque tuam
Quiſquis es vrnam: tecum excedent
Vltima cæli ſidera piſces.

Seneca in Thyeſ. actu 4. in Chor.

Aſpice vt intento meditatur prælia cornu
Taurus, & incumbens genibus ceruice coacta,
Fronte truci, inſignemque oculis, ſua lumina, flammam
Ore vibrans, inimica ſagax molimina terræ
Acribus explorat radijs, turbamque ſerenat
Pleiadum, rutilis illæ ſua ſidera pingunt
Ignibus, & puris pandunt ſua gaudia tædis.
Aſpice vt Oebalij germano ſidere fratres
Impliciti blandis ſtellarum amplexibus ardent,
Mutuaque alterno conuerſi in lumina viſu
Terrorum impauidi, teneros teſtantur amores,
Alterniſque pium ſibi ſidus honoribus augent.
Lætus ouat Cancer, timidoque recedere greſſu
Natus, ad occurſus dubios, nec ad ora Leonis.
Horret, & intrepidos illi gerit obuius ignes
Et ciet in ſæuos ardentia brachia rictus.
At Leo quos oculis ignes, quos corpore toto
Euibrat? ardenti quàm concita pectora flamma?
Qui rabido ſub corde furor, quæ fulgura caudæ,
Quæ iuba, quàm læti ſtellis radiantibus vngues?
Nobile cor ſidus, caudæ quoque nobilis aſtro
Clarus apex, rapidi duplex ea gloria ſigni.
Aſpice virgineos vt lætæ frontis honores
Explicat, & geminas ſtellis pendentibus alas
Contrahit Erigone, ſpicæque decora ſiniſtram
Sidere demiſſas terræ protendit ariſtas.
Libra pari geminas æquans examine lances,
Suſtinet ambiguo pendentia ſidera motu;
Et quamuis rutili rapitur vertigine mundi,
Æqua manet, mundumque ſuo moderamine librat.
Nec timet inſanis elementa furentia telis.

P. Ant. Lanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Tauri tergora reſpicit
Obuertens Aries lanigerum caput.

Taurus,

Taurus, ceu ruat impetu
Præceps fulmineo, cornibus igneis
Oriona petit trucem
Et claua, & ſpolio terribilis feræ.
Tauri cornua cærulis
Hærent fixa plagis, armaque Orionis
Claro lumine Caſtores
Implexi rutilis corpora nexibus,
Germanis ab amoribus
Alterno redimunt ſidera funere
Cancer brachia porrigit,
Nolens ire retro, collaque geſtiens
Sæuæ carpere belluæ.
At ceruice Leo fulgidus aurea
Armat roſtra minacibus
Villis, & refuga fronte recolligit,
Vrens ignibus aridam
Tellurem hoſpitio ſolis iniquior.
Virgo ſidere candido,
Pennarumque leui remigio tegit
Lætam Virgine Virginem;
Auguſtæque nitens pectore Virginis
Sanctis vritur ignibus,
Et tantis cumulat ſidus honoribus.
Magnis iuſta bilancibus
Æquat Libra Dies noctibus, & pari
Curſum ſolis, & orbitam
Axis flammiferi limite diſtrahit;
Et momenta fluentium
Horarum æquiparans anxia ponderat.
Libram Scorpius inſequens
Imponit geminis brachia lancibus;
Ac iuſti velut æmulus
Caudæ vipereo parcere aculeo
Libra iudice deierat
Tantum Virgineo ſtat dare Numini.
Chiron cuſpide fulgida
Scorpi terga petit, ſed nocuæ vetat
Virgo cuſpidis impetum:
Hærent in rigido vulnera brachio,
Et quo mittere debeant
Neruo, blanda tenent cornua cuſpidem,
Capri forma bicorporis,
Felicem geneſim ſidere pollicens,
Auguſtique ſuperbiens
Fato, Virgineis candida lætior
Subdit cornua nutibus.
Vrnam cæruleæ fundit Aquarius
Vndæ prodigus, effluunt
In Piſcis vacuum flumina gurgitem.
Piſces ordine diſſitos
Nexu flexa vago vincula colligant.

P. Ant. Chanut in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Sol.

Sol.

AT medios cæli tractus, medij ætheris oram
Fons lucis Sol auricomus, Sol igneus ambit,
Sol qui terrarum flammis opera omnia luſtrat.
Ipſe idem ſuperum princeps, ductorque choreæ,
Ad cuius numeros & Dij moueantur, & orbis
Accipiat leges, præſcriptaque fædera ſeruet,
Agnoſcant auræ imperium, maria alta tremiſcant,
Audiat & longè tellus fatalia iuſſa
Atque hunc, ne qua opere in tanto decor vllus abeſſet,
Præfecit luci rerum pater: ipſe nitentes
Spargeret vt radios, ipſe vt luſtraret olympum,
Et terras ſimul, & magnas liquidi aeris oras:
Vnde dies quique in ſua terga reuoluitur annus
Atque æui ſimulacra fluunt, & tempus, & æſtas.
Ion. Pontanus de Stell. l. 2.

Sol radio meliore nitet, quia lucis origo,
Et breuiore minor lampade luna micat.
Præpete Sol curſu redeuntes diuidit annos,
Contracto menſes cardine luna facit.
Sol modò brumales vergens declinat ad Auſtros.
Tramite mox verſo torrida regna petit.
Atque vbi tellurem radijs accendit acutis
A Sole ardenti dicta peruſta plaga eſt.
Æqua dies illi ſemper cum nocte recurrit
Cuncta illi ſurgunt ſidera, cuncta cadunt.
Apud P. Laur. le Brun. Exam. die 4.

Solis iter per Eclypticam.

HAud ſecus ac rutilum perlabitur æthera Titan,
Qua vagus obliquis cœli ſe baltheus aſtris,
Torquet in aduerſas aduerſo ſidere metas,
Indeque ſublimem Cancrum, Caprum inde coercet,
Biſſenas licet ille domos, totamque pererret
Igneus ardentem rapida vertigine Zonam.
Attamen intactos ſolers vtrinque relinquit
Tramitis excurſi fines mediamque ſecurus
Luce viam, tenui quà ducta Eclyptica filo
Aſtra ſecat, iuſſos peragit non deuius orbes,
Deſcribitque dies, annoſque, & tempora curſu
Diuidit: inde ſinum terræ felicibus implet
Diuitijs, totamque pijs, vt ſingula poſcunt,
Naturam radijs beat, & ſolemne recurrit
Lætus iter, deſcripta polo quà ſemita monſtrat;
Auius oblato ne ſi rapiatur Olympo,
Dextra, ſiniſtra promens erranti ſidera curſu,
Errorem natura luat, pro munere lucis
Torrida commixtis pereant elementa fauillis.
P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Solis

Solis & Diei ortus.

IAm rara micant ſidera prono
Languida mundo: nox victa vagos
Contrahit ignes, luce renata
Cogit nitidum Phoſphoros agmen:
Signum celſi glaciale poli
Septem ſtellis Arcades viſæ
Lucem verſo temone vocant:
Iam cæruleis euectus aquis
Titan ſummum proſpicit Oeten:
Iam Cadmæ's inclyta baccis
Aſperſa die dumeta rubent,
Phœbique fugit reditura ſoror.

Seneca in Herc.fur. Act.1. in Chor.

Iam gelidam Phœben, & caligantia primus
Hauſerat aſtra dies; & iam tumet igne futuro
Oceanus, lateque nouo Titane recluſum
Æquor anhelantum radijs ſubſedit equorum.

Statius Theb.l.7.

Tempus erat iunctos cùm iam ſoror ignea phœbi
Sentit equos, p nituſque cauam ſub luce parata
Oceani mugire domum, ſeſeque vagantem
Colligit, & moto leuiter fugat aſtra flagello.

Idem l.8.

Exuit implicitum tenebris humentibus orbem
Oceano prolata dies, genitorque coruſcæ
Lucis adhuc hebetem vicina nocte leuabat
Et nondum excuſſo rorantem lampada ponto.

Statius Achil.l.1.

Iamque ſub Eoa dubios Atlantidis ignes
Albet ager, motiſque truces ab ouilibus vrſi
Tuta domoſque petunt; raras & littus in altum
Mittit aues cùm primus equis exegit anhelis
Phœbus Athon, mediaſque diem diſperſit in vndas.

Val.Flaccus Argon.l.2.

Interea magni iam iam ſubeuntibus aſtris
Oceani genitale caput, Titania frænis
Antra ſonant: ſol auricomis ingentibus horis
Multifidum iubar, & biſſenò ſidere textam
Loricam induitur; ligat hanc, qui nubila contra
Balthæus vndantem variat mortalibus arcum.
Inde ſuper terras, & Eoi cornua montis
Emicuit, traxitque diem candentibus vndis.

Val.Flaccus Argon.l.2.

Donec

BIBLIOTECA ... ROMA ...

Donec flammiferum tollentes æquore currum
Solis equi ſparſere diem; iamque orbe renato
Diluerat nebulas Titan, ſenſimque fluebat;
Caligo in terras nitido reſoluta ſereno.

Sil. Italicus l.5.

Impulit Ionios præmiſſo lumine fluctus
Nondum pura dies, tremulis vibrauit in vndis
Ardor, & errantes ludunt per cærula flammæ.

Claudian.de rap.Proſer.l.2.

Oceani ſummo circumfluus æquore lucus
Trans Indos Eurumque viret, qui primus anhelis
Sollicitatur equis, vicinaque verbera ſentit,
Humida rotanti reſonant cum limina curru
Vnde rubet ventura dies, longèque coruſcis
Nox afflata rotis refugo palleſcit amictu.

Claudianus de Phœnice.

Diſpulerat Memnon tenebras, & lutea coniux
Tithoni, croceum linquens Aurora maritum
Oceano flectebat equos; iam tempora Morphei,
Nocturnaſque faces mundo ſubduxerat ardens
Phoſphorus, & patulis rotantia gramina campis
Abluerat primo ſoboles Hyperionis ortu.

Gaſp.Barlæus Poem.par.1.l.4.

Sol Occidens.

SOluerat Heſperij deuexo margine ponti
Flagrantes Sol pronus equos, rutilamque lauabat
Oceani ſub fonte comam; cui turba profundi
Nereos, & rapidis accurrunt paſſibus Horæ,
Frenaque, & auratæ textum ſublime coronæ;
Diripiunt, laxant calidis humentia loris
Pectora, pars meritos vertunt ad molle iugales
Gramen, & erecto currum temone ſupinant.

Statius Theb. l.3.

Sol nube tectus.

QValis vbi incurrens tempeſtatem obuius atram
Dat rutilum nimboſa caput ſub nubila Phæbus;
Nec tamen ætherij curſum ſeruare laboris
Immemor, obſcura furtim ſubluſtris ab vnda
Obducto regit ore diem, & ſua tegmina fallit.

P. Pulchareilus l.1. poem.4.

Solis defectus.

IPſe caput medio Titan cum ferret Olympo
Condidit ardentes atra caligine currus,
Inuoluitque orbem tenebris, genteſque coegit
Deſperare diem.

Lucanus l.1.

ipſe

...... ipſe quin æther grauis
Inter diem noctemque deſertus ſtupet.
Quid hoc? magis magiſque concuſſi labant
Conuexa cœli: ſpiſſior denſis coit
Caligo tenebris, noxque ſe in nocte abdidit.
Seneca in Thyeſ. act.5.ſc.3.

Quod ſcelus Eois vt primum cernet ab vndis
Sol indignantes retro conuertere currus
Optabit; fruſtraque ſuis luctatus habenis,
Quod poterit, tandem auratos ferrugine crines
Inficiet, mœſtamque diu ſine lumine frontem
Oſtendat terris.
Sannazar. l.1.de par.Virg.

Cum ſubitò ecce polo tenebris caput occulit ortis
Sol pallens, medioque die (trepidabile viſu)
Omnibus incubuit nox orta nigerrima terris,
Et clauſus latuit denſis in nubibus æther.
Vida Chriſti ad. l.5.

Sol repercuſſus in ſpeculo.

.... aut quale profundo
Cynthius in vitro multa ſe luce figurat,
Seque ſuo ferit obiectu, flexuque reſultant
Vibrati radiorum ictus, miſſuque, remiſſuque
Obtruduntur, & occurſu colliſa frequenti
Lumina inardeſcunt, mediuſque interuenit ignis.
P. Pulchrellus lib.1.poem.5.

Sole oriente aſtra celantur.

HAud ſecus ac primo cum Sol exurgit Eoo,
Quæ prius effuſis ardebant æmula flammis
Sidera, mox confuſa latent: citus occulit enſem
Orion, ſpicam Erigone, Tauruſque refulgens
Lumen, & ora Caper, caudam Leo; Limina claudit
Zodiacus, conditque faces, & ſigna domorum
Turbidus, & rutilum ſub cærula Phoſphoros agmen
Cogit, & incluſos ſequitur ſimul abditos ignes.
Sol vnus regnare polo, claramque per omnes
Terrarum, cœlique plagas effundere lucem,
Et magnum oſtentare iubar: mirantur ouantem
E latebris procul aſtra ſuis, dominumque micanti
Faſſa globo, tenues fugiunt producere tædas,
Immenſumque ſuo de cardine ſidus adorant.
P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Sole amicta B. Virgo.

ASpice vt incluſam preſſis quo ſtringeret vlnis
Arctius, illuſtremque magis fulgore coacto
Redderet, & proprios arderet amator in ignes
Acrius, & toto propior contingeret aſtro,
Aſpice vt anguſtum ſeſe collegit in orbem,
Ingentemque globum contracta mole coegit.
Aſpice vt effuſum circa iubar vndique tortis
Vibrat in obliquum radijs, lucemque refuſam
Diſſecat, & rapidis acuens in fulgura telis
Vulnerat attonitos armato ſidere viſus,
Et dominam gyro circùm radiante coronat.
Continet ardentes ſolis vis ignea flammas,
Et ſeruire vetat.

P. Ant. Chanut in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Solis Prognoſtica.

SOl quoque & exoriens, & cum ſe condet in vndas
Signa dabit: Solem certiſſima ſigna ſequentur:
Et quæ mane refert, & quæ ſurgentibus aſtris.
Ille vbi naſcentem maculis variauerit ortum
Conditus in nubem, medioque refugerit orbe:
Suſpecti tibi ſint imbres; namque vrget ab alto
Arboribuſque ſatiſque Notus, pecoriſque ſiniſter.
Aut vbi ſub lucem denſa inter nubila ſe ſe
Diuerſi rumpent radij, aut vbi pallida ſurget
Tithoni croceum linquens Aurora cubile.
Heu male tum mites defendet pampinus vuas:
Tam multa in tectis crepitans ſalit horrida grando.
Hoc etiam emenſo cum iam decedet olympo
Profuerit meminiſſe magis; nam ſæpe videmus
Ipſius in vultu varios errare colores.
Cæruleus pluuiam denuntiat, igneus Euros.
Sin maculæ incipient rutilo immiſcerier igni
Omnia tunc pariter vento, nimbiſque videbis
Feruere, non illa quiſquam me nocte per altum
Ire, neque à terra moneat conuellere funem.

Virg lib. Georg. lib. 1.

Ille etiam ventos, tempeſtateſque futuras,
Atque imbres, æſtuſque graues, & frigora monſtrat.
Namque vbi cæruleo rapidum petit æquore cœlum
Exoriens, aperitque diem natalibus vndis,
Si nigrum obſcuro faciem variauerit ortu
Concauus, inque atram condentur lumina nubem,
Et pelago, & terris violentior incubat Eurus,
Turbataſque amnis in pontum deuehet vndas.
Quin etiam vt nullæ denſentur in aere nubes,
Si tamen aut hebetes radij torpere videntur,
Aut ſi plus nimio torrens incanduit ardor,

Collige

Collige venturos imbres. At pallida quando
Aurora oceano caput exerit, horridaue inter
Nubila, diuerſis rumpet Sol partibus, & nunc
Obliquos effert radios, nunc pallidus ore
Delituit nimboſo, (heu) rupto fœdere cœlum
In terras ruet, & ſæuum per inane rotatæ
Præcipitent nimborum acies, quæ grandine miſtæ
Arboribus ſtragemque dabunt, & viribus almis,
Vix ouium vt clauſos defendant culmina fœtus,
Non mihi tunc ſunt plauſtra boumue, armentaue equarū
Ducenda à ſtabulis, non me extra tecta domorum
Ducet iter. Seruanda dies, quam rite ſerenam
Spondeat, oceani ſeras cum lucidus vndas
Intrarit, non nube comam, non turbidus ora,
Sed qualem heſperio Tethys ſuſpirat in antro.
Quod ſi tunc quoque nigranti velatus amictu
Occiderit, ſiue ipſe ſuo quamquam emicat ore
Si tamen aut atras nubes raptauerit, aut ſi
Palleat, & maculæ fundant ſe ſe vndique nigræ
Venturam expectes pluuiam.

Pontanus l. 1. de Stell.

Luna.

O Latonia maximi
Magna progenies Iouis
Quam mater prope Deliam
Depoſuit oliuam.
Montium domina vt fores
Siluarumque virentium
Saltuumque reconditorum
Amniumque ſonantium.
Tu Lucina dolentibus
Iuno dicta puerperis:
Tu potens Triuia, & notho es
Dicta lumine Luna.
Tu curſu Dea menſtruo
Metiens iter annuum
Ruſtica agricolæ bonis
Tecta frugibus exples.

Catullus in carm. ad Dianam.

Regina nemorum, ſola quæ montes colis,
Et vna ſolis montibus coleris Dea,
O magna ſiluas inter & lucos Dea,
Clarumque cœli ſidus, & noctis decus.
Cuius relucet mundus alterna face,
Hecate triformis.

Seneca in Hippol. act. 2. ſc. 1.

Vt nunc pleno lucida cornu
Totis fratris vt obuia flammis
Condat ſtellas luna minores,

Nunc oſcuro pallida cornu
Phœbo propior lumina perdat.
Boetius l.1.metro 5.

Prima Deum terras glaciali ſidere circum
Luna meat, cœlumque ſuo terit vltima curru:
Dux clara in tenebris alienæ obnoxia flammæ
Æmula fraternis radijs, & ſolis ab ore
Ora fouens; quantumque ab Apollinis igne recedit
Hoc magis ipſa ſuum fundit mortalibus ignem.
Cornibus auratis primum, mox fronte refulget
Iam media, medium cœli dimenſa volumen.
Atque hinc obliquos vultus, turgentiaque ora
Nocte refert; tandemque vago digreſſa meatu
Exurgit Solem contra, plenoque coruſcam
Orbe comam, & fulvo totum caput explicat auro.
Pontanus l.1. de Stell.s.

At cum Sol abit aureus
Tu perfuſa liquentibus
Vndis Oceani vago
Luſtras æthera curru.
Currum lucida ſidera
Sectantur pede candido
Laſciuas meditantia.
Pura nocte choreas.
Tunc ſiluæ memor aureos
Flores, & violaria,
Et paruas ſegetes leui
Nutris humida rore.
Tu ferum mare temperas,
Tu Noti, & pluuiæ potens,
Tu partus aperis prece
Ter vocata puellæ,
Salue Dux bona ſiderum,
Altorum Dea montium,
Cultrix ò Erimanthij
Cynthijque receſſus.
M. Ant. Flaminius l.1.car.

Vecta ſereno Cynthia cœlo,
Tremebunda argenteo
Num venaris aſtra cornu?
Num bellatrix igneo
Ætheris vrſas impetis arcu?
Modò recurvis edita cunis
Primo rides lumine?
Modò pleno nites ore:
Mox incurua ſenio
Mœſta cadenti extingueris igne.
Orbe nigranti clauſa fecundum
Temet ipſas latitas:
Tibi rogus, & ſepulcrum

Te-

Temet ipſa tumulas.
Mox rediuiuos excitas ignes.
Fida diurni luminis hæres,
Occidente Delio,
Breue ſideris fraterni
Reparas diſpendium
Latè micanti vultus honore
Modò nitenti falce minaris,
Modo iugo, cimbula,
Modo portu ſinuaris;
Et mutantem ſimulas
Æquore cœli Protea formas.
P. Mar. Bettinus in Lyc. l. 2. chor. 1.

Sic Regina nitet ſtellarum Luna bicornis
Nocturno cum pura mari, ſtagnoque nitenti
Imminet è cœlo tremula cum lampade, & vndis
Concolor, in fluctus argentea lumina vibrat.
P. Tar. Gallutius l. 1. poem. 6.

Menſtrua ceu rutilum vehitur cum Luna per axem
Iam ſoli coniuncta latet, iam diſpare curſu
Diſſita vicino monſtrat creſcentia Soli
Cornua, fulgentemque implet longinquior orbem.
Ac modò per ſuperas arces obit ardua celſi
Cardinis aſtra nitens hoſpes. modo condita preſſo
Errat, & oppoſitum noſtro videt abdita mundum.
Ac modò concordes curſu propiore planetas
Conuenit; inconſtante fugax modò vertitur aſtro,
Qua vagus accenſam flammis diſcordibus error
Abripit, Arctoiſque fauet modò proxima ſignis:
Aduerſos inimica modò ſe torquet ad auſtros:
Nec tamen anguſtum, quem longo Ecliptica flexù
Linea deſcribit, callem dilapſa relinquit,
Ac minus impoſitos ad ſolſtitialia fines
Tranſilit aſtra rotis leuibus, ſemperque ſerenum
Parte nitens media bibit imo ſidere ſolem.
P. Ant. Chanut. in Parn. poet Soc. Ieſu.

Siderei regina chori, Latonia Phœbi
Magna ſoror, prolesque Iouis, ſeu Delia certum
Nomen habet; Lucinæ, Hecates, Triuiæque triformis,
Dictinnæve Diana magis cognomine gaudes:
Exere Virgineum cœli decus, exere magnum
Ore iubar, varios monſtra per cærula vultus.
Nempe ſeneſcenti poſtquam ſe condidit aſtro,
Iam ſoli coniuncta latet, iam ſepare flamma
Candida curuatam flectens in cornua frontem,
Prima renaſcentis reparat ſpectacula formæ.
Tum noua lucentis ſenſim incrementa figuræ
Accipiens, medio ſecat aurea lumina vultu,
Partiturque globum; iunctis tum cornibus orbem
Implet, & illuſtrem toto trahit ore colorem.
Idem Ibidem.

Haud ſecus ac vacua Solem trahit. æmula fronte
Cunctaque maternas in corpora ſubdita vires
Accipit, ambito de ſe caritura parentis
Nomine, & effœtis impos dare ſemina terris
Luna, per extremum cœli quæ labitur axem.
Hac ſoli ſubiecta ſitu, virtute miniſtra
Seruit in omnigenos fœtus; neque principe ſolis
Fœta parit vi terra, graui quin protinus aſtro
Conferat in ſociam de ſole puerpera prolem.
Quin etiam rapidi clemens nimis acria phœbi
Lumina, & implacidos placida vi ſideris ignes
Temperat, in tantum terris vicina fauorem.
Hæc leuibus dat iura Notis, dat iura procellis,
Oceano refugos leges imponit in æſtus,
Hæc flores tibi terra tuos, hæc gramina campis
Arboribus ſua poma, ſuos animantibus ortus
Efficit, incrementa, vices, vitæque tenorem.
Humanos regit hæc Solis collega labores,
Partubus imperioſa præeſt, & prolis in artus
Exercet dominas regali ſidere vires.

Idem ibidem.

Lunæ maculæ.

QVin etiam licet atra genas, & opaca per ora
Pallor eat, tamen interior qua cogitur orbis
Denſa ſitu magis, & ſcabra rubigine ſordet
Ergo & cum Solem aduerſum ſe agit vndique & ipſum
Impleuit radians Phœbei luminis orbem,
Qua ſqualet parte, atque horret caligine, denſas
Obducit maculas, & ſe ſua reddit imago
Aenea qualis vbi clypei fulgentis ab ipſo
Sole repercuſſa eſt, aurato fluctuat orbe
Clara aciem flammis, & luce coruſca decora.
Verum ſi qua tamen nitido ſuper ære reſedit
Scabra ſitu, turpiſque atra rubigine labes
Stat maculis obducta aciem, ſtat ſqualida vultum
Non Phœbi radijs, non vili peruia flammæ.

Pontanus l. 1. de Stellis.

O decus auguſtum macularum: accenſa perennant,
Ingentique notæ deſcribunt ora figura.
An pellucidior pallæ, vel opacior aſtri
Pars ea? velamen ne tuum, ſpeculumne Deorum
Illud? an oppoſitæ veſtigia pallida terræ?
An miſſæ tædis quondam auxiliaribus vmbræ?
Forte per hæc noſtrum videant ſpecularia mundum
Lunares populi: quidni quoque noſtra viderent
Cælicolæ? an ſuperi foret hæc via peruia mundi?

P. Ant. Chanut in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Luna

Luna deficiens.

OMnia perpetuis cœlo quæ fulgida flammis,
Seu curſu gauiſa vago, ſeu fixa perennes
Voluitis excubias mundi, nunc ſidera totas
Si quis honos, animate faces: en perfida tellus
Pugnat agens, tota ſe mole interſer t aſtris
Fratribus, horrentem denſæ ferruginis vmbram
In Lunam vibrat: in medio, proh ſidera! curſu
Deficit, occaſum medio fert condita cœlo
Luna rubrum patiens rapto ſibi Sole laborem:
Ecce globi iam prima nigræ pars pallet ab ictu
Cuſpidis: ingeminat tellus à vulnere primo
Acrior, addenſatque graui caligine noctem
Funeream, tetra ſe totam interquet in vmbra,
Luctatur, fugit, alternos trahit ore colores
Incaſſum: gemit aſpectum vaneſcere Solem
Ex oculis, videt audacis crebreſcere terræ
Prælia, victorem ſentit iam læſa furorem
Hoſtis, inops hæret, picea fuligine ſenſim
Squalet, adhuc primæ retinens inſignia formæ. *Et inf.*
Sed iam tota perit ſpecies, frontiſque serenæ
Auguſtum decus: horrenti velamine mœrens
Conditur: attoniti ſpectant trepidantibus axes
Ignibus; armato ſplendentia ſidera ſigno
In terras vim Marte parant.

P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Stella.

TE ne illum aſpicio, quem quondam aſpexit Olympus
Flore coronantem terras, totoque ferentem
Æthere luciferos, oculatæ lumina noctis?
Tu faciles obitus, faciles das ire per ortus
Quà regis æternos mundi verſatilis ignes
Et Taurum plauſtrumque lycaonioſque Triones,
Et ſobolem Ledæam, & noctiuagam Cynoſuram,
Atq; Helicen, atq; Hydram, atq; auripedem Nelanſppem,
Et pluuias Hyadum flammas, toruumque Booten,
Anguineumque iubar cum ſidere Centauren,
Et formidatum nautis Oriona nimbo,
Errantemque Iouem cum pignore Cylleneo,
Et tardum genitorem æui ſua ſæcla morantem,
Gradiuumque patrem, & dulcem inſidijs Cytheream,
Et regem Titana die, luciſque parentem,
Et celerem curſu Dianam, & fronte bicorni;
Quæque pares ſpatijs diſtinguunt ſidera menſes
Et verſas duodena vices, annumque reducunt,
Et quæ alios ineunt alio diſcrimine curſus,
Seu maris occiduo properent ſe mergere fluctu,

Seu nunquam caſura poli ſe vertice ſummo
Semper agant circum paruo labentia gyro.
P. Pulchrellus l. 1. poem. 2.

Aſpice vt elatis abeant ceu bellica ſignis
Agmina in æthereas cœlo digeſta cohortes,
Aſtra ſuis affixa plagis, curſuque perenni
Æternum ſubeant vltro indefeſſa laborem.
Hic illis natura labor: nec egena per æuum
Lucis inextincta vibrant per cœrula flammas
En vt in anguſtos duplex ſe contrahit orbes
Vrſa, regens dubios incerta per æquora nautas,
Quæque tenax ambire polum, quo ſibilat igni
Longus hyperboreas draco qui diſcriminat Arctos?
Vt ſtellas expandit olor? chelys aurea tendit
Sidera? quam clarus ſtellis armatus Orion?
Vt radijs micat Alcides? vt candida Perſeus
Aſtra nitens rutilę victor quatit aſtra Meduſæ?
Andromede quam pulchra riget, quo lumine Cepheus
Ardet? vt acta ferit radijs ſua plauſtra Bootes?
Candicat accenſos vt Caſſiopea per ignes?
Et Berenicææ coma fulgurat aurea flammæ?
P. Ant. Chauut in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Alter circulus abditi
Claudit ſigna poli, bellua corpore
Immanis, & tumido capax
Hic Balæna maris ventre, minacibus
Cœlum terret hiatibus:
Hinc longo fugiunt ſidera tramite.
Illi ſed propinquior
Audax Eridanus, ſed refugo tamen
Amnis callidus alveo
Declinare ferę triſte periculum.
At quantus lepori tremor,
Quamuis Eridano ſtet procul integro?
Orion quoque turbidus
Vertit terga truci concita belluę.
Lærnæ fabula centiceps
Zona diffugiens excetra torrida
Excurrit procul in Notos,
Et cœli medium corpore diuidit:
Alto maior in æthere
Quam quondam patrijs Hydrâ paludibus,
Caris ignibus aureum
Craterem medio corpore ſuſtinet.
Caudæ longa volumina
Roſtro Coruus ouans tundit, & acribus
Prędam diſtrahit vnguibus:
Stellæ de rutilo ſanguine profluunt.
Lux eſt ſplendentibus aureis
Sanguis ſideribus, cuſpide Thyrſiger
Centaurus rigida vibrat.

Te-

Telum, iuſta ferens vulnera Sirio:
Stringit dentibus igneis
Ad vibrata Canis ſpicula, flammeis
Rumpens ora furoribus.
Nec veſana procul flamma Caniculæ:
Quo tractu licet ætheris
Ardens exuperet Sirius, hæc tamen
Sævis faucibus acrior
Vincit luctifico fulgure Sirium.
Claris tenſa rudentibus,
Antenniſque regens carbaſa, cœrulis
Cœli fluctibus innatat
Argo Colchiacis nota laboribus.
Tandem pulchra Noemicæ
Hic ardet radijs forma Columbulæ,
Et quæ Caucaſeam ratem
Penna diffugiens præpete liquerat,
Inter ſidera nobilem
Clari nacta locum ſideris emicat.

Idem ibidem.

Stellæ Cœlo ſereno fulgentes.

QVale decus cœli ſemper, cum nocte ſerena
Aurea, cœruleo labuntur ſidera mundo,
Quæque ſibi metata locum, ſplendentia lętis
Cœrula diſtinguunt flammis, ac æmula primæ
Laudis honoratos accendunt ignibus orbes,
Componuntque faces, & viuida lumina torquent.
Omnibus eſt auri ſpecies, & fulguris ardor
Omnibus, emiſſæque globis ceu ſpicula flammæ.
Inclita ſidereis cœli plaga cœrula tædis
Pandit, & ipſa ſuos hyali lucentis honores;
Æthereamque poli rapida vertigine ducens
Orbibus ęthereis aſtrorum ex ordine pompam.
Ardua fulgentis pandit miracula cœli,
Aureaque attonitis pandit ſpectacula terris.

P. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Planetæ ſeptem.

FIxa ſuis hic aſtra locis, errantibus amplum
Pandebant ſpatioſa ſinum: Saturnus obibat
Fronte Iouem triſti, lętos accenderat ignes
Iuppiter, ardentes Mauors ſuccenderat iras
Flammeus, obliquos cœlo Sol ibat in orbes;
Indiuiſa comes Solem Cytherea premebat,
Mercuriuſque ſequens famula face, menſtrua curſum
Luna laborantem vario diſcrimine formam
Ore gerens propior terris elementa legebat.

Idem ibidem.

Stella è cælo cadens.

SÆpe etiam Stellas, vento impendente, videbis
Præcipites cœlo labi, noctiſque per vmbras
Flammarum longos à tergo albeſcere tractus.
Virg. l.1.Georg.

Intonuit læuum, & de cœlo lapſa per vmbras
Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.
Illam ſumma ſuper labentem culmina tecti
Cernimus Idæa claram ſe condere ſilua
Signantemque vias: tum longo limite ſulcus
Dat lucem, & latè circum loca ſulphure fumant.
Virg. l.2. Æn.

Lucifer ſeu Phoſphorus.

IAmque iugis ſummæ ſurgebat lucifer Idæ
Ducebatque diem.
L. 2. Æn.

Quali vbi Oceani perfuſus lucifer vnda
Quem Venus ante alios aſtrorum diligit ignes
Extulit os ſacrum cœlo, tenebraſque reſoluit.
Virg. l.8. Æn.

Picta vagas matura rotas, & ianitor æui
Lucifer, aurato torquens à cardine cælum.
P. Pulcharellus l.5. poem.1.

Heſperus.

SIcut agit leuibus per ſera crepuſcula pennis
E paſtu volucres ad nota cubilia Veſper.
Sil. Italic.l.2.

Iamque diem ad metas defeſſis phœbus Olympo
Impellebat equis, fuſcabat & Heſperus vmbra
Paulatim infuſa properantem ad littora currum.
Idem l. 11.

Nondum feræ nuncius horæ
Nocturna vocat lumina Veſper.
Seneca in Thyeſ. act. 4. in Cho.

Lucifer idem atque Heſperus.

ROſcida iam nouies cœlo dimiſerat aſtra
Lucifer, & totidem lunæ præuenerat ignes
Mutatus nocturnus equo; nec conſcia fallit
Sidera, & alterno deprenditur vnus in ortu.
Statius Theb. l.6.

Qualis

Qualis eſt primas referens tenebras
Nuncius noctis, modo lotus vndis
Heſperus, pulſis iterum tenebris
Lucifer idem.

Seneca in Hyppol.

PARADISVS

Siue Sedes Beatorum.

Paradiſus in ſpeciem Vrbis.

Ecce propinquabant cœlo, & iam cominus aureæ
Tecta micant æternæ Vrbis, radiataque gemmis
Limina, & ardentes ſtellato cardine poſtes
Iam ſtratas adamante vias, & ſidere texto
Luciferoſque altè ſtructos pro marmore ſecto
Conſpiciunt: altæ pandunt adita vltima portæ.
Hic numerus regnantum ingens; quot millia nuſquam
Vlla ferent hominum terris, aut vlla tulerunt
Sæcula, nec totidem numerant mar'a omnia fluctus,
Præfulgent omnes habitu, & candore niuali:
Siderei vultu iucunda luce renident.
Et roſeam gemmata comam diademata cingunt,
In manibus nitidæ victorum inſignia palmæ,
Plauſus vbique ingens, & multiſono modulatu
Gens varijs operata choris.

P. Fulcharellus l. 1. poem. 6.

Dædala gemmiferis conſurgunt mœnia pinnis,
Chryſolituſque rubens, maculiſque infectus Achates
Fundamenta locant, quæque auro nobilis Hermus
Educat, hic etiam pedibus calcantur euntum.
Chryſtallus ſtrata ampla tegit, flauique renident
Gangis merce trabes, & vitrea flumina ſanctas
Ambitioſa ſecant per gemmea compita ſedes.

P. Tar. Gallutius l. 1. poem. 8.

Quis pacem illius patriæ, quis gaudia narret?
O pacem! ò patriæ gaudia rapta meæ!
Grandia conſurgunt ſed vbique palatia Regum:
Regibus optandas parſque habet omnis opes.
Iſthmiaco ſtant ære fores, poſteſque Smaragdus,
Et pretioſa domus limina fundat Onyx.
Aurea tecta nitet: paries micat illitus auro;
Materiemque ſuam cedere forma iubet.
Atria Beryllo cruſtantur, & aula Pyropo:
Porticus innumeri lucem adamantis habet.
Sternuntur radiante viæ, plateæque metallo,
Lucentemque frequens incola calcat humum.
Argenti vileſcit honos: gemmæ omnia gemmæ,
Has etiam viles copia mira facit.

P. Bidermanus l. 1. Heroid. epiſt. 4.

Nocte caret regio hęc, caret atro veſpere Titan,
Qui radio nunquam deficiente, nitet,
Sunt procul hinc Hyades procul atro nubila tractu:
Nec grauis Vrſa gelu, nec nocet igne Leo.
Quid plateas auro rutilas, quid compita cantem?
Aut quid Erythręis atria picta bonis?
Mœnia quę dicam? argenti non mœnia dicam;
Purius argento quę ſolidauit ebur?
Sardonychas dicam in tectis, & Iaſpida valuis?
Cum pretio longè nobiliore micent.
Lucidiora tamen fora ſunt, diuiſaque Diuis
Curia, quaque alta Numen ab arce tonat.

P. Biſſelius Vern. l. 3. el. 20.

Olli quadra cubo facies, & frontibus equis
Per latera aſſurgunt cryſtallina Iaſpide muri.
Cardinibus mundi quatuor totidem obuia contra
Stant latera, & ternis panduntur ſingula portis.
Aligeri vigiles biſſeni limina ſeruant.
Immanes totidem portis viſuntur Elenchi,
Excelſaque fores gemmato cardine geſtant,
Et tribuum bis ſex preſcriptos nomina poſtes,
Pace ſtata, nullo claudendos tempore poſtes.
Biſſeno lapidum textu fulgentia longè
Fundamenta tenent grandes miro ordine gemmę,
Subſtructaque ſedent Lapidis compagine viui.
Quem Pater ipſe manu tantę in fundamina molis,
Demittit cœlo primum, quo fabrica ſidat
Omnis, & ęterna ſurgat ſolidiſſima petra.
Facta fabrè obryzo, gemmiſque palatia ſplendent,
Æquatiſque vias ſpatij demenſa domorum
Atria, quę totidem credas Pretoria, cingunt.
Strata nitent auro ſola, perſpicuoque metallo,
Omnigenos rerum referunt cum lumine vultus.
Hic ſecura quies, hic & ſincera voluptas.
Nullo miſta metu, vicibuſque obnoxia nullis;
Et ſatians citra ſatiem, procul exulat vrbe
Omne malum, & ſacros poſſit ne accedere muros
Damnatum tenebris chaos irremeabile claudit,
Æterniſque tenet Vindex in carcere vinclis.
Et ſeruat Deus ipſe ſuos. Tantum inſtat in vno,
Tantus honos, tantumque boni Deus vnicus omne
Omnibus eſt, ſuperatque omnes, & prodigus implet,
Et ſatiat ſenſus animorum; vnoque tenore
Digerit ęternum vitę inuariabilis ęvum.

P. Ant. Millieus l. 27. Moyſ. Via tom. 2.

Paradiſi pars ſecretior Sanctiſſimæ Trinitatis domus.

EST in ſecreta cœli regione, latentis
Trans anni metas, & limina Solis Eoi

Sub-

Sublimis tholos, & paribus diſtincta trichoris
Atria ſidereum Triados teſtantia Numen:
Non opus humanum; diuina decempeda finxit
Neimpe nec aurato moles operoſa metallo,
Argentoue micat: faſtidit humilima cœlum,
Et gemmas conferre pudet, quibus ęmula tellus
Iudice ſe nimium plaudit ſibi; nobile tectum
Materia meliore nitet; nec dicere poſſis
Quale decus: tantum qui lucida mœnia format,
Aut idem ſol eſt, aut ſaxa ſimillima ſoli.

P. Guiniſius poem. 1.

Paradiſus in ſpeciem loci amœniſſimi.

NOn vitę fraudes illuc, non ęgra ſenectus,
Non luctus, non morbus adit, non turpis egeſtas,
Non veſana fames auri, non dira cupido,
Et centum quę corda premunt mortalia curę,
Non ibi nimbifero ſuſpirant flamine Cori,
Nec mala tempeſtas, nec vis furit aſpera ponti,
Nec montes nix alta tegit, campoſque pruina.
Quin etiam durę ſunt obdita limina mortis;
Quęque domat mortale genus, quę conterit omnia
Hic teritur, perditque ferox data iura nocendi.
Illic purpureis collucent arua roſetis:
Fragrat humus violis, & molli pinguia muſco
Prata virent, luditque fugax è fontibus vnda:
Illic concretis è cortice balſama guttis
Deſudata fluunt, illic per amœna viarum
Felices animę iucunda obliuia potant.

P. Tar. Gallutius l. 1. poem. 5.

Non humiles iſtic curę, non vilis egeſtas
Non parit alternas menſtrua luna vices
Non vitam durę rapit inclementia mortis,
Non properat celeri curua ſenecta pede.
Sed niuei ſine labe dies ducuntur in ęuum,
Ducitur, & dulci flore iuuenta viret,
Culmina non iſtic rigida veſtita pruina,
Aut nemorum duris brachia tunſa Notis.
Aſt hilaris vernę patet indulgentia lucis,
Et rubet Aſſyrijs prodiga terra roſis.
Arvaque luxuriant zephyro fœcunda magiſtro,
Subdita nec ſolito mollia prata modo.
Vmbroſumque nemus platanoſque per obvia nexas
Inſilit, & grato carmine mulcet auis.
Sponte ſua fruges, & ſponte reſurgit amomum,
Pullular & nardi ſponte renata ſeges.
Et modo Achemenio frondeſcunt vimina caſto,
Et modo de truncis balſama odora fluunt.

P. Tarq. Galutius l. 2. el. 4.

Hic ſibi lętitię proprios fixere penates,

Plauſibus æternis atria tota ſonant.
Exulat hinc gemitus, lacrymaſque in limine primo
Hoſpitibus cunctis ſiccat amica manus.
Hic alios ſoles, hic altera ſidera cernes,
Vna manet noctem non habitura dies.
Temperies æterna ſoli eſt: ver occupat annum,
Hic zephyri molles, & ſine ſente roſæ.
Hic ſine fæce merum eſt, pura hic ſine felle voluptas,
Hic ſine marte quies, & ſine morte vigor.
Nectaris hic riui, lactis quoque flumina currunt,
Et liquido paſſim melle vireta natant.
Ardua cæſareo placeat ſi regia cultu,
Et rapiant oculos marmora picta tuos.
Cæſareos vincent radiata palatia poſtes,
Et ſuberunt plantis picta aſarota tuis.
Omnia ſtant auro: gemmæ calcantur & aurum.
Quid loquar? immenſum eſt, quod meditamur, opus
Quidquid vbique illuſtre, ingens, ſublime, decorum,
Continet hoc amplo patria noſtra ſinu.

P. Car. Verpaus l. 1. piar. lacr. el. 2.

Eſt locus in cœli medius regione ſerena
Diues opum variarum, & felix vbere læto:
Quem flauo ſeptena rigant circumſona lapſu
Flumina, nec dubio Mæander adæſtuat auro.
Auro ripa ſonat; vernat lita ripa ſmaragdo.
Obſcurant nemus vlterius, ſyluiſque coruſcis
Scena virет, pronaque amnem ſuperimminet vmbra,
Prouentu grauis ingenti defeſſa laborat,
Nec ſua poma, ſuas nec opes iam ſuſtinet arbor,
At fœtus varij toties per certa recurrunt
Tempora, quot circum menſes euoluitur annus,
Et dum pube vigent, dum poma rubentia pendent,
Maturo grauis autumno dum ſylua fatiſcit,
Iam tum læta nouum in florem ſe ſe induit arbor,
Iam tumido gemmant rupto internodia libro.
Prædita, ſed ſucco vitali poma feruntur
Qui virides anno, virides in corpore ſenſus
Poſſit, & æterna ſenium renouare iuuenta.
Hic Honor: hic omnes poſuere cubilia laudes,
Gaudia, feſtiui riſus, Concordia, Cantus,
Ingenuuſque Pudor, Candorque Æquumque, Fideſque
Et ſecura Quies, his gratior alma Voluptas.

P. Bernar. Stephonius car. 1.

Armamentarium cœleſte.

Eſt in ſecreta cœli regione latentis
Nixa ſuper duris moles adamantina gemmis,
Parietibuſque cauam ſurgentibus explicat aulam.
Hac cœli ſedes, loca fœta ferocibus armis,
Vltrices animæ, triſtiſque pediſſequa culpæ
Pœna ſubit, quoties vltorem crimina poſcunt.

Ill' c₃

Illic, vt perhibent, affixa trabalibus vncis
Inſtrumenta necis ſurgunt: it aheneus ordo
Armorum, circumque oram teſtudinis errat.
Hic exercituum terror, qui vulneris ictu
Vno eodemque, virûm mille agmina diſſipat enſis.
Hic clypei immanis fatalia pondera pendent,
Scutaque perpetuas vmbone tegentia terras
Fulminibus factura moram: nec fulmina deſunt,
Quæ freta, quæ terras, quæ fundamenta domorum
Peruellunt, quatiuntque imis è ſedibus orbem.
Hic ſæuæ bolides, flammæque tricuſpidis ignes,
Qui cum forte comam pandunt, & in aera purgant;
Accendunt toties minitantem dira Cometen.
Hæc belli domus, & telorum dira ſupellex.

P.Guin:ſius car.5.

DEVS.

A poteſtate, vel effectis.

O Qui perpetua mundum ratione gubernas
Terrarum, cœlique ſator, qui tempus ab æuo
Ire iubes, ſtabiliſque manens das cuncta moueri:
Quem non externæ pepulerunt fingere cauſæ
Materiæ fluitantis opus; verum inſita ſummi
Forma boni, liuore carens tu cuncta ſuperno
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipſe
Mundum mente gerens, ſimilique ab imagine formans
Perfectaſque iubens perfectum abſoluere partes,
Innumeris elementa ligas, vt frigora flammis,
Arida conueniant liquidis, ne purior ignis
Euolet, aut merſas deducant pondera terras.

Boetius de conſ philoſ.l.3. me.9.

Salue magne opifex cœli, Rex maxime diuum,
Terrarumque, hominumque ſalus, quem ſidera, quem Sol,
Quem metuunt Reges tenebrarum, & Tartarus ingens:
Cui latè humanum ſeruis genus, omnia ſolus
Qui regis, omnia amas pariter, tibi nomina mille,
Mille poteſtatum, regnorum inſignia mille.

Sanazzar.l.3. de par.Virg.

Tuque, parens mundi cui rerum militat ordo,
Sidera cui parent, quo præſide cuncta geruntur:
Nata vigent: non nata ſuo de ſemine vitas
Accipiunt, auctuſque ſuos: dein aucta ſeneſcunt:
Quem mare, quem tellus, quem Tartara nigra tremiſcunt
Cui coniuratæ veniunt ad iuſſa procellæ:
Omnia qui ſubter rapida vertigine torques;
Omnibus infuſus, nuſquam depreſſus, oberrans
Omnia, vitali nunquam conſtantia forma

Ma-

Materię vitio: motu fluitantia ſiſtis:
Et ſeriem abſimilem ſimili de ſtamine nectens
Diſſimilis ſobolis generatim ſœcula texis.
Et tibi cum conſtes idem, modo facta reſignas,
Iam ſubmota vocas: remoues accita: ſenecta
Iam collapſa nouas: ſenio renouata reſoluis:
Das animas, adimiſque, & lumina morte ſoporas.

P. Stephonius car. 3.

Non ille nectit fœdere ſordido
Mortale corpus, Numine candido
Simplex, & impermiſtus omni
Labe Deus, ſocięque partis.
Immunis, omni ex parte beatior,
Et aptus ex ſe, nullius indiget;
Nil deſit illi, ſed reſorbet
Fonte velut decus vnus omne.
Summam bonorum ſcilicet vnicè
Ille implet ingens, namque recolligit
Cunctam redundans; manat inde
Vena boni, fata viſque rerum,
Nullus coercens terminus obſtitit,
Inane mundi complet inhoſpiti,
Et geſtit immetatus vltrà
Tendere liberiore voto.
Pręſens, & extans temperat omnia
Nec fortuito, fingere ſeu potens,
Diffingere orbem ſiue, magno
Arbitrio, faciliſque nutu.
Quodcumque ſanxit Numine prouido
Mutare quondam neſcius, integer
Dicti, nec ęternum refigit
Conſilium leuius moueri.

P. Io. Bapt. Maſculus l. 1. ode 26.

Eſſe meum eſt, Ego ſum qui ſum, nam ſomnia, & vmbrę
Cœtera, quippe meo ex vno pendentia nutu,
Quo tantum à nihilo diſtant, poſſuntque reuerti
In nihilum, ſed magna mei vis nominis omnia
Ambit, & immenſam ſummam ſe colligit vno:
Tam nullius egens extra, quam ſe intus abundans:
Vnde foras tot opum exundat ſcaturigo perennis.

P. Ant. Millieus Moyſis Viat. l. 1.

O ſeu vis, ſeu mens, ingens ſeu ſpiritus ille,
Qui mare, qui terras, qui cœlum numine comples,
Cuncta mouens, mota amplectens, amplexa gubernans:
Primo te eſſe quidem cuncti ſentimus, & vnum
Inde bonum ſimul experti, verumque vocamus.
Nec tamen es tantum veruſque, vnuſque, bonuſque,
Ipſum eſſe, ipſum vnum, verumque, bonumque vocaris.
Quod fieri nequit, ipſe potes, potes omnia, quando
Nec tibi vis vlla obſtat: agis ſimul omnia, nec te

Eſt.

Eſt opus ante animo, quod agis, verſare ſagaci.
Quod vis id potes, idque ſimul molimine nullo
Perficis: vſque tuum ſanè eſt opus ipſa voluntas,
Quod loqueris, facis idem, opus & vox editur vnà,
Vt dixti, vt ſubito ad verbum emerſere creata
Omnia, & ex nihilo cœpit ſplendeſcere mundus.
Tu rerum tu principium, tu terminus idem.
Principium, ſine principio, ſine fonte ſcatens fons,
Tu tibi principium, tibimet tu terminus ipſe.

Apud P. Laur. le brun. to. 2. eloq. poet.

Deus immenſus.

NOn vſquam locus vllus, vbi non ipſe quieſcas,
Omnibus inque locis ades omni tempore præſens
Diditus in partes omnes, tamen omnis vbique
Integer vſque manes, nec te regio vlla prehenſum,
Concluſumque vſquam cohibent loca, liber vbique
Funderis, atque extra nullus te terminus arcet.
Et ſi quid mundus quod non circumambiat vſquam eſt,
Id nihil eſt, niſi tu, tuaque haud finita poteſtas.
Non oneri tamen es rebus, quibus inſitus hæres,
Ipſe ſedes tibimet ſedes gratiſſima vbique.
In te vno requies tua, tu te nixus in ipſo es.
Cuncta tua replens vi, es totus in omnibus vſque,
Omnia ſuſtentas, procuras omnia, aliſque
Dum præſens ades, ipſa tua eſt præſentia vita.

Apud P. Laur. le brun. loc. cit.

Deus trinus, & vnus.

PRincipio Pater omnipotens rerum ſator & fons
Ingens, immenſus, ſolus regnabat vbique:
Nondum ſidereos mundi procuderat orbes,
Nondum mundus erat, nec dum ibant tempora in orbem,
Nullaque cœruleo radiabant lumina cœlo
Quicquid erat, Deus illud erat; quodcumque vbicumque
Complexus circum, penitus ſe ſe omnis in ipſo.
Filius huic tantum, quem non effuderat vlla
Vel Dea, vel ſolito mortalis fœmina partu:
Ipſe ſed æterna Genitor conceperat illum
Æternum æternus (dictu mirabile) mente.
Haud olli terreni artus, moribundaue membra,
Sed ſine corpore erat, Patris alta vt mente ſupremi
Conceptum, arcanoque latens in pectore Verbum,
Omnipotens Verbum, finiſque, & origine expers
Vtque Pater Deus, æquè etiam Deus vnica proles,
At geminos tu proinde Deos fuge credere porrò:
Numen idem ſimul ambobus, Deus vnus vterque eſt.
Quin etiam, quo inter ſe ambo iunguntur, Amorem
(Namque ab vtroque venit conſpirans mutuus ardor)
Omnipotens æquè Numenque, Deumque vocamus
Afflantem maria, ac terras, cœlique profunda,

Afflan-

Afflatu quo cuncta vigent, quo cuncta mouentur.
Treſque vnum eſſe Deum, ter Numen dicimus vnum.
Hieron. Vida Chriſt. l. 4.

Tunc ille omnipotens quem cœlitis alma Parentis
Mens habet vnigenam? quem numine fœta perenni
Æternum paritura parit, fingitque tuendo?
Scilicet in ſe aciem dum colligit, & ſua cernit Ora
Pater, ſat nota ſibi, ſat prompta videri
Et propriam viſu faciem pulcherrimus haurit,
Nec ſe ſe aſpectu ceſſat luſtrare profundo.
Tu faciem in tantam viuax obtutus ab alta
Mente venis, fixi tu luminis edite iactu
Irradias, vultumque Deo, numenque Parenti
Exprimis innaſcens oculis ſpectantis imago,
Ille tua ſe fronte notat, ſe luce figurat
Illucente tuis natalibus: in tua ſemper
Inditus ora ſimul, ſimul obvius aſpectat ſe,
Nil faciat Genitor, nullo molimine dextram
Exerat, aut vſquam nutus, & prouida mentis
Lumina conuertat, niſi lumine gignat eodem
Te ſibi conſpicuos animantem ad ſingula viſus,
Atque acie in ſumma mentis clareſcere natum
Pro viuo intentu, & fixo pro luminis ictu.
Tu patris vis vna oculis, tu parta videndo
Forma Dei, quamuis eadem diuerſa videnti,
Nec viſo diuerſa Deo, nec didita ſenſu
Progenies, quamuis partu diſcreta paterno.
Tu genus æternum, tu numinis incrementum
Ætherij, tu Numen idem, tu pectoris hæres
Arcani, tu pectus idem, tu pignus amanti,
Tu gremium geniale Patri, tu nata propago.
Olli idem omnipotens, idem arbiter, & Superum Rex,
Idem orbis moderator, & idem innaſceris auctor
Alter ab æquæuo Genitore, nec alter ab vno
Diue Deo, & ſic ille tuo ſe prodigit ortu.
Nempè ſui te dulcem animam, te mentis opimæ
Poſſeſſorem æquæuum, æternum, & iure beandi
Sponte parem, rerumque æqua ditione potentem,
Tam ſimilem aſpectu, quam Numine gignit eundem,
Quos inter medius vegeta ſpirabilis aura
Vrget amor flammas, pariterque amplexus vtrumque
Alterum in alterius præcordia condit amantem,
Terriaque elicitur de Numine forma triformi
Illa fouet fax vna duorum indiuiduum cor,
Atque olli cor idem fons & vitalis origo.
Si non illa venit partu ſata mentis imago,
Pectoris ex adyto tamen expirata profundo
Secum haurit ſine fine ſuum vis ignea fontem,
Illa duos ſecum dum pectore colligit vno,
Hunc illum intercurrit amans, & fœdus amoris
Nil vtrique impar, vtrique ſimillima vultu,
Pro ſimili tamen exemplo non obuia cerni

Vis

Vis à Deo, ſed non ſpecie furata videntem.
Vna eademque anima ſimul editur; inditur illa,
Vna inter geminos, & vtrique alterna voluptas,
Mutua, par, ſimplex, eademque ad vota cupido.
Non ea naturæ, vel Numinis altera cenſu
Verum habitu vultus, & originia altera ductu,
P. Fulcharellus l. 1. car. 1.

Vt Deus haud alia, ſe præter, origine Numen
Emicat immenſum, magnoque exæſtuat auctu:
Qualis ab immenſo ſoboles immenſa parente
Effluit, & ſimili Genitor ſibi pignore gaudet:
Rurſus vt ad ſimilem Genitorem verſa recurrit
Progenies, ſimilique calet Genitoris amore:
Vt Pater, vt Soboles alternæ incendia flammæ
Miſcet, & alternum redamando expirat amantem,
Et Patris, & Sobolis ſimilem, mediumque per ambos
Currentem, Sobolique Patrem, Sobolemque Parenti
Fœdere nectentem, tum vulnera grata ferentem,
Æquæuum, immenſum ſpirabile Numen Amoris,
Ambobus geniale bonum, Sobolique, Patrique.
Nec quia tam pleno toties exuberat æſtu
Sinceri natura boni, tranquilla voluptas,
Numinis vbertas, augetur turba Deorum.
Vnum Numen idem tribus eſt, tribus vna poteſtas.
Vna tribus natura Dei, tribus vna voluntas,
Maieſtas tribus vna, Deus ter dicitur vnus.
P. Stephonius in H. ro. car. 2.

Trium cor vnum, Numen idem trium,
Simplex Numen, ter quoque maximum
Nota profundo immenſus ambit
Amne tuens Deus ille Diuos.
Natus feraci pectore funditur
Verax imago Patris, & exprimens
Oris, paterni iuris hæres,
Dia, potens, fata viſque mentis.
Namque obruendo dum Pater altius
Se ſpectat, æqua prodit imagine
Deo refuſus mente dia
Par Deus, ore pari, ore eodem.
Hinc corde manat par vigor, ac Deus
Amorque regnator; redamantium
Amica vis Nati, Patriſque
Flamma reciproca cordis vna
Ignita vis, ſpirabilis ac Deus
Perenne nexu fibula vinciens
Vtrinque, & arcens cor tenaci
Perpetuum religante nodo.
P. Io. B. Maſculus l. 15. Ode 1.

Sa-

Sapientia diuina.

CÆli Diva lepor, primævi lactea veri
Copia flos animi, candor probitatis, imago
Vivi viua Dei, ſoboles æquæva Parenti,
Numinis vbertas, exemplum Numinis hæres,
Conſilij fœcunda parens, virtutis origo,
Inuentrix æqui, pulchri inuiolata poteſtas,
Aurea vis decorum, ſemper florentis amoris
Gratia, dux vitæ, iucundi ſemen honeſti,
Lex operum felix, moderatrix vnica morum,
Sinceri Regina boni, prudentia linguæ,
Ingenij Numen, laudum Sapientia mater.

P. Stephonius in Mimo actu 5. Sc. 1.

Prima parens operum genitrix Sapientia rerum,
Maxima diuinæ Soboles, atque incola mentis,
Nata coæua Patri, ſed neſcia mobilis ortus,
Vena boni, nec fonte minor, ſeu pronius vndat
Extra ſe, populoſque beat, ſeu continet amnem
Intra animi ripam ipſa ſui, ſeſeque reſorbet:
Vis eadem ſemper, nec ſe ſe copia maior,
Nec ſe ſe minor vnda; ſed vbere ſemper eodem
Detentis neque creſcit aquis, neque deficit hauſtis;
Viuida maieſtas, opulentia diues honorum,
Ætherei matrona chori, diuina Virago.
Numen, & immenſi vox Numinis, illa creatrix
Terrarum, cœlique potens, & temporis auctor.

P. Guinis ſuscar. 1.

Diua terrarum, pelagique præſes,
Dicta ſubluſtres habitare nubes
Inter, & latè cohibere pictis
Sidera frœnis;
Patris æternas imitata flammas,
Pura ſinceri ſoboles ſereni,
Mentis arcanum iubar, & coruſcæ
Filia lucis:
Par Patri natum ſine matre Numen,
Candor aſpecti ſine nube Veri,
Ingeni proles, genialis almi
Pectoris ardor:
O ſacer mundi lepor, ò decoræ
Fabra naturæ facies, paternæ
Mentis exemplum, liquidi ſerenus
Luminis imber:
Patris interpres, ſimilisque voci
Nata fœcundo Genitoris ore,
Vena virtutum, generoſa pulchri
Mater honeſti:
Ante formoſi vaga regna cœli,
Prima natales habuiſſe cunas;

An-

Ante vagitus, & anhela parui
Murmura ponti;
Antequam phœbi celeriſque lunæ
Veſper alternos reuocaret ortus,
Antequam montes, & opaca ſtaret
Montibus arbor;
Antequam tellus, & aquoſa Tethys
Regna diſſepta ſociaret vnda,
Et cauas circum ſonuere fluctu
Littora cautes;
Cœlibi Patris generata partu,
Cœlibi Patris generanda partu,
Lumen, & verum ſemel elocuti
Copia Veri;
Tu quater nexis elementa nodis
Molliter firmas, & iniqua magnæ
Bella naturæ premis, & quaternæ
Iurgia cauſæ:
Tu tuos cauſis ini tata vultus
Diuidis toto ſimulacra mundo
Numinis formam ſtudioſa vili
Fingere limo.
Cum Pater ſacro redimiret igni
Siderum crines, tenerumque Solem,
Et rudes Lunæ radios honeſto
Comeret auro;
Pondus & leges, faciemque rebus
Ipſa fingebas, variæque rerum
Te penes normæ numerique, & Ars, &
Lucidus ordo.
Tu vagas zona cohibente ſtellas
Auſa naſcentem religare phœbum;
Auſa naſcente nebularum amictu in-
Voluere terram.

P.Caſ. Sarbieuius lib.1. Epod.Ode 6.

Spiritus Sanctus.

ET vidi Patris, & Nati concurrere vultus
Conſpirare pari complexu, pectore in vno
Æternum flagrare rogum immortalis Amoris
Flamma Deus, Deus ardor erat; ſimul ignis, & aura
Par Patri, Genitorque Deus, ſed nomine diſpar:
Ordine ſecretus, natura diues eadem;
Flexus & è ſpeculo radius, ſpeculoque receptus;
Sed non Sole minor radius, quo funditur; vna
Non minor Oceano, quo ſpargitur; igne fauilla
Non minor immenſo; riuuſque, atque æquor honorum
Diuinæque voluptatis vis, impetus, ardor,
Veri forma, Patris digitus, cor, lingua, voluptas,
Halitus, vbertas virtutum, gratia, vita,
In ſpirantis amore Dei ferventior Auſter;
Conſumptor ſcelerum, quadriga, auriga ſalutis.

P.Car. de Luca l.1. Dom. Taur.

Chri-

Chriſtus Ieſus.

TV Puer æterno ſoboles æquæua Parenti
 Æquali Numen de Genitore fluis
Vno Patre minor, quia de me naſceris æqua
 Cœtera ſunt: genitum Numine Numen habes,
Sol de Sole micas, clarum de lumine lumen:
 Filius exoreris non oriente Patre.
Sic etiam ſplendor, ſimul ignis cœpit oriri,
 Emicat; effulges ſic Deus ipſe Deo.
Tu vigor æternus, tu virtus, dextera, robur,
 Patris in immenſo pectore templa tenes.
Tu ſpecies non ficta Patris, tu Patris imago,
 Conſilium, lumen, res opulenta, Deus.
Te Genitor gaudet genito, Genitore beatus
 Ipſe tuo gaudes, omnia Patris habens.
Hinc illa exundat Domino natiua voluptas,
 Hinc patrio ſemper gaudia fonte cadunt.
Ille tuos dulci amplexus deuinctus amore
 Semper amat, ſemper te redamante tenet.
Non fugis, vſque tenet: noſtro quamquam editus orbi
 Bis genitus terris conſpiciendus eris.
Verus homo, veruſque Deus ſpectabere terris:
 Patris eris ſoboles vnus vtrumque tui.
Vnus vtrumque Patris, ſoboles quoque matris: amores
 Vnus eris famulæ, belle Puelle, tuæ.

P. Bern. Stephonius eleg. 2.

Chriſte, Patris magni ſoboles, quem nulla creauit
Dextra Deum, potuitque Deus genuiſſe, ſed æqua
Maieſtate parem; tu magno à lumine lumen
Deſcendis de Patre Deus; nec honoribus illi
Nec regni ſplendore minor, tibi nulla coruſcum
Obſcurat caligo decus: nec fracta fatiſcit
Fatorum natura minis tibi fœta bonorum
Parturit hæc eadem bonitas, animumque perennem
Vis immenſa ſubit; tibi rerum præſcia mentis
Illuſtrat mens ipſa iubar, diffuſa per omnes
Temporis articulos, & quę longinqua trahentur
Ætatum ſpatia, & venientum facta nepotum.
Tu numen cœleſte, potens, venerabile ſanctum,
Virtutis menſura tuæ. *Et infrà.*
Nec puduit cœli ſobolem, mundique parentem
Mortali mox carne tegi; fert pondera Mater
Authorum complexa ſuum: geſtatur in aluo
Materni faber ipſe ſinus: pars arctior orbis
Numen habet, capiturque loco, qui laxior omni
Cuncta capit. Deus ecce Deus, lux maxima mundi
Obſcura regione latet, ſcribitque penates
Mens immenſa ſibi, & ſpatioſo maior olympo
Iam fit matre minor; cunctis antiquior annis
Naſcitur, atque ſui primordia ſupputat ęvi.

Gaſp. Barlæus Heroic. l. 1.

Au-

Auguſta proles, Nate Patris excelſi,
Squallentis obſolete ſordibus tecti,
Vbi illa decoris ſempiterna maieſtas,
Pareſque Patri gloriæ, tui faſces?
Æternus horas ſupputas tuæ vitæ,
Immenſus aluo clauderis tuæ matris.
In matre totus, totus in ſinu Patris:
Nec hic, vel illic ſegregatus in partes.
Nulli videndus, nunc videndus in terris.
Tot ſœculis præmiſſus inchoans ſœclum.
Deus perennis permaneus caro factus
Patri coæuus, nec coæuus in carne,
Æqualis illi, nunc tamen minor Patre.
Infans loquendi neſcius, tamen Verbum.

Idem par.2. Miſcell.1.1.

Beatæ Virginis Mariæ ſpecies & maieſtas.

PRoh qualis grauitas, & læti quanta venuſtas
Oris, in aduerſas iungunt contraria laudes!
Auguſtam ſpeciem, maieſtatemque ſerenam
Miſcet amabilitas, & amœnæ candida formæ
Gratia: diuinus blando ſe lumine terror
Temperat, arcanoque latens ſub qectore, vultu
Erumpit, dioſque oculis Deus afflat honores,
Et ſanctos niueis accendit amoribus ignes.
Nabilis arx formæ eximiæ, frons ardua lato
Margine, virginei ſolium regale pudoris,
Imperium generoſæ animæ, puri æmula cœli
Area, felici ſemper tranquilla ſereno,
Diuinæ ſpeculum mentis, geniale theatrum,
Omnis in aſpectum quo ſe producere virtus,
Et dare ſuſpenſo gaudet ſpectacula cœlo.
Molliter in roſeas blando protuberat auctu
Mala duplex tornata genas, neque difflua ſucco
Vbere nec tenuem tendens ſine ſanguine pellem:
Nempe Charis dedit ipſa modum. *Et infra.*
Ardent purpureo flagrantia labra corallo,
Siue roſis nimios oſtri moderantibus ignes.
Colla, ſinus, Charitum ſedes, & circus Amorum,
Æthereo quibus igne faces, & caſta niuali
Tela manu, ſanctumque ſonant in vulnus ab arcu
Sidereo; dignæque Deo, fons lacteus vndæ,
Quam ſitiet quondam membris mortalibus infans,
Cum ſugens liquidum Matris pendebit ad vber,
Oblongæ, gracileſque manus, orique colorem
Aſſimiles, velut è oi duo ſegmina dentis
Traxit vbi dubium longinqua ætate ruborem.
Cœruleis ramoſa tubis has vena pererrat,
Deſcribitque fluens, variatque alterna colores,

Ple-

Plenaque ſanguineæ riuis protuberat vndæ.
Hæ mundi natæ imperio, ſobolique ferendæ
Numinis, inferno factæ dare frœna furori,
Fundere in humanam felicia munera gentem.

P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Virgo verecundæ ſpecies digniſſima formæ,
Alta ſuper nubes, medio ſpectanda ſedebat
Aere, damnatæ fugiens contagia terræ,
Lætaque diſcluſo præbens ſpectacula cœlo,
Demiſſis erat illa oculis, flexuque decoro
Cernua virgineam, viſo ceu Numine, frontem,
Et niueum collecta ſinum, ſeſſuque modeſto
In dextrum protenta pedem, collecta ſiniſtrum,
Cancellata pias ad candida pectora palmas
Finxerat huic faciem decor ipſe: modeſtia frontem
Duxerat, & geminos in fronte tetenderat arcus
Cluſa ſupercilijs; oculos accenderat igne,
Purpureumque genis puro cum lacte ruborem
Miſcuerat pudor, in niueos ſucceſſis amores,
Sparſerat & nitidos candentia lilia collo:
Effuſos humeris crines illeuerat auro,
Splendentemque globo circa diffuderat auram
Gloria biſſeniſque caput præcinxerat aſtris,
Oebalius tunicam pretioſo ſanguine murex
Imbuerat: purum referebat cœrula cœlum
Palla, tegens medio à zona corporis artus
Inferior, fuſoque legens caua nubila limbo,
Monſtrabat cupido cum pectore brachia cœlo.

Idem Ibidem.

Ecce verecundo quos miſcuit ore colores
Virgineus pudor: vt niueam cum murice lucem
Iunxit, & innocuum ſeruauit vtrique decorem,
Vt modicè flexa ceruice modeſtia pronam
Compoſito frontem, demiſſaque lumina cultu
Finxit, & ingenuas veſtes, motumque decentem
Corporis, arcanæ monumenta in publica curæ
Qua iuſtum meritis metitur honoris amorem,
Et vanæ ventoſa fugit ludibria formæ:
At gravitas quam ſancta piæ, quàm ſeria fronti
Temperat infuſam ſpeciem, totoque micantem
Sidere. maieſtas radijs maioribus auget.
In placido ſedet ore quies tranquilla ſerenæ
Mentis, & ætherei ſplendens micat oris imago.
Comis amor, mitique tener dulcedine ſenſus,
Gratia diuino ſe confudere decori
His affabilitas dulcis comes, indita labris
Mollibus, in blandas ſe fundere nata loquelas.
Impreſſit manifeſta ſui veſtigia virtus
Omnis, & in ſancto pandit ſua lumina vultu.

Idem Ibidem.

A N-

ANGELI.

Angelus in ſpeciem iuuenis alati.

IT nimbo in medio, & varium radiatus amictum.
Vndantemque ſinum, curſuque auroque tumentem
Mille iacit circum rutilat fulgura pallæ,
Olli ſidereum caput, & grauis ore venuſtas
Promicat imperium; vincto coma nexilis aſtro
Porrigit effuſum colli per nuda capillum.
Æquatæ aſſurgunt humeris fulgentibus alæ
Remigium aerium, rapidique inſignia curſus.
P. Pulcharellus l. 1. car. 6.

Ibat ſublimis pictis pulcherrimus alis
Sidereus iuuenis vultum, frontemque decorus,
Spectandus pluma, tenero ſpectabilis ore.
Dulce oculi rident, roſeoque inducitur igni
Oris honor nitidi dubiam & lanuginis vmbram
Cœſaries intonſa tegit, longumque fluentes
Lambunt colla comę, perque aurea tempora ſerpunt,
Impubeſque genas niveo candore decentes.
P. Tar. Gallutius l. 1. car. 6.

Ecce autem ſuperis qui formoſiſſimus oris
Pennatos vincit proceres fulgentibus alis
In foribus princeps aderat. minus emicat ardens
Solis ab ore nitor: minus implet odoribus auras
Hortus, vbi teneros viridanti germine fœtus
Terraque maturas aperit de ceſpite gemmas.
Cœſaries humeros, & colla micantia lambit,
Spirat, & ambroſios nimium ſaturata liquores,
Et ſtellis aſperſa iubar, ſuper alba renident
Lilia, luciferis quę ſpira innectit achantis,
Et circum violas ridenti ſubligat aſtro.
Purpura ſe niueis, roſeis ſe gratia malis
Explicat, & vultus, frontemque accendit eburnam.
Lumine picta clamys nitidos illabitur artus:
Lineaque extremas quę futilis errat in oras,
Murice meandros, rutiloque interluit auro
Gemmantique ſinus caſtigat fibula nodo.
P. Alexander Donatus l 2. car. 16.

Ibat inocciduo radiatus tempora Sole
Egregius iuuenis roſeo ſpectabilis ore.
Candidulas cui nulla genas lanugo colorat:
Edueat intonſis glomerabile crinibus aurum;
Pars imbres imitata fluit, trepidoque decenter
Sulco findit ebur, quo ceruix nititur alta;
In ſpiram pars lecta nitet, velut inſula Regis;
Pars ludit vibrata micans, auraſque laceſſit.

Cæ-

Cœrula ſidereis diſtincta coloribus armos
Veſtis obit tranſuerſa vitro fulgentior alto?
Dum fluit, ad ludum ſinuoſis flexibus auras
Prouocat, & zephyris trepidans inſultat amicè.
Aug. Maſcard. l. 1. Sil. in Epith. ſa.

Ecce tibi clauſum ſubit æthere lapſus ab alto
Cœciliæ felix in penetrale puer
O qualis, Superi, qualis puer ille? tegebant
Obſcurata ſuas aſtra minora faces
Serica velabant generoſum vellera pectus,
Fluxerat in niveos aurea læna pedes.
Gemmea mordebat Melibæam fibula veſtem,
Et clamys ignota picta nitebat acu.
Limbus Erythræis circumdabat ima lapillis,
Totaque diuinum forma probabat opus.
Aurea cœſaries humeros vmbrabat, & auro
Concolor, vtroque in tempore cinnus erat.
Omnia naturæ, nihil artis, eburnea ceruix,
Collaque non tacta candidiora niue;
Frons radijs, vultus maioribus æmulus aſtris,
Æmula natiuis bina labella roſis.
Ambroſius color ora, vigorque perennis habebat;
Pinxerat impubes prima iuuenta genas.
Lumina certabant Soli, lunæque, ſed illis
Iudice me primas Lunaque, Solque dabant.
Par linguæ vociſque modus, par gratia geſtus.
Cœliteque & digiti, & cœlite digna manus.
P. Bidermanus l. 1. Her. ep. 5

Auguſtum rutilo diffuderat ore decorem.
Et niue diluerat minium, niueique coloris
Lilia ſanguineo miſcens confuderat oſtro.
Sidera fulgebant oculis, ardentia lætis
Ignibus, & blandi flammæ cœleſtis honores.
Frontis apex ſtellatus erat, criſpauerat auro
Cœſariem, leuibuſque vagam permiſerat Euris.
Iris honoratum circa deſcripſerat orbem,
Effuſumque iubar gyro ſtringente premebat,
Maieſtas ſpecie venerabilis, ardua moles,
Gloria ſiderei vultus, & amabilis horror,
Et vigor, & roſeæ decus immortale iuuentæ.
Candida byſſus erat tunicæ talaris, & auri
Puniceas varians flauo ſub tegmine flammas,
Texerat ad medias talarem purpura ſuras.
Aurea purpuream nectebat fibula veſtem,
Vndanteſque ſinus morſu radiante legebat.
Diſcolor effuſum byſſique, oſtrique fluorem
Balteus in roſeum coiens ſub pectore nodum
Stringebat lateri, & varios miſcebat honores,
Altaque cœrulei cingebant crura cothurni.
P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Om-

. Omnibus æthereum formæ decus, omnibus ardor
Igneus, & volucres plumis pernicibus alę
Omnibus, & criſpo cirris ludentibus auro
Cœſaries, oculique acres vibrantibus aſtris,
Præcingenſque caput radiatæ flamma coronæ:
Gaudia diuinuſque fauor, ſucceuſus amoris
Æſtus, & æternæ felicia pignora vitæ,
Oraque ſupremum cantu reſonantia Numen.
Idem Ibidem.

Reſpicit, & iuuenem ſuccinctum lumine multo
Stare videt, facie inſigni, vultuque decoro.
Aurea Cœſaries olli, niueuſque rubenti.
Nat color in vultu, cui primi temporis ætas
Impubes nulla veſtit lanugine malas
Vndique diuino ambroſium decus enitet ore:
Candida veſtis erat croceo circumdata limbo,
Et pellucenti corpus velabat amictu
Demiſſa ad ſuras, vbi fuluum intermicat aurum:
Aurea collectam ſubnectit fibula pallam,
Perque humeros volucris gemmas diuerberat aura.
P. Franc. Bencius l. 1. V. Mart.

..... namque ſuper ſcopuloſæ vertice cautis
Formoſus iuuenis cœli de gente volucri,
Remigio alarum placida ſe librat in aura:
Ore, oculis; & veſte refert ex æthere lapſum
Nuncium, & Angelici dat corpore ſigna decoris.
Cœ eſti in primis calamiſtro intorta videtur
Cœſaries, quæ ſeſe etiam per colla venuſtis
Lucida cincinnis fundit, teneroſque volutat
Supra humeros, hinc de niueo fulgentis Olympi
Vellere ducta fluit prolixo ſyrmate cyclas,
Quam mediam nitido ſub pectore lata coercet
Zona plicaturis; ab eburno denique collo
In longam tranſuerſa crucem ſtola pendet ad oram
Cycladis extremam.
P. Io: Ambruſterus in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Supremus Angelorum ordo Cherubim, & Seraphim.

TErtia regnantum ſolio gens proxima noſtro
Prima acies cœli, & famulum ſuprema tuorum
Tres numerat partita choros, his plenior hauſtus
Numinis illabens animos, & ſola tuendi
Cura Dei, totos rapit alto à pectore ſenſus.
Verùm alij melius, quibus hæc conceſſa poteſtas,
Diuinum explorat oculorum indagine pectus,
Et iubar abſtruſum, mentiſque arcana profundæ
Altius obtutu ſubeunt, & lumine certo.
Pars etiam raptu mentem ſuſpenſa beato

Clarius æterni dum Numinis ora tuentur
Flagrantes animorum ignes, & viuida cordis
Vulnera concipiunt. Stat nullo explebilis æuo
Flammarum potator amor, viſuque laborat
Expleri, longumque tuens ad dulcia rapto
Gaudia ſuſpectu, ſenſus effundit anhelos.

P. Pulcharellus l.1.car.5.

Angelus Armatus.

QValis ades, quàm fortis ades? quæ triſtia cœlo
Vulnera flammifero, quæ Romæ horrenda coruſcas
Fulmina! terrificis ingens mihi caſſida criſtis
Cernitur, & nexis laquearia lambere flammis
Sidereaſque aperire comas, frontemque minantem.
Lethiferum ſquamis veſtitur pectus ahenis,
Fulgoreſque, igneſque rotat: micat ærea dorſo
Effundens lorica faces: velut æmula Solis
Longè ardent, hauſtumque vomunt ſpecularia lucem.
Haſta grauat dextram, ferroque obtortile fulmen
Strageſque, immaneſque metu circumligat iras:
Æraque cum tonitru fatalis complicat vmbo.

P. Alex. Donatu: l,1.car.7.

Angelorum concentus muſici.

CVm ſubitò erumpunt voces, totiſque canentum
Ordinibus lætum modulatur pugna canorem.
Dant cœlo ingentes ſonitus animoſa tubarum
Æra procul: reſonat feſtis clangoribus æther.
Parte alia coeunt citharæ, & vocalis arundo,
Et cœleſte melos neruorum, & flabile vulgus
Dulciſonum lituorum, & fila ſonantia plectro
Dulcia flexivagos numerant diſcrimina cantus
Per varios fugitiua modos, fremit ordine concors
Diſſidium vocum, & fidium numeroſa propago.

P. Pulcharellus l.1.c 5.

Inſonuere tubæ, totumque à ſedibus altis
Attonat, & reſono cœlum clangore reſultat.
Stant Superi aerijs in puppibus, & noua ſemper
Fœdera concentu variant; paſſimque loquaces
Conſpirant auræ in numerum; nec dulce remittunt
Diſſidium, vocale ebur, & ſpirabile carmen
Dulciſonum lituorum, & ſuaue trementia vocum
Ludicra neruorumque, & mille fugacibus inter
Valla modis iterata, & fila loquentia plectro.

Idem l.1. car.6.

Tum verò ſtrepere omnia, & ſerenæ
Docto murmure perſonare nubes;
Hic teſtudo ſuſurrat, hic eburneo.
Laſciuit chelys inquieta plectro:

Hic

Hic ſiſtris vaga, cymbaliſque turma
Exultat; citharæque, fiſtulæque
Hic certat melos: hic liquente vocum
Reſponſant iuga, & vnda, & arua cantu,
Vt valles nemorum, viæque, & omnes
Verſi in carmina crederentur amnes.

P. Bidermanus l. 3. ſil. 2.

Michaelis Archangeli pugna cum Lucifero.

ILlic bellorum cœleſtibus omnia prima
Fecerat armipotens Michael quæ tela moueret
Ardentemque igni galeam, criſtiſque comantem
In clypeo æternos actos in prælia Ciues,
Et motu vnanimi fratres in bella coactos
Iudicijs certis flauo diſcreuerat ære,
Illum ſerpentum ſpiris nodiſque reuinctum
Aſpiceres, ſolium ardentem peruadere olympi,
In ferrum, in fratres immani mole ruentem,
Tollentemque minas, atque effera cœpta mouentem.
Acer anhelanti ſimilis, ſimiliſque minanti
Tendit in aduerſum Michael facto agmine: telum
Sortitus fortunam oculis intorquet, & alte
Transfadigit victor transfixa per ilia ferrum;
Et pedibus proculcat ouans immania ſetis
Corpora ſemiferi; deſertoreſque maniplos
Vrget, & in præceps deturbat ab æthere victos.
Ipſum eructantem flammas viruſque vomentem.
Ductorem adſtringit palmis ad terga reductis
Mille catenarum nexus per inane trahentem.

P. Stephonius car. 5.

Hic mihi ſe quantus vindex natalis olympi
In clypeum attollet Michael? atque æthere toto
Acer, & obſeſſo fratrem ex aquilone fugabit
Sceptra affectantem & tumidos in bella vocantem?
Nec mora: ſortitus fortunam vulneris, haſtam
Vertet in aduerſum, atque euerſum cuſpide, fruſtra
In cubitos ſe ſe conantem attollere, pennis
Iam lapſis, iam ſemiferum, iam vulſa trahentem
Aſtra poli, cidaris iam fragmina mœſta tuentem
Exiget, exactum pallenti claudet Auerno.

Idem car. 7.

Vidiſſes patrio turmatim cedere cœlo
Deſertricem animam, comitumque ad terga ſequentum
Mille globos, turpi ſqualentia monſtra veterno.
Nec procul æthereis meliorum ductor in armis
Inſequitur victos, oculiſque ardentibus ira
Ventilat elatum ſemper ſine vulnere ferrum.
Credas æthereo pugnam increbreſcere campo.
Partitaſque in bella acies, tela obuia telis,
Cedenteſque loco tenues ſine corpore vitas

Et cadere, & factis æquas perſoluere pœnas:
At chorus in reditu victor pia colla Tonanti
Subijcit, oſtentatque fidem, & dicat omnia palmæ.
P. Vinc. Guiniſius car. 6.

Vos adeo teneri mecum Pœana Quirites
Dicite, & æthereo carmina mille Duci.
Et canite eiectum ſtellata ex arce Draconem
Et comitem pulſum cœca ſub antra chorum.
Ille aſtris bellum, bellum exitiale minatur
Et parat æterna pellere ſede Patrem.
Adfuit at ſubito Michael thorace coruſcus,
Pro clypeo magnum fert adamanta manu.
Pro gladio tres ille ignes, tres nubis aquoſæ
Tres torti radios turbinis ille rotat.
Illicet ecce ruunt ſub tartara cœca cohortes,
Lucifugæ quales mane fugantur aues.
Nec iam ſiderei iuuenes, nec luce rubentes,
Nec iam cœrulei verſicolore nota.
Heu quantum chorus informis mutatus ab illo,
Cum premeret cœli ſidera qualis erat!
Illum ſquama tegit rugoſi ſquama ceraſtæ,
Tigridis hunc facies, duraque terga lupi.
Omnes Geryones facti, iam Gorgones omnes,
Quos non vna inter vana Chimæra furit.
Interea Michael ſuperum Capitolia victor
Et ſubit auratis templa ſerena rotis.
Hic ſpolia, & centum fertur poſuiſſe trophæa,
Et captiua aris arma dicaſſe Patri.
P. Tar. Gallutius l. 2. el. 21.

Cum grauis aligeram traheret diſcordia gentem,
Miſcerentque duos agmina bina duces
Altera, collatis reſcindere ſidera dextris.
Omniaque impoſito regna grauare iugo.
Altera tutari pugnacibus aſtra lacertis,
Iuratamque Deo non violare fidem.
Infeſtis acies ſtetit auctorata maniplis
Vtraque cum ſignis vtraque turba ſuis.
Illa gerens picto vexillum informe colubro,
Errabat tumido ſpreta per aſtra gradu.
Seque Deo ſimilem ſtulta ambitione ferebat,
Vix ipſum ſolio paſſa ſedere pari.
Non tulit hos animi legio Prætoria faſtus,
Oppoſuitque armis arma, viroſque viris.
Hæc niueo vexilla ſibi ſua pinxerat Agno,
Nulla minus poterat ſigna probare Draco.
Tela fuere Cruces, & ineuitabile iam tum
Partibus aduerſis in Cruce fulmen erat.
Nec mora: Cœlituum vox tollitur vna: Quis alter
Vt Deus? aut maior quis cupit eſſe Deo?
Hinc inimica ruunt effuſi in prælia, ſeque
Alterna feriunt, deijciuntque manu.

Lu-

Luciferò pubes animos numeroſa, ſuæque
Ante alios formæ bella iuuenta dabat.
Cauſa, Deuſque ſuis. dum ſignifer ære rigentem
Improba Luciferi torſit in ora Crucem.
Intremuere poli; ſubitis velut ignibus æther
Cum ruit, & tactam fulmine terret humum.
Nutat Athos, dubiaque Othrys radice laborat,
Concuſſuſque ſua ſede vacillat Atlas.
Haud ſecus impacta tremuit Cruce Lucifer; & mox
Cum ſocio præceps milite miles ijt.
Tartara dirupta crepuere voragine, procoſque
Excepit piceo vſta cauerna rogo.
Hic vſti veteres abolent fuligine vultus,
Oraque Lernæo verſa dracone gerunt.
P. Iac. Bide. manus l. 3. Herod. el. 3.

Qualis hyperboreo vindex Aquilone fugabat
Sidereas turma in Numina magna rebelles
Spiranteſque nefas ſuperorum aſſertor honorum,
Defenſi columen Michael, & gloria mundi.
Ille reluctantem fruſtra, & noua regna fremen tem
Infima terribilem deiecit in antra draconem,
Afflictumque ſolo, reſupinum, humeroſque parantem
Tollere deiectos, pedibuſque minaciter vncis
Bella intentantem, pede proterit, & premit haſta,
Fatalique fodit terebratum cuſpide pectus.
Bened. Milanus in Paneg. Vrb. 8.

DIES.

Aurora.

POſtera phœbea luſtrabat lampade terras.
Humentemque Aurora polo dimouerat vmbram.
Virg. l. 4. Æn.

Et iam prima nouo ſpargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile.
Idem ibidem.

Iamque rubeſcebat radijs mare, & æthere ab alto
Aurora in roſeis fulgebat lutea bigis.
Idem l. 7.

Dumque ea magnanimus Phaeton miratur, opuſque
Perſpicit, ecce vigil nitido patefecit ab ortu
Purpureas Aurora fores, & plena roſarum
Atria, diffugiunt ſtellæ, quarum agmina cogit
Lucifer, & cœli ſtatione nouiſſimus exit.
Tum Pater vt terras, cœlumque rubeſcere vidit
Cornuaque extremæ velut euaneſcere lunæ
Iungere equos Titan velocibus imperat horis.
Ouidius l. 2. Met.

Et iam Migdonis elata cubilibus alto
Impulerat cœlo gelidas Aurora tenebras
Rotantes excuſſa comas, multumque ſequenti
Sole rubens: illi roſeus per nubila ſeras
Aduertit flammas, alienumque æthera tardo
Lucifer exit equo, donec pater igneus orbem
Impleat, atque ipſi radios vetet eſſe Sorori.
Statius l. 1. Theb.

Clara laboriferos cœlo Tithonia currus
Extulerat, vigileſque Deæ pallentis habenas
Et nox, & cornu Somnus fugiebat inani.
Idem l. 6.

Nondum cuncta polo vigil inclinauerat aſtra.
Ortus, & inſtantem cornu tenuiore videbat
Luna diem, trepidas vbi iam Tithonia nubes
Diſcutit, ac reduci magnum parat æthera Phœbo.
Idem l. 12.

Pellebat ſomnos Tithoni roſcida coniux
Ac rutilus primis ſonipes hinnitibus altos
Afflaret montes, roſeaſque mouebat habenas.
Sil. Italicus l. 1.

Et iam curriculo nigram nox roſcida metam
Stringebat, nec ſe thalamis Tithonia coniux
Protulerat, ſtabatque nitens in limine primo.
Idem l. 5.

Aurora obſcuri tergebat nubila cœli,
Vixque Atlantiadum rubeſecerat ora ſororum. *Et inf.*
Iamque nouum terris pariebat lumine primo
Egrediens Aurora diem, ſtabuliſque ſubibant
Ad iuga Solis equi, nec dum ipſe aſcenderat axem,
Sed prorupturis rutilabant æquora flammis.
Idem l. 16.

Namque vbi venturi graditur prænuncia Solis
Purpureas impexa comas, roſeoque flagello
Sidera regnato latè diſpellit olympo;
Pallida tabeſcunt, ac lucida tela diei
Prona reformidant, Phœbum patremque Tyrannumque
Auerſata; ſuum lacrymas fugientia roris
Demittunt, auraſque ſua in ſuſpiria cogunt.
Aug. Maſcard. l. 2. Scil. Tit. Ver.

Iamque albeſcenti metuens noua lumina cœlo
Aſtrorum è vigili cuneos ſtatione vocabat
Lucifer; illa dulcis ceu conniuentia parent
Imperio, & furtim dubia iam nocte recedunt
Cedentem comitata ducem. præit aſtra niuali
Ille inuectus equo, clauditque nouiſſimus agmen.
P. Alex. Donatus l. 11. Conſt.

Aut

Aut matutinas albeſcere viſa per vmbras
Roriferis Aurora comis, & Solis ad ortum
Spargere inaurato radiata roſaria cœlo.
P. Alex. Donatus l. 1. car. 7.

Salue naſcentis filia Solis
Ante parentis edita partum
Lucidum partu enixa parentem,
Lucidi partu extincta parentis.
Salue quæ pratis reſeras odoris
Totidem flores, vaga quot olympo
Sidera condis.
Roſeos aperi ætheris hortos,
Spargis Eoi veris honores.
Quàm radianti fulguras ore?
Penè videris ante Solem, Pandere Solem.
P. Mar. Bettinus in lyc. Poet. l. 5. cant. 4.

Aura leuis, aura lenis
Aura præpes aduola.
Frons decora rubicundis
Tibi vernat floribus.
De concreto viua rore
Tibi gemmant lumina:
Tu Tithoni cum puella
Curru vecta roſeo
Vultus exerit decoros
Cœli pandis oſtia,
Et aperta per ſerena
Denſa differs nubila.
Tu cum tuba ſuſurranti
Mane flores excies,
Vt Auroræ purpurantem
Conſpicentur faciem,
Illi ſenſim rore graues
Reſerant ocellulos.
Tu Tithoniæ corollas
Excutis è gremio,
Et roſarum florulentis
Arua rigas imbribus.
Idem Ibid. cant. 6.

Ecce ab extremo veniens Eoo
Roſcidas Aurora refert quadrigas
Et ſinu lucem roſeo nitentem Candida portat.
Quis tuam dignè celebrare lucem
Poſſit ò almæ genitrix diei
Quis tuam formam ò Dea ante Diuas Pulchrior omnes.
Vt genas cœlo roſeas, comamque
Auream profers, tibi fulua cedunt
Aſtra, decedit rutilante victa Luna decore.
Te ſine æterna iaceant ſepulti
Nocte mortales, ſine te nec vllus

Sit color rebus neque vita doctas Culta per artes.
Tu grauem pigris oculis ſoporem
Excutis, lethi ſopor eſt imago,
Euocans tectis ſua quemque lætum ad munia mittis.
Marc. Ant. Flaminius l.1. car.

Qualis vbi Oceano niueos perfuſa lacertos
Purpureis velata roſis, reſoluta nitores
Æternos, rutilis vehitur Tithonia bigis:
Sidera cum fugiunt, & rareſcentibus vmbris
Cœpit & afflatis ſtellis albeſcere cœlum.
P. Stephonius l. 1. car. 1.

Tempus erat, quo purpureis Aurora roſetis
Pollice demeſſis, textas de more corollas
Induit, & geminat natiuum verticis aurum:
Quo caput inſertum gemmis florentibus effert
Et vocat alma diem, cum cœli lucida cogit
Agmina, cum tereti pellucent gramina rore,
Et nemus eloquitur zephyro, cum fronde loquaci
Obſtrepit, & ſiluis elementi ſibilus aura
Ingruit, & leni fluctus exaſperat ira
Leniter irata criſpata marmoris vnda.
Idem l. 1. car. 2.

Ac prior æquoreis oriens ſurgebat ab vndis,
Aurea puniceę pendens ſpectacula pompæ,
Spargebatque roſis lætas halantibus auras,
Rorantemque ſinum croceos fundebat in imbres
Præuia venturo ſoboles Aurora parenti
P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

..... æthereum qualis ſe tollit in axem
Puniceas Aurora comas, roſeumque decorem
Ore gerens, croceamque vibrans è ſyrmate lucem
Nunciat, æquoreis ſolemque reducit ab vndis.
Illa Patris Phœbi radios infuſa rubenti
Fronte polo tenebras, & caligantia pellit.
Nubila, & horrenti mandat noua gaudia mundo.
Idem Ibidem.

Nec mora, cœruleis quà Sol ſe tollit ab vndis,
Candidus Eoo fulgor ſplendeſcere cœlo,
Primaque venturæ proferri inſignia Diuæ,
Illa per extremas emiſſo vertice lymphas
Exerit auratos crines, apicemque decorum
Frontis, & in rutilum lunans vaga lumina gyrum,
Deſcribit medium radijs æqualibus arcum.
Tum nocti cita fata parans, lethalia torquet
Spicula: nox horrens nocuæ feralia flammę
Vulnera, luciferis procul acta recedit ab auris,
Tum Dea purpureis vibrantia lumina flammis
Ardenteſque genas minio, diaque fluentem

Ambroſia reſerare comam, roſeoque madentes
Imbre manus, pictamque togam: lux aurea cœlo
Creſcere, productis extendere cornibus arcum,
Puniceumque iubar niueo miſcere colori.
Hinc maris afflati radijs albeſcere fluctus,
Terrarum tenebræ vaneſcere, cedere mundo
Turbida nox, hilari natura ſalire tumultu,
Clara triumphali ſe tutam oſtendere pompa.
Idem Ibidem.

Aurora pallens.

IAmque Aurora diem maculoſo lucis amictu
Diſcolor, & rorem lacrymis operata vehebat,
Pallidaque obſcuro, claro malè candida velo,
Nec placitura nitet: geminiſque coloribus ora
Diſſimilis, vario Solem quoque pinxerat ortu.
P. Alex. Donatus Conſt. l. 6.

Diei vel Solis ortus.

..... iam Phœbum vrgere monebat
Non idem Eoi color ætheris, albaque nondum
Lux rubet, & flammas propioribus eripit aſtris:
Et iam Pleias hebet, flexi iam plauſtra Bootæ
In faciem puri redeunt languentia cœli
Maioreſque latent ſtellæ, calidumque refugit.
Lucifer ipſe diem.
Lucanus lib. 2.

Iam rata micant ſidera prono
Languida mundo: nox victa vagos
Contrahit ignes; luce renata
Cogit nitidum Phoſphoros agmen;
Signum celſi glaciale poli
Septem ſtellis Arcades vrſæ
Lucem verſo temone vocant:
Iam cœruleis euectus equis
Titan ſummum proſpicit Oetan:
Iam Cadmæis inclyta baccis
Aſperſa die dumeta rubent,
Phœbique fugit reditura ſoror.
Seneca in Her. fur. Choro Act. 1.

Iam gelidam Phœben, & caligantia primus
Hauſerat aſtra dies: & iam tumet igne futuro
Oceanus, latèque nouo Titane recluſum
Æquor, anhelantum radijs ſubſedit equorum.
Statius l. 7. Theb.

Tempus erat iunctos cum iam ſoror ignea Phœbi
Sentit equos, penituſque cauam ſub luce parata
Oceani mugire domum, ſeſeque vagantem
Colligit, & moto leuiter fugat aſtra flagello.
Idem l. 8.

Iam premit aſtra dies, humiliſque ex æquore Titan
Rorantes euoluit equos, & ab æthere magno
Sublatum curru pelagus cadit.

Idem l.1. Achill.

Exuit implicitum tenebris humentibus orbem
Oceano prolata dies, genitorque coruſcæ
Lucis adhuc hebetem vicina nocte leuabat
Et nondum excuſſo rorantem lampada ponto.

Idem l.2. Achill.

Impulit Ionios præmiſſo lumine fluctus
Nondum pura dies, tremulis vibrauit in vndis
Ardor, & errantes ludunt per cœrula flammæ.

Claudianus l.2. de raptu.

Oceani ſummo circumfluus æquore lucus
Trans Indos Eurumque viret, qui primus anhelis
Sollicitatur equis, vicinaque verbera ſentit
Humida roranti reſonant cum limina curru.
Vnde rubet ventura dies, longèque coruſcis
Nox afflata rotis refugo palleſcit amictu.

Idem in Epigr. de Phœnice.

Donec flammiferum tollentes æquore currum.
Solis equi ſparſere diem, iamque orbe renato
Diluerat nebulas Titan, ſenſimque fluebat
Caligo in terras nitido reſoluta ſereno.

Sil. Italicus l.5.

Præuius Eoo fulgebat Lucifer ortu
Et matutina reſonabant alite ſiluæ,
Cum nondum orta dies incerta crepuſcula cœli
Paulatim ſoluit, magnoque è gurgite tollens
Phœbus equos iam iam pallentia ſidera condit.

Io: B. Amaltheus in poem. Silis.

Iamque reſurgebat, noctemque Aurora cadentem
Præcipitarat aquis, tutumque recluſerat auris
Solis iter, luciſque horas vrgebat euntes.

P. Alex. Donatus l.2. Conſt.

Iamque pari perculſa metu, fugitiuaque cœlo
Quærebat latebras nox, & lacrymantibus aſtris
Abſtulerat flammas; ne circumfuſa iuuarent
Lumina creſcentem per adulta crepuſcula Solem.

Idem l.3.

Idalium feſtinus equo iam Lucifer ignem
Ne vagus erraret, nondum cedentibus umbris,
Extulit; vrgebat nam Sol, properantibus horis
Oceani ſtabulis rapidos educere currus.

Idem lib.12.

Alias huius rei deſcriptiones vide ſuperius ſub Titulo Solis Orientis.

Dies apricus & hilaris.

AVrea ſole dies hilari micat, aura ſereno
Læta nitet cœlo, fluidæque nitentibus auræ
Blanditijs: ſiluere Noti, quibus ira furenti
Turbine: ſolus hiat zephyrus, mollique flabello
Spargit odoratos puro leuis aere nimbos.
Terra ſuos, quantum dedit anni tempus, honores
Induit, optauitque dies, quibus arua decora
Meſſe virent, Veriſque noui ſe gloria pandit:
P. Ant. Chanut. in Parn. Poet Soc. Ieſu.

Meridies.

IPſa ego te medios cum Sol accenderit æſtus,
Cum ſitiunt herbæ, & pecori tam gratior vmbra eſt.
Virg. l. 4. Georg.

Iamque dies medius rerum contexerat vmbras
Et Sol ex æquo meta diſtabat vtraque
Ouid. l. 3. Met.

Iamque ferè medius Titan venientis, & actæ
Noctis erat, ſpatioque pari diſtabat vtrinque.
Idem l. 10.

Hic quoque nil obſtat Phœbo cum cardine ſummo
Stat librata dies: truncum vix protegit arbor,
Iam breuis in medium radijs compellitur vmbra,
Deprenſum eſt hunc eſſe locum, qua circulus alti
Solſtitij medium ſignorum percutit orbem:
Lucanus l. 7.

Tempus erat, medij cum Solem in culmina mundi
Tollit anhela dies, vbi tardus hiantibus aruis
Stat vapor, atque omnes admittunt æthera luci.
Statius l. 4. Theb.

Diei vel Solis occaſus.

CAndidus Oceano nitidum caput abdiderat Sol,
Et caput extulerat denſiſſima ſidereum nox.
Ouidius l. 15. met.

Quo terrarum ſuperumque parens
Cuius ad ortus noctis opacæ
Decus omne fugit, quo vertis iter,
Medioque diem perdis olympo?
Cur Phœbe tuos rapis aſpectus,
Nondum ſeræ nuncius horæ

Nocturna vocat lumina veſper:
Nondum Heſperiæ flexura rotæ
Iubet emeritos ſoluere currus.

Seneca in Thyeſ. in Cho. act. 4.

Frangebat radios humili iam pronus olympo
Phœbus, & Oceani penetrabile littus anhelis
Promittebat equis.

Statius l. 2. Achil.

Iamque diem ad metas defeſſis Phœbus olympo
Impellebat equis, fuſcabat & Heſperus vmbra
Paulatim infuſa properantem ad littora currum.

Sil. Italicus l. 11.

Occiduus veluti pelago dum Phœbus Ibero
Præcipitat, iam iamque ſubit, iam vertit Eoum
Et iubar emenſo paulatim extinguit olympo.

P. Pulcharellus l. 1. c. 5.

Ibat ad occiduos morituro lumine fluctus
Horrebatque procul nigras Sol pallidus vmbras
Lucis & obſcuro naſcentem funere noctem.

P. Alex. Donatus l. 1. Conſt.

Nox.

NOx erat & placidum carpebant feſſa ſoporem
Corpora per terras, ſiluæque, & ſæua quierant
Æquora, cum medio voluuntur ſidera lapſu,
Cum tacet omnis ager, pecudes, pictæque volucres,
Quæque lacus latè liquidos, quæque aſpera dumis
Rura tenent, & ſomno poſitæ ſub nocte ſilenti
Lenibant curas, & corda oblita laborum.

Virgilius l. 4. Æn.

Quale per incertam lunam ſub luce maligna
Eſt iter in ſiluis vbi cœlum condidit vmbra
Iuppiter, & rebus nox abſtulit atra colorem.

Idem l. 6.

Iamque per emeriti ſurgens confinia Phœbi
Titanis, latè mundo ſubuecta ſilenti
Rorifera gelidum tenuauerat aera biga.
Iam pecudes, volucreſque tacent: iam ſomnus auaris
Inſerpit curis, pronuſque per aera nutat
Grata laboratæ referens obliuia vitæ.

Statius l. 1. Theb.

Nox erat, & nigra ſopibat imagine terras
Somnus curarum domitor, pretiumque laborum.
Sed non cœli oculos clauſit ſopor: aurea circum

Aſtra

Aſtra quieſcentem radijs vigilantibus, orbem
Seruabant, tacito vix conniuentia motu.
P. Vinc. Guiniſius car. 9.

Nox erat, & tremulæ varia ſua imagine formæ
Clara per obſcuras lucebant ignibus vmbras
Et defenſa ſuis horrebant ſidera monſtris.
P. Al. Donatus lib. 1. car. 12.

Obſcuris tum fortè diem nox clauſerat vmbris,
Educenſque nigros aruis ſtellantibus axes
Vrgebat ſaturos caligine vecta iugales.
Idem l. 4. Conſt.

Nox aderat nigris non vmquam triſtior vmbris:
Lucenteſque in nube caua morientibus aſtris
Clauſerat ipſa oculos, ne quid mortale viderent
Stellarum excubiæ: ne quod cæleſtibus aruis
Terrarum vigiles iubar immortale viderent.
Idem l. 6.

Nox adeo, ſerus quos cælo accenderat ignes
Heſperus, obtenſis cælauerat inuida velis,
Et dorſo vmbrarum ſe ſe intempeſta vehebat.
Idem l. 7.

Interea ſenſim nox in ſua regna ſubibat
Aſtrigeris inuecta rotis; vaga nubila currum,
Noctiuagæque faces, & blanda obliuia rerum,
Et pacata quies, abigenſque proteruia curas
Et ſurdi manes, mutiſque ſilentia linguis:
Quæque ſoporifero medicata papauere languent
Otia, tum ſomnuſque & ſomnia vana ſequuntur.
P. Iac. Balde to 2. h roic. in Genethl.

Tempus erat rapidis quo vecta iugalibus axem
Circuit, & ſolitis indulget luna choreis;
Cum pluit humenti rorantia munera limbo
Turbatrix operum, tenebrarum lurida mater
Cimmerijſque vmbris, & dulce reflantibus auris
Indicit placidam, cura fugiente, quietem.
Fronde papauerea redimitus tempora ſomnus
Surgit, & arcano ſerpens per viſcera lapſu
Inſinuat ſe ſe, veniſque allabitur imis,
Conciliatque animos, atque indeprenſus oberrat
Somnia nigra ferens turba comitatus inani.
Ben. Milanus in lib var. car.

Noctis initium.

SOluerat Heſperij deuexo margine ponti
Flagrantes Sol pronus equos, rutilamque, lauabat
Oceani ſub fonte comam; cui turba profundi
Nereos,

Nereos, & rapidis accurrunt paſſibus horæ,
Frænaque & auratæ textum ſublime coronæ
Diripiunt, laxant calidis humentia loris
Pectora. pars meritos vertunt ad molle iugales
Gramen, & erecto currum temone ſupinant.
Nox ſubit, & curas hominum, motuſque ferarum
Compoſuit, nigroque polos inuoluit amictu.
Statius l. 3. Theb.

Cuncta per & terras, & lati ſtagna profundi
Condiderat ſomnus, poſitoque labore diei
Pacem nocte datam mortalibus orbis agebat.
Sil. Italic. l. 7.

Noctis extremum.

IAmque vices operum, vigileſque in caſtra labores
Nox abitura vocat, rotantibus humida guttis,
Et reducem pertæſa diem, conſortia lucis
Odit, & aduerſi decurrit ad otia mundi.
P. Alex. Don. l. 7. Conſt.

Nox intempeſta.

IAmque ferè mediam cœli nox humida metam
Contigerat, placida laxarant membra quiete.
Virg. l. 5. Æn.

Iamque dies cœlo conceſſerat, almaque curru
Noctiuaga Phœbe medium pulſabat olympum.
Idem l. 10. Æn.

Nox vbi iam media eſt, ſomnoſque ſilentia præbent;
Et canis, & variæ conticuiſtis aues.
Ouidius l. 5. faſt.

Iamque quieſcebant voces hominumque canumque:
Lunaque nocturnos alta regebat equos.
Idem l. 1. Triſt. el. 3.

Scandebat roſeo medij faſtigia cæli
Luna iugo, totis vbi ſomnus inertior alis
Defluit in terras, mutumque amplectitur orbem.
Statius l. 1. Achill.

Namque vbi cuncta ſilent, placiduſque in pectora ſomnus
Influit, & molli vincuntur membra quiete:
Cum nulli volucrum cantus, cum nulla ferarum,
Non hominum vox vlla ſonat, mediumque laceſſit
Luna polum, & taciti conniuent lumina cœli.
P. Tarq. Gallutius l. 1. car. 1.

Naſce-

Naſcetur tenebras inter, quo tempore cœlum
Metitur medium nox tenebroſa rotis.
Cum placidos capiunt mortalia pectora ſomnos
Cum reſident volucres, cum tacet omnis ager.
Idem l. 2. el. 12.

Nox ſerena.

CONdiderat nox pura diem, cælumque ſerenis
Lucifero ſpargente faces incenditur aſtris.
P. Donatus l. 2. car. 8.

Nox aderat, nunquam liquido ſic pura ſereno
Feſtinata mouens hilari ſpectacula cœlo.
Idem l. 7. Conſt.

Iam fugato Sole terris nox diei poſthuma
Noctilucis picta ocellis, obſecuta Deliæ
Siderum textum pyropis peplum olympo fuderat:
Nullus horror, nulla nubes, nulla ruga infecerat
Cynthiæ genas nitentes fratre plenas Delio.
Sed ſerenis inter orbes delibutos gaudijs
Roris vudas lacrymata geſtiebant ſidera.
P. Leo Sanctius l. 2. flor. in Peruig. Nat.

Cum Luna cælo fulget, & auream
Pompam ſereno pandit in ambitu
Ignes coruſcantes, voluptas
Mira trahit, retinetque viſus.
Hic emicantem ſuſpicit Heſperum,
Dirumque martis ſidus, & orbitam
Lactis coloratam nitore;
Ille tuam Cynoſura lucem.
Seu Scorpij cor, ſiue Canis facem
Miratur alter, vel Iouis aſſeclas
Patriſue Saturni repertos
Docte tuo Galilæe vitro.
Vrbanus VIII. in Oda. Adul. princ.

Nox obſcuriſſima.

NAm neque erant aſtrorum ignes, nec lucidus æthra
Siderea polus: obſcuro ſed nubila cœlo
Et Lunam in nimbo nox intempeſta tenebat.
Virgilius l. 3. Æn.

Tenebræ Ægypti etiam monſtris obiectis metuendæ.

MOx medium rapit axe diem, & ferrug'ne fuſcat;
Lethæis Pharios nebulis, & carcere nigro
Implicuit; quo quiſque loco deprenſus, inhæſit
Arcta-

Arctatus vinclis tenebrarum, & compede mortis.
Arrectiſque horrore comis, ſeu forte viator
Carpit iter notum campis, ſeu curuus arator
Verſat agrum cultu, & glebas exercet inertes;
Siue foro, aut tectis ciues, vel publica cura
Vel priuata tenent ſtudia, improuiſa repente
Obnubit caput, atque iiſdem veſtigia figit
Horrida nox immota locis; gelidoque pauore
Concutit ambiguos ſuperentne? an terra dehiſcens
In cœcas Erebi viuos detruſerit vmbras?
Nam ſæuæ exterrent facies, & ſpectra ferarum
Curſantum iuxta, & paſſim per tecta vagantum.
Immanes hydri, & ſquamoſis nexibus angues
Ore vomunt flammas, oculiſque ardentibus errant,
Præſentantque reis infeſto lumine mortem.
Nec tamen adſtantes cuiquam ſpectare propinquos,
Aut notos nox illa dedit cognoſcere vultus
Sed grauior tetro in pœnas à ſulphure fulſit,
Obiecitque metu maiora pericula veris.
Fruſtra illi piceas leuia ad ſolatia tentant
Perflatis flammare focis in lumina tædas
Ad chalybem fruſtra ſilices fricuere terendo;
Humidus in medio vapor omnem intercipit ignem,
Vulcanumque ſuis hebetat nebula vda caminis:
Tartaream nulla euincunt funalia noctem. *Et inf.*
Quis cladem illius noctis, quis triſtia fata
Enumeret? quæ per tenebras errantia monſtra
Exangueſque metus, arentiaque ora timore
Infantum lacrymas, & fœmineos vlulatus,
Defixoſque horrore viros vt ſtantia ſaxa,
Serpentes inter, formæque tricorporis vmbras?
Illa Erebi facies, ille illætabilis horror,
Quo Chaos, & confuſa gemunt Acheruſia regna,
Quæ ſuper æterno nox implicat inuia fumo.
P. Ant. Millieus l. 3. Moyſ. Viat.

Vmbra.

VMbra iuuat Panas, Faunos iuuat vmbra bicornes
Vmbra viatori requies placidiſſima feſſo,
Languiduloque ſimul pecori, pecoriſque magiſtris.
Vmbra nouum puro niſi mitteret æthere rorem,
Arerent campis ſegetes, & germina pratis.
Quid breuius noſtro foret, & quid acerbius æuo
Humida ni cilijs illapſa nutantibus vmbra
Furetnrque animum curis, oculoſque labori
Optatum tacitè infundens per membra ſoporem?
Arboribus decori, ſiluiſque comantibus vmbra eſt.
Vmbraque ſi deſit, quæ mulcent aera cantu
Continuo volucres fuerint ſine carmine mutæ.
Vllus Apellææ nec honos debebitur arti
Si tabulis abſint, liquidiſque coloribus vmbræ,
Quin populi ſurdas cauſam orauiſſet ad aures
Palla-

Palladijs olim Rhetor dominatus Athenis
Ad conducti vmbram niſi confugiſſet aſelli.
Par ſuperum Regi eſt, & cum Ioue diuidit vmbra
Imperium; cœlo alterius lux vmbraque regnant.
Inſolita obductus quoties ferrugine Titan
Perpetuas nobis tenebras, orbique minatur
Cauſa metus tanti, & cęcæ caliginis vmbra eſt.
Seruata agricolis ſolaria repperit vmbra,
Æqualeſque diem ſolidum partitur in horas.
Niliacas moles aſtriſque minantia ſaxa
Metiri, antiquum docuit breuis vmbra Thaletem.

Apud P. Laur. le brun. to.2.elcq.Poet.

QVATVOR ANNI TEMPESTATES.

SOl diuerſa trahit varium in diſcrimina tempus
Obliquo oppoſitas dum terit axe vias,
Hoc regnante leui zephyrus ſpiramine flabit,
Paulatim viuax imbuet arua tepor,
Viuida tunc tenerum ſenſim exeret herba cacumen,
Se putris rupta gleba reſoluet humo.
Ponè aderit longis ignita caloribus æſtas,
Siccatoſque grauis Cancer aduret agros.
Frigora captabit patula pecus omne ſub vlmo,
Exuſtoque gregi gratior arbor erit.
Ampla repleturus meditabitur horrea meſſor,
Maturaque ſeges falce reſecta cadet.
Proximus Autumnus ſectis ſuccedet ariſtis,
Deciduas ponet languida planta comas.
Ebria calcatis ſpumabunt præla racemis:
Vua ſuos fœtus exonerata dabit.
Poſt horreſcet hyems glacialibus aſpera nimbis,
Nec poterit ſtantes ſcindere remus aquas.
Prona cadet nemorum ſpecies, miſcebitur æther,
Conglaciata pigras vnda negabit aquas.
Tum reuehet Phœbus repetito tempora curſu
Et reduces noto calle reducet equos.

P.Laur. le brun.Hexam.die 4.

Ver.

VEr adeo frondi nemorum, ver vtile ſiluis,
Vere tument terræ, & genitalia ſemina poſcunt.
Tum Pater omnipotens fœcundis imbribus æther
Coniugis in gremium lætæ deſcendit, & omnes
Magnus alit magno commiſtus corpore fœtus.
Auia tum reſonant auibus virgulta canoris
Et Venerem certis repetunt armenta diebus.
Parturit almus ager, zephyrique tepentibus auris,
Laxant arua ſinus: ſuperat tener omnibus humor,
Inque nouos ſoles audent ſe gramina tuto

Cre-

Credere: nec metuit ſurgentes pampinus Auſtros,
Aut actum cœlo magnis Aquilonibus imbrem:
Sed trudit gemmas, & frondes explicat omnes.
Virgilius l. 2. Geor.

Soluitur acris hyems grata vice veris, & Fauoni
Trahuntque ſiccas machinæ carinas.
Ac neque iam ſtabulis gaudet pecus, aut arator igni,
Nec prata canis albicant pruinis.
Iam Cytherea choros ducit Venus, imminente Luna,
Iunctæque Nymphis Gratiæ decentes
Alterno terram quatiunt pede.
Horatius l. 1. Ode 4.

Diffugere niues, redeunt iam gramina campis
Arboribuſque comæ.
Mutat terra vices, & decreſcentia ripas
Flumina prætereunt.
Gratia cum nymphis geminiſque ſororibus audes
Ducere læta choros.
Idem l. 4. Ode 6.

Omnia tunc florent, tunc eſt noua temporis ætas,
Et noua de grauido palmite gemma tumet.
Et modo formatis operitur frondibus arbor,
Prodit & in ſummum ſeminis herba ſolum.
Et tepidum volucres concentibus aera mulcent,
Ludit, & in pratis luxuriatque pecus.
Tunc blandi ſoles, ignotaque prodit hirundo,
Et luteum celſa ſub trabe figit opus.
Ouidius l. 1. faſt.

Quid? quod hyems adoperta gelu tunc denique cedit,
Et pereunt victæ ſole tepente niues
Arboribus redeunt detonſæ frigore frondes:
Vuidaque in grauido palmite gemma tumet.
Quæque diu latuit, nunc quà ſe tollat in auras
Fertilis occultas inuenit herba vias.
Nunc fœcundus ager, pecoris nunc hora creandi:
Nunc auis in ramo tecta laremque parat.
Idem l. 3. faſt.

Iam trux ad Arctos Parrhaſias hyems
Conceſſit altis obruta ſolibus:
Iam pontus ac tellus renident,
Iam zephyris Aquilo refractus.
Nunc cuncta veris frondibus annuis
Crinitur arbos: nunc volucrum noui
Queſtus, inexpertumque carmen
Quod tacita ſtatuere bruma.
Statius l. 4. ſilu.

Quid

Quid hìc moramur? ecce Ver vices refert;
Ad haſce tranſuolant plagas Hirundines,
Strepuntque voce garrula, haud gemunt Itym.
Liquatur alba nix, geluque ſoluitur:
Hyems recedit acris, atra nubila
Fugat Fauonius, renidet ætheris
Serenus ambitus, fretumque detumet,
Ratique cærulas recludit orbitas:
Opes & vda terra Veris exerit.
Nouo virent amicta prata gramine,
Nouis & arua ſunt decora floribus:
Bottoſque, pampinoſque vitis induit,
Fluenſque pura fontis vnda murmurat,
Et inter arborum tenella germina
Aues canunt, & aura lenis adſonat.

Vrbanus VIII. in poem. de Ruris laud.

Ecce alium brumam Sol aureus egit in orbem,
Et placidos reuocat mitior aura dies.
Iam tenet hoſpitijs volucres, frondentibus arbos,
Ludit & è teneris miſſa caterua fauis.
Florenteſque legit violas, ac flumina propter
Obſtrepit, & nidos progeniemque fouet,
Et caſiæ virides, & olentis copia tymbræ
Attollunt fluuio prætereunte comas.

P.Tar.Gallutius l.1. el.17.

Cernis vt in varios pubeſcit dædala partus.
Terra parens, laudiſque ſuæ monumenta reponens
Pingit odoratis florum ſua geſta labellis?
Te ſequor ò Veris tempeſtis florida, amorum
Mater, & amiſſæ reparatrix cara iuuentæ:
Qua duce prata virent, ſenio qua præſide tellus
Candida lactentes rurſus pueraſcit in herbas.
Si tibi pictarum turba officioſa volucrum
Spiritibus vegetata tuis, vectigal amœne
Vocis in argutos impendit garrula cantus;
Si tibi diductis gemmantes floribus horti
Ora tot in Veris laudem ambitioſa reſoluunt,
Quot tibi diſcludunt violato ceſpite gemmas;
Si tuba ſit Veris frondes effuſa comantes
Arbor, & hirſuto trudens ſua germina libro:
Te ſileat deſpecta chelys? ſalue aurea cœli
Temperies, mundique vigor, terræque iuuenta,
Atque renaſcentis genitrix felicior anni.
Anni Aurora noui ſalue, qua terra rubente
Diſcolor Auroræ nitet inuidioſa comanti.
Ergo iterum ſalue tempeſtas nuncia pacis,
Horrida quæ zephyro componens auſpice bella
Mollia tranquillum vi cogis in otia cœlum,
Dulciaque inſtauras ridentibus otia terris.

Aug. Maſcardus Sil. l. 2. in car Ver.

Iam

Iam triſti canos glacie concreta capillos
  Afflatu tepidi fugit hyems zephyri.
Iam nitidum os Ver molle auras in luminis audet
  Proferre, & teneros ferre per arua pedes.
Tempora diuerſis tollens halantia ſertis
  Purpureo matris Chloridos è gremio.
Summittit varios tellus fœcunda colores,
  Conuertit molles quo puer ipſe gradus.
Et paſſim quacunque vagos deflectit ocellos
  Diffugiunt toto nubila cuncta polo.
Concipiunt dulces animalia læta calores
  Perſultantque vagi pabula blanda greges.
Percuſſæque noua dulcedine corda volucres
  Dant lætos paſſim per nemora alta ſonos
Sola gemit, ramoque ſedens miſerabilis alto
  Abſumptum mater Thracia plorat Itym.
Andr. Naugerius in luſib.

Ver viget, & viridi regnat Zephyritis amictu
  Culta, maritato florida facta ſinu.
Horrida Biſtonij perierunt murmura flabri;
  Nuper & in glacie quæ fuit, vnda fluit.
Populeas vidi frondes, & lenta ſalicti
  Vimina vicino ſuccidiora vado
Stirps quoque, quæ pigræ creſcit vindicta iuuentæ;
  Flexilibus curuat ramea terga comis.
Nunc etiam herbarum vernat lanugine tellus:
  Nunc quoduis quouis à pede ſentit onus.
Mollia cæruleo variantur prata colore:
  Eſt hic aut nuſquam laus, Violatus honor.
Nunc etiam pictę volucres, nemorumque choraulæ
  Dulcibus alternant garrula roſtra modis.
Exultim vitulique leues, celereſque capellæ
  Circumagunt agiles per iuga nota pedes.
P. Io. Biſſelius Vern. l. 2. el. 1.

Eia age, ſat canis dudum malè tecta pruinis
Floriferos natura ſinus, plenaſque roſarum
Pande genas, fugiunt brumæ, fugit hirta capillos
Triſtis hyems latè glacialibus horrida ventis.
Aſpicis vt tenui ludant per prata volatu
Felices Zephyrorum animæ, molliqne flabello
Concutiant roſeas cœli per inania pennas?
Quin ipſe ęthereos agitare per aera currus
Etheſius nebulis gaudet ridentibus alis
Huius in aduentu tellus, gratiſſima Veris
Exere opes; niueis illic decorata liguſtris
Alba micent, hic puniceo roſa picta colore
Miſceat, & teneros mollis Narciſſus odores.
Vndique florentes ſtillent opobalſama colles:
Vndique cœleſti diſtillent nectare nubes.
Fallor ego, aut noſtras ſuperi audiuere querelas.
Quid? iam ſe proprijs exornat frondibus arbor,
Muta-

Mutaturque poli facies, ſimul ecce comarum
Deſertis rediit ſubito noua gloria ſiluis.
Tota vireſcit humus, ſacris & amœna viretis
Se ſe ſcena aperit, rapidoque nitentia cœlo
Sidera vernanti ramorum paſcit honore
Te croceum Nerei linquens, Thetidoſque cubile
Gens pennata poli cantu modulante ſalutat.
O mihi quam viridi mœrens Philomela ſub vmbra
Solatur triſtes querulo bene gutture luctus,
Et diros Terei incuſat crudelis amores.
Huius carminibus captus ſub rupe iacenti
Membra ſoporifero componit languida ſomno
Propter aquam paſtor, fugiens vbi murmure riuus
Pertenui graciles ſecum deuoluit arenas:
Dum paſſim (ſua cura) boues, paſſimque capellæ
Et niuei circum attondent dumeta iuuenci.

Apud P. Laur. le Brun. to. 2. Eloq. Poet.

Vere nouo natura ſuis edocta tenebris,
Et euoluta faſciis,
Sic oculus, ſic ora, manus ab origine mundi
Ferebat in pomario:
Quo ſtetit, & pubem foliis circumdedit arbos,
Et mota ventis annuit.
Nunc quoque nec aliter Zephyrus volitabit in hortis,
Florumque mæcenas erit.
Ille meus ſubito campos depinget Apelles,
Viui coloris artifex.
Coniugis in gremium demittet Iuppiter imbres,
Vt nata creſcant gramina.
Flente tamen cœlo noſter ridebit agellus,
His irrigatus lacrymis,
Perque virens florebit auis Iunonia pratum
Millena pandens ſidera.
Mille venuſtates: ceu culta tapetia Belgæ
Acu Prygum diſtinxerint.
Mox thimbræ calices, & odora toreumata nardi,
Calthæque pendent luteæ
Pallebitque ſalix; & cum colocaſia ſurgent,
Paſtor lauabit vellera.

P. Iac. Balde Sil. l. 7. Ode 1.

Iam Ver conſtiterat: pleniſque inuecta quadrigis
Choris inumbrati ludebat imagine campi;
Induerant ramos excuſſo frigore ſiluæ,
Prataque turgebant noua pubeſcentibus herbis
Per virides diffuſa toros.

Idem tom. 2. heroic.

Ver erat, & variis veſtita coloribus arua
Floribus halabat, zephyris motantibus alas
Ore dabant roſeo qui dulcibus oſcula pratis.
Veris ad aſpectum ridebant germina rore,
Plaudebant cantu volucres, ſaltuque caduci

Imbri-

Imbrifero fontes : querulo ſub turbine fruſtrà
Rupe ſub Æolia Boreas vndabat & Auſter
Rurſus vt æquoreas agitarent motibus vndas.
Dum volucres cantu, dum fontes murmure, flores
Fronde ſalutabant dum veris amabile regnum;
Æquora, & æquatis vndis, tacitiſque procellis
Marmora marmor erant.

P.Car.de Luca l.16.Dom. Iaur.

Iam ſoporatos meruit tepores
Floreo tellus hilarata riſu:
Sibilant auræ, Zephyruſque vernum Circinat aurum.
Iam coronato trabeata flore
Ætna, quam miti grauidat maritus
Halitu ventus dat odora picti Munera veris.
Fallor an viuis oculatus aſtris
Ridet hortenſes polus ipſe ſcenas?
An ſuum paſſim ſibi viluiſſe Incipit aurum?
Attamen picto foliorum aceruo
Floreis cœlos imitatur aſtris
Frondeus fornix, humeriſque lentas Euocat auras.
Candidis paſſim viret in theatris
Scena florali tumefacta prole;
Quam ſibi florum ſinuant minores Caſtra Quirites.
Hinc coruſcantes imitata ſtellas
Flora natiuo variat tenellum
Serico germen, radiatque flauis Lilia cirris.
Inde bulboſis tuberoſa criſtis
Lacteq nutat roſa ſub colore
Quam pudor circumuolat, & parentis Gloria veris.
Inde diſperſis lacerata ſpinis
Floridum ſcitè ſimulat cruorem:
Ac odorato ſocios amœnat Sanguine dumos.

P. Alber. Ines Cent. 1. Ode 11.

Æſtas.

IAm clarus occultum Andromedes pater
Oſtendit ignem, iam Procyon furit
Et ſtella veſani Leonis
Sole dies referente ſiccos.
Iam paſtor vmbras cum grege languido
Riuumque feſſus quærit, & horridi
Dumeta Siluani, caretque
Ripa vagis taciturna ventis.

Horatius l.3. Ode 29.

Cum verò in vaſtos ſurgit Nemeæus hiatus
Exoriturque Canis, latratque Canicula flammas,
Et rapit igne ſuo, geminatque incendia Solis:
Qua ſubdente facem terris, radioſque monente
Dimicat in cineres orbis, fatumque ſupremum

Sorti-

Sortitur, languetque ſuis Neptunus in vndis
Et viridis nemori ſanguis decedit, & herbis.

Manlius l. 5.

Tempus erat cœli cum torrentiſſimus axis
Incumbit terris, ictuſque Hyperione multo
Acer anhelantes incendit Sirius agros.

Statius l. 3. ſil.

Non ſic prata nouo vere decentia
Æſtatis calidæ deſpoliat vapor,
Sæuit ſolſtitio cum medius dies
Et noctem breuibus præcipitat rotis:
Langueſcunt folio lilia pallido
Et gratæ capiti deficiunt roſæ.

Seneca in Hipp. in Cho. ac. 2.

Cernis vt infeſtis incanduit ignibus æther
Vt calido ſitiens ſole dehiſcit humus?
Cernis vt in proprio conflagrant omnia buſto
Vt moriens pluuio ſupplicat herba polo?
Aſpicis vt vaſto conſiſtit in æquore Nereus,
Nec reuehunt curuas flumina ſicca rates?
Vt fluuios armenta petunt, nemorumque receſſus.
Vt fugiant Phœbi lucida tela greges?
Vt genus arboreum rimas contraxit hiantes,
Vt teneris languet pallida ſilua comis?

P. Tarq. Gallutius l. 2. el. 6

Adduxere ſitim ſextilis tempora Solis,
Et calidus medios æſtus hiulcat agros.
Andromedæque pater concluſos exerit ignes,
Et Canis, & Procyon rubra per aſtra furit.
Nec minus interea veſani ſtella Leonis
Impulit immites ſiccius ire dies.

Idem l. 2. el. 7.

Et iam Sol Nemeos ardens ad fræna Leones
Egerat, & magnis rugitibus aſtra fugabat.
At contra obuerſus latranti Syrius ore
Terrebat calido reduces oriente iugales.

P. Al. Donatus l. c. 9.

Non ſatis eſt calidis quod cincta vaporibus æſtas
Flagrantem incendit Nemeæo Sidere Romam,
Pulueruſque Tybris ſitientibus æſtuat vndis? *Et inf.*
Ipſe autem Auguſtos medius qui temperat axes
Sol, aliam cœlo non ire potentior arcem
Fertur, & obliquum ſignis trepidantibus orbem,
Quam cum terrificos egit ſub fræna Leones,
Inceditque feris calidum flagrantibus annum.

Id. m l. 2. car. 13.

Vt cum lethiferos accendit Syrius ignes
Riuus aquas, hortus flores, pratum inuidet herbas:
Pallet humi facies nullo depicta colore:
Ipſa ſuos ſitiens fœtus non educat arbos.
Intereunt fruges ſiliqua labente peruſtæ,
Arua col't nemo ſiccis areutia glebis
Vomeris & durum non admittentia dentem,
Cuncta iacent nimio cœli contuſa calore.
Petr. Bembus in car. Benacus.

.... Lædeos contorquet protinus ignes,
Icarium canem ſoluit, qui gutture terram
Perſonat ignivomo, patriumque inflammat olympum
Herculus furit inde labor, collumque ſuperbum
Aſperat in flammas, iratoque attonat ore.
Ipſe viam propiore legit Sol igneus axe;
Iamque faces per inane volant, labentiaque aſtra
Iam ſcintillanti diffindunt nubila tractu.
Vndique graſſantur flammæ; ferus ardor vbique
Ingruit, & terram flagrantior obruit imber. *Et inf.*
Exangues ſine luce iacent in vallibus herbæ,
Pallida languenti tabeſcunt lilia fronde.
Iam venit heu morbo nimium properata ſeuectus,
Et modo lactentes areſcere cogit ariſtas.
Hinc timet extremis tellus ſuccumbere fatis
In medio pauefacta rogo: iam iamque crematos
Dimicat in cineres proprio moribunda ſub ictu
Ipſa ſibi tumulus, rogus ipſa, atque ipſa cadauer.
Aug. Maſcardus l. 2. Sil. in car. Æſtas.

Sæua Cleonæi cælo iuba fulgurat aſtri
Et Phaetontæis incenditur æthra lupatis,
Icarijque canis latratu exterritus humor
Cœca ſubit terræ, tenueſque ſolutus in auras
It vapor, infeſtumque fouet leuis vnda calorem.
Apud P. Laur. le Brun to. 1. eloq. Poet.

Autumnus.

PRima vel Autumni ſub frigora, cum rapidus Sol.
Nondum hyemem contingit equis, iam præterit æſtas.
Virg. l. 2. Geor.

Protinus extremo cum iam Boreas autumno
Incubuit terris, primo cum frigore tactæ
Labuntur frondes, maternaque brachia linquunt.
Nec cariem cæſæ formidant robora ſiluæ.
Politianus in Ruſtic.

Nonne vides, vbi ſe cœlo librauit Orion
Enſifer in medio, cuſtodes vinea ſepes
Negligit, obiectaſque fores recludit, & aſper
Falcibus extremos populatur vinitor antes?

Cer-

Cernitis vt Lycidas oleas, vt ruſtica Phyllis
Aureolam lentis carpit de vitibus vuam
Et ciſta fœtus, & faſilibus calathiſcis
Vitigenos exportet, onus nec ſentit amico
Iam leuior Baccho, & cantu minuente laborem.
P.Tar. Gallutius l. 1. car. 18.

Iam diem gyro breuiore claudens
Phœbus inſani rabiem Leonis
Sedat, autumnumque refert decorum Mollior æſtas.
Ille maturis redimitur vuis
Lætus incedit per amœna rura.
Eius aſpectu exhilarata ducunt Poma colorem.
M. Ant. Flaminius l. 1. car.

Ibat in autumnum vergens clementior æſtas;
Extrema Canis Erigone iam purpurat vuas,
Vlmorumque ſuper liuentes brachia botri
Meſſibus exhauſtis reuocant ad præla colonos,
Lenæoſque nouare lacus, & dolia ſuadent.
P. Ant. Millieus Moyſ. Viat. l. 16.

Salue, ait, ò nunquam ſatis implorata bibenti
Mater inhumano nimium malè viſa Lycurgo,
Votum anni, ſpes agricolæ mitiſſima, ſalue:
Tu gemmis Autumnum oneras, mollique pyropo
Plectis honoratas operoſa ſine arte corollas.
Quas tenero abſimilis depingit pampinus auro.
Tu nimio defeſſam æſtu, atque extrema trahentem
Fata ſiti terram diſtentis nectare mammis
Prona foues; propriæ tandem, ſed prodiga vitæ,
Cui lacrymas olim dederas (dum vere tepenti
Semiputata truci deflecti brachia falce)
Sanguinis exundans pretioſa fluenta propinas.
Aug. Maſcardus l. 2. ſil.
Vide infra ſub Tit. Vindemia.

Hyems.

Concreſcunt ſubitę currenti in flumine cruſtæ.
Vndaque iam tergo ferratos ſuſtinet orbes,
Puppibus illa prius patulis, nunc hoſpita plauſtris,
Æraque diſſiliunt vulgo, veſteſque rigeſcunt
Indutæ, cęduntque ſecuribus humida vina,
Et totæ ſolidam in glaciem vertere lacunæ,
Stiriaque impexis induruit horrida barbis!
Interea toto non ſecius aere ningit.
Virgilius l. 2. Georg.

Pigro bruma gelu, ſicciſque Aquilonibus hærent
Æthere conſtricto pluuias in nube tenebat
Vrebant montana niues, campoſque iacentes
Non duraturæ conſpecto Sole pruinæ,

Atque omnis propior mergenti ſidera cœlo
Aruerat tellus hiberno dura ſereno.

Lucanus l.4.

Scilicet immanis dum cœli detonat ira
Et tempeſtatum glomeratur in aere turbo,
Frigida concretæ iaculantur ſpicula nubes,
Aſpera bacchantes contorquent ſpicula Canti,
Nix terris inimica ruit, gladioque ſilente
Lancinat agricolæ iam pubeſcentia vota.
Pignora quot terræ cœli penetrabilis ira
Excutit, atque aruis latè graſſatur apertis?
Mox hyemis ſinuata volant vexilla per auras
Quæ tandem terris ſtatuit ſua ſigna ſubactis.

Aug.Maſcardus l. 2. ſil.

Nam valido gelidum cum pectore frigus anhelat
Semifer & ſtellas frigerat ore caper.
Sarmaticaſque niues Boreas componit in Æmo,
Et placido tellus ſupplicat vda polo.
Dum platanus folijs, ſpoliataque vitibus vlmus,
Et ſcabro quercus cortice nuda riget.
Gramina cum pluuio nolunt ſe credere cœlo,
Gemmaque ſub tunicis clauditur alma ſuis.
Frigida cum vitreis concreſcunt flumina cruſtis,
Caurus & in glaciem frigore vincit aquas.

P.Tarq.Gallutius l. 2. el. 1.

Dum glacialis hyems aquilonibus aſperat auras
Dum ſolis nix in montibus alta iacet:
Dum mage creſcentis duplicantur frigora brumæ
Dum gelidos ſtridens verberat imber agros.

Idem eleg. 11.

Namque ecce acuto flumina dum gelu
Concreta torpent: dum grauis Algidi
Vertex pruinoſa minatur
Mole polo, increpitatque nubes:
Maiore dum ſe proripit impetu,
Niuemque latè collibus aggerat
Eurus, nec ictæ parciore
Frigore commoriuntur herbæ.

Idem l. 3. Ode 13.

Tempus erat Riphæa Italæ quo frigora terræ
Portat hyems; ſed enim ſtridenti Aquilone coactas
Apennine tuas glacies, dorſoque niuali
In ſolida effingit gelidos chryſtalla liquores.

P. Alex. Donatus l. 1. c. 6.

Stringebat arua bruma crudeliſſima.
Ibant rigentes in lacerna pallij,
Lorica potius illa, quàm veſtis fuit.

Niue-

Niuoſus aures Aquilo corrugauerat
Naſo frequentes depluebant ſtiriæ,
Niſi præ acuto forte pigræ frigore,
A nare ſtarent pendulæ, quales ſolent
Stillicidiorum ſtare de canalibus.
Suam ſonori muſicam nolint, velint,
Vtrique dentes concinebant frigidam.

P. Aug. Gaxaus in lib. Pic. Hipar.

TEMPVS, SÆCVLVM, SIVE ÆTAS.

Tempus.

IPſa quoque aſſiduo labuntur tempora motu,
Non ſecus ac flumen; neque enim conſiſtere flumen
Nec leuis hora poteſt; ſed vt vnda impellitur vnda,
Vrgeturque eadem, veniens vrgetque priorem,
Tempora ſic fugiunt pariter, pariterque ſequuntur,
Et noua ſunt ſemper, nam quod fuit ante relictum eſt,
Fitque quod haud fuerat; momentaque cuncta nouantur.

Et infra.

Tempus edax rerum, tuque inuidioſa vetuſtas
Omnia deſtruitis, vitiataque dentibus æui
Paulatim lenta conſumitis omnia morte.

Ouidius l. 14. met.

Heus carpit horis tempus edacibus
Auratus annus, ductaque feruidis
Natura quadrigis, in horam
Præcipitat, trepidatque metam.
Pernix ſupremi tangere funeris.
Dies fugaci prætereunt pede:
Nec ſuſtinet Soles caducos
Lubrica conditio diei.

P. Tar. Gallutius l. 3. Ode 20.

Imò tunc etiam, Rubì,
Cum vitam trahimus, perdimus, & leues
Parcarum terimus colos,
Laſſamuſque citi ſtamina ſæculi.
Quà quiſque eſt genitus die,
Illa mortis iter cœpit & arduam
Lethi currere ſemitam.
Æternum fugiunt ſæcula: quælibet
Fato fit propior dies;
Et quidquid puero temporis additur,
Vitæ detrahitur ſuæ.
Sed (proh!) quis pretium temporis æſtimat:

Quis lapſos numerat dies,
Annorumque fugam? quis morientium
Inter funera menſium,
Vitæ rupta ſuæ licia computat?
Vix nati pereunt dies
Et dum perpetuis mentibus obuij
Æternas terimus moras,
Vrgent proua ſuum fata negotium.
P. Alb. Ino. Iyr. cent. 1. Ode 53.

Ætas Aurea.

QVam benè Saturno viuebant Rege priuſquam
Tellus in longas eſt patefacta vias
Nondum cæruleas pinus contempſerat vndas
Effuſum ventis præbueratque ſinum:
Nec vagus: ignotis repetens compendia terris
Preſſerat externa nauita merce ratem.
Illo non validus ſubijt iuga tempore taurus,
Non domito frenos ore momordit equus,
Non domus vlla fores habuit: non fixus in agris,
Qui regeret certis finibus arua, lapis.
Ipſæ mella dabant quercus, vltroque ferebant
Obuia ſecuris vbera lactis oues,
Non acies, non ira fuit; non bella; nec enſes
Immiti ſæuus duxerat arte faber.
Tibullus l. 1. el. 3.

Aurea prima ſata eſt ætas, quæ vindice nullo
Sponte ſua ſine lege fidem, rectumque colebat.
Pœna metuſque aberant, nec vincla minacia collo
Ære ligabantur, nec ſupplex turba timebat
Iudicis ora ſui, ſed erant ſine iudice tuti.
Nondum cæſa ſuis, peregrinum vt viſeret orbem,
Montibus, in liquidas pinus deſcenderat vndas:
Nullaque mortales præter ſua littora norant.
Nondum præcipites cingebant oppida foſſæ,
Non turba directi, non æris cornua flexi,
Non galeæ, non enſis erat: ſine militis vſu
Mollia ſecuræ peragebant otia gentes,
Ipſa quoque immunis, raſtroque intacta, nec vllis
Saucia vomeribus, per ſe dabat omnia tellus.
Contentique cibis nullo cogente creatis
Arbuteos fœtus, montanaque fraga legebant,
Cornaque, & induris hærentia mora rubetis,
Et quæ deciderant patula Iouis arbore glandes
Ver erat æternum, placidique tepentibus auris
Mulcebant Zephyri natos ſine ſemine flores
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat:
Nec renouatus ager grauidis canebat ariſtis.
Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant,
Flauaque de viridi ſtillabant ilice mella.
Ouidius l. 1. met.

hoc

.... hoc equidem reor
Vixiſſe ritu primos, quos miſtos Deis
Profudit ætas: nullus his auri fuit
Cœcus cupido: nullus in campo ſacer
Diuiſit agros arbiter populis lapis.
Nondum ſecabant credulę pontum rates:
Sua quiſque norat maria, non vaſto aggere.
Crebraque turre cinxerant vrbes latus.
Non arma ſęua miles aptabat manu:
Nec torta cluſas fregerat ſaxo graui
Baliſta portas: iuſſa nec dominum pati
Iuncto ferebat terra ſeruitium boue.
Sed arua per ſe fœta poſcentes nihil
Pauere gentes; ſilua natiuas opes
Et opaca dederant antra natiuas domos.

Seneca in Hyppol. ac. 2. ſc. 2.

Tunc illa Virgo Numinis magni Dea
Iuſtitia cœlo miſſa cum ſancta fide
Terras regebat mitis; humanum genus
Non bella norat, non tubę fremitus truces,
Non arma gentes: cingere aſſuerant ſuas
Muris nec vrbes: peruium cunctis iter,
Communis vſus omnium rerum fuit.
Et ipſa tellus lęta fœcundos ſinus
Pandebat vltro, tam pijs felix parens
Et tuta alumnis.

Idem in Oct. ac. 2. ſc. 1.

Tunc tellus communis erit: tunc limite nullo
Diſcernetur ager: nec vomere ſulcus adunco
Findetur: ſubitis meſſor gaudebit ariſtis.
Rorabunt querceta fauis: ſtaguantia paſſim
Vina fluent, oleique lacus: nec murice tinctis
Velleribus quęretur honor, ſed ſponte rubebunt
Attonito paſtore greges; pontumque per omnem
Ridebunt virides gemmis naſcentibus algæ.

Claudianus l. 1. in Ruff.

Non hominum certę ſedes, non vlla Deorum
Formido: natura illis tectumque laremque
Prębebat, quà ſe Oceano nox acta ferebat
Carpebant feſſi ſomnos, & membra locabant,
Aut antro tecti, aut nemorum frondentibus vmbris
Errantes impune greges per paſcua lęta.
Cernere erat commune ſolum, communia tellus
Iguauis alimenta dabat; tum pocula riui,
Et paſſim viuis lapſi de fontibus amnes.

Pontanus l. 2. de Stell. de Ariete.

Ecce canes, leporeſque vnà: iacet ecce ſub vmbra
Proxima cerua leę: pauido cum turture miluus
Cantat, & accipitri plorat coniuncta columba.

Ite Palæſtini per gaudia veſtra : vagatur
Iam nullo cuſtode pecus, non crate ſaligna
Clauditur, aut texto compellitur hædus hibiſco.
Prædator non inſidias hic inſtruet vllas,
Ipſa licet latos errent armenta per agros.
Aurea nimirum cum pace renaſcitur ætas.
Non taxus, non quæ veſtigat gramina Colchis,
Non ſuccos viroſa graues aconita miniſtrant:
Non quiſquam Salpigna tuas calcare latebras
Non timeat medijs ſitientes Dipſadas vndis.
Occidit & Natrix, præſenti Vipera tabe
Occidit, & gramen fallacibus aruit herbis,
Succedunt caſiæ vulgo, ſuccedit amomum,
Perpetuo lætus ſuccedit amaracus amne.
Paſſim mella fluunt, ſudant opobalſama truncis,
Sudat Achæmenium rigido de robore coſtum.
Iam nullo veniunt iactæ de ſemine fruges:
Sponte ſua florebit ager ceſſante iuuenco,
Et flauis iniuſſa ſeges fluitabit ariſtis
Fœcundis contenta Notis, & rore marito
Non mala rubigo culmos conſumet inertes,
Non ſegetes inter ſteriles naſcentur auenæ.
Non tribuli, lappæque inter nitidiſſima culta,
Carduus, aut medijs ſurget paliurus in aruis.
Tollite colla iugis, & demite aratra iuuencis
Tollite plauſtra viri, trabeaſque, & virgea texta,
Arbuteas crates, & flexæ robora fagi;
Omnia nam tellus nullo poſcente miniſtrat
Sponte ſua, larga rumpuntur & horrea meſſe.

P. Tarq. Gallutius l. 1. car. 1.

Sed tellus communis erit, ſed nullus auaris
Stabit colonis arbiter fundi lapis.
In commune fluent ſancti ſine nomine fontes,
Naſcentur omni liberæ fruges agro.
Tunc bona proſpicient purgatas ſidera terras,
Tunc ægra nullo Sole pallebit Ceres.
Non Aquilo graciles, non eruet Eurus ariſtas,
Sed innocentes & calore languidi
Mulcebunt violas, mulcebunt lilia ſoles
Omnique lenis annuet vento ſeges.
Vina fluent vulgo riuis, felicia vulgo
per rura current lacteo fontes pede.
Sponte ſua dulces ſalient in pocula limphæ,
Sincerus, & ſæuire neſcius liquor.

P. Caſ Sarbienius lib. Epod. Ode 8.

Saturno regnante dies fulſere ſereni:
Aurea currebant flauo pede luſtra per orbem
Nuſquam viſa lues, tranquillæ viuida læto
Naturæ facies recubans in gramine riſit
Poma fames, & lympha ſitis: blanda otia curæ
Pura dies ibat ſiluis præbentibus vmbram,

Nox

Nox amor, & vacui terroris imagine ſaltus.
Sidera ſuadebant placidos labentia ſomnos.
Neſcitum qualis foret, aut quæ bellua, morbus,
Nullus erat Medicus, nullus medicaminis vſus.
P. Iac. Balde Satyra 3.

.... nondum iræ rebellis
Spreuerat imperium, nondum veſana libido
Traxerat auerſam ſtudia in contraria mentem,
Aut ſuaſit prædulce nefas, non luxus honeſtum
Diſpulit, aut faſtu ſtuduit calcare minorem
Ambitio, toto pietas proſcripſerat orbe
Infames ſcelerum vultus, non horruit inſons
Terra Deum non dum pœnis celebrata Lycurgi
Laus erat, aut ſpretæ tenebroſo carcere leges
Damnauere reum, nondum periura Minos
Oderat, aut rigidi clamabant iura Solones,
Ipſa ſuis conſtans præerat prudentia factis,
Et recti connatus amor, non regula vitæ,
Non probitas diſcenda fuit, non vlla pudoris.
Arguerat fontem facies, nocituraque mundo
Probra fuere palam.
Barlaus Heroic. l. 2.

Aetas ferrea.

PRotinus irrupit venæ peioris in æuum
Omne nefas; fugere pudor, verumque, fideſque,
In quorum ſubiere locum fraudeſque, dolique,
Inſidiæque, & vis, & amor ſceleratus habendi.
Vela dabat ventis, nec adhuc bene nouerat illos
Nauita: quæque diu ſteterant in montibus altis,
Fluctibus ignotis inſultauere carinæ.
Communemque prius, ceu lumina Solis; & auras
Cautus humum longo ſignauit limite menſor.
Nec tantum ſegetes, alimentaque debita diues
Poſcebatur humus, ſed itum eſt in viſcera terræ:
Quaſque recondiderat, Stygijſque admouerat vmbris,
Effodiuntur opes, irritamenta malorum.
Iamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum
Prodierat, prodit bellum, quod pugnat vtroque,
Sanguineaque manu crepitantia concutit arma.
Viuitur ex rapto; non hoſpes ab hoſpite tutus.
Nec Socer à genero, fratrum quoque gratia rara eſt.
Imminet exitio vir coniugis, illa mariti.
Lurida terribiles miſcent aconita nouercæ.
Filius ante diem patrios inquirit in annos.
Victa iacet pietas: & Virgo cæde madentes
Vltima cœleſtum terras Aſtræa reliquit.
Ouidius l. 1. Met.

Rupere fœdus, impius lucri furor
Et ira præceps: quaſque ſuccenſas agit

Libido mentes, venit imperij ſitis,
Cruenta factus pręda maiori minor,
Pro iure vires eſſe, tum primum manu
Bellare nuda, ſaxaque, & ramos rudes
Vertere in arma, non erat gracili leuis
Armata ferro cornus, aut longo latus
Mucrone cingens enſis, aut criſtę caput
Galeę comantes: tela faciebat dolor.
Inuenit artes bellicus mauors nouas,
Et mille formas mortis: hinc terras cruor
Infecit omnes fuſus, & rubuit mare.
Tum ſcelera dempto fine per cunctas domos
Iere, nullum caruit exemplo nefas.
A fratre frater, dextera nati parens
Cecidit, maritus coniugis ferro iacet,
Perimuntque fœtus impię matres ſuos.

Seneca in Hipp. ac. 2. ſc. 2.

Sed in parentis viſcera intrauit ſuę
Deterior ętas: eruit ferrum graue
Aurumque; ſęuas mox & armauit manus;
Partita fines regna conſtituit; nouas
Extruxit vrbes: tecta defendit ſuis
Aliena telis, aut petit prędę imminens,
Neglecta terras fugit & mores fętos,
Hominum cruenta corde pollutas manus
Aſtręa Virgo, ſiderum magnum decus.

Seneca in Oct. ac. 2. ſc. 1.

Res æterna.

DVm iuga montis aper, fluuios dum piſcis amabit,
Dumque thymo paſcentur apes, dum rore cicadę.

Virg. Ecl. 5.

In freta dum fluuij current, dum montibus vmbrę
Luſtrabunt, conuexa polus dum ſidera paſcet.

Idem l. 1. Æn.

Lucida dum current annoſi ſidera mundi
Oceanus clauſum dum fluctibus ambiet orbem.
Lunaque dimiſſos dum plena recolliget ignes,
Dum matutinos prędicet Lucifer ortus,
Altaque cęruleum dum Nerea neſciet Arctos.

Seneca in Oed. in Cho. ac. 2.

..... dumque in tacito vaga ſidera mundo
Fulgebunt, dum Sol nigris orietur ab Indis,
Preuia luciferis aderit dum curribus Eos
Dum ver triſtis hyems, autumnum proferet ęſtas,
Dumque fluet ſpirans, refluetque reciproca Thetys
Dum mixta alternas capient elementa figuras.

Politianus in manto.

Ante

Ante fretis ventura quies, & deſinet æſtus
Oceani, ponentque Noti, monteſque reuulſi
Sedibus aerias tollent ſe ſponte per auras;
Quam tacita de mente cadant, quos ante ſub imo
Corde meus ſibi clauſit amor dum ſurget ab ortu
Iuſſa dies, curſuque vago ſol ambiet orbem:
Dum ſubitura vices vultus, & menſtrua lucem
Luna feret, noctemque reget, dum ſidera cœlo
Labentur pontoque cadent, pontoque reſurgent;
Dum cita perpetuos olim voluentur in orbes,
Fixaque defixo dum ſtabunt tempora cælo,
Stabit in æternas vigili ſub pectore curas,
Quem gero matris amor.

P. Ant. Chanut. ix Parn. Poet. Soc. Ieſu.

AERIA.

Aeris regiones.

AEtheris excelſos lunæ cum ſubderet ignes,
Ardentique leuem ſuccingeret aera gyro,
Et tamen aeriæ flammas defenderet auræ:
En, ait, oſtendens æthram, tractuſque liquentes
Aeris, en tenues elementi agitabilis auras,
Perſpicuos inter viſus, ſpirabile vitæ
Præſidium, rutilæ candens, & amabile lucis
Hoſpitium, Solis, Lunæ, aſtrorumque theatrum,
Siderei quo tota oculis ſe gloria mundi
Explicat, emporiumque orbis, quo nubila tellus
Mittit, & vndè ſui terris mittuntur amores.
Hærebam mirata læui difflabile vento
Corpus, & exili pennæ violabile motu,
Omnibus expoſitum naturæ in vulnera telis
Infeſtiſque patens odijs, commune volantum
Ludibrium, emiſſis ſtudium in certamina venti
Nubibus addictum, nimbiſque furentibus æquor.
Tam liquidum, tam molle, tamen durabile cœli
Robur, & indomito fixum firmamine legis
Stare nec hoſtiles audax horrere furores.
Hoc Deus in ſuperas ſpatium cum tolleret arces,
Tergemino placet aerias diſcrimine ſedes
Hic ſtatuiſſe, refert, tractus: ſuprema cruentos
Terribileſque minace coma feret aura cometas,
Accenſaſque faces, & labi credita cœlo
Sidera, & vltrices accenſi Numinis iras.
Hæc procul attollens ſignum fatalia pandet
Omnia, diuinumque dabit placare furorem.
Aduerſi in media miſcebunt prælia venti
Iuratoque truces concurrent Marte procellæ,
Hic dira piceis glomerata tonitrua nimbis
Voce frement, rapidis vibrabunt fulgura flammis
Vindicibuſque furent horrentia fulmina telis,
Hinc pluuiæ, denſæque niues, & ſaxeus imber

Grandinis, & triſtes humana in damna ruinæ.
Infima vitales ægris animantbus auras
Securique modum greſſus e facilemque labori
Humano dabit æthra viam, cœlique fauentis
Opportuna feret fæcundæ munera terræ.
P. Ant. Chanut in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Nubes.

Alba parum denſa eſt, raroque immixta vapore.
Quam Sol irrumpit radijs, & ad intima tranat
Nigra grauem traxit denſa caligine fumum,
Non illa vt penetrent Nemæi lumina Phœbi.
Puniceam multus ſubijt calor, occupat humor
Cæruleam, grauidamque imbri, longèque madentem.
Has collidentes ſequitur fragor, & ſimul ingens
Porta tonat cœli, rumpitque ad tartara clamor.
Iou. Pontanus in lib. Meteor.

Procul hinc abeſte nubes,
Nubes ſerenitatis
Maculę maligniores,
Næui nitenti æthere
Ridentis orbis iræ.
Voces, & faces cruentas
Et tela criſpiſcula
Athos, Oſſa, Peliuſque
Alpeſque pertimeſcunt.
In Veſtigio Gymn. Rom. par. 1

Nubes columna, ſpecie dux Hebræorum.

Vix etenim euerſo vallo ſe ſuderat agmen
In campos, cum per tenebras deſcendere nubes
Viſa polo, ſplendens radijs, quos plurimus igni
Accendit vapor, humentes vt temperet vmbras
Noctibus, ignitoque vias ſub tramite monſtret:
Illa cadens ſimul ingenti producta cylindro,
Vertice ſublimis ſocijs ſuſpenditur aſtris:
Inde baſim terras verſus largo agmine fundens
Protegit Iſacidas, & noctem lumine purgat,
Subluſtremque diem caſtris ſub tegmine præbet,
Siue viam noctu carpant, ſiue fixa reſidant.
P. Vnt. Millieus l. 4. Moyſ. Viat.

Qualis Erythræi nubes ad prima profundi
Littora, quæ trepidas Phario terrore phalangas
Iſacidum vallans, profugos ſtetit inter, & hoſtes
Immanem tollens ingenti mole columnam:
Donec in aduerſum ſicco maris æquore littus
Traijceret patulas vna gens nocte per vndas,
Horrenti longum illa vagam deduxit eremo,
Et caſtris metata locum, ſtitit: inde morarum

Inter-

Interualla notans, ſublatis vadere ſignis
Iuſſit, & inſtabiles ſtantem ſibi figere metas.
Perque diem rapidos cum ſol intenderet æſtus,
Deſuper ardentes pandens ſe lata per auras
Arcebat nocuum denſa caligine ſolem,
At cœca de nocte diem fulgente ferebat
Luce nitens, vnoque dabat contraria nimbo.
P. Ant. Chanut. in Parn. poet. Soc. Ieſu

Quæ procul ingenti migrantis mole columnæ
Ad mare ſublimem ſe tollit in aera nubes,
Hæc trepidæ tutela fugæ, lætabile vitæ
Præſidium, Pharios inter per aperta ruentes
Æquora, & Iſacidas profugos mirabile vallum;
Vindicis arx, acieſque Dei, Martiſque furentis
Machina, concluſos vndis qua ſæuus in hoſtes
Fulgurat, exitium Pharaonis, & horrida clades
Mempheos, Iſiacæ fatum exitiabile terræ.
En piceo triſtes flammas vt rubra colori
Miſcet, & eliſis acres erumpit in iras
Ignibus: horrificum tonitru reſonare fragorem,
Vltoremque ſubeſſe Deum notat ardor, & atri
Agminis vndantes violento turbine nimbi.
Sub mediam, qua flamma globo rubet alta minaci
Triſtius, intento ſtat formidabile Numen
Fulmine: per vaſtam dux hic erit Ales eremum.
Vndique terrores circum, & flagrantibus iræ
Frontique, & rapidæ Phariorum in funera pœnæ,
Horret ad hæc ſubito trepidum mare, rupta profundi
Attonit coit vnda metu, ſonituque frementi
Irruit in Pharaona ferum.
Idem. ibidem.

Nebula.

HÆc inter mediæ ſpatijs ingentibus auræ
Triſtibuſque obſeſſæ nebulis, quas mittit in altum
Terra, ſinu tetros iaculans ſuper æthera fumos,
Fœdaque ſidereo prætexens nubila cœlo.
Scilicet æthereis tenebras offundere flammis
Hæc velit, & purum maculis aſpergere cœlum.
Aſpice vt vndanti reuolutæ turbine nubes
Obſcænos glomerant æſtus, faciemque ſerenam
Aeris, auratamque diem graueolentibus vmbris
Infuſcant, terroſque ferunt in ſidera fumos.
Terra luit tam triſte nefas, dat grandine pœnas,
Fulminibuſque: ruit fœdis è nubibus vltor
Imber, & afflatam regerunt mala nubila peſtem.
Idem ibidem.

Venti.

HAlitus ille autem, atque ima tellure remiſſus
Hos generat, vireſque animis roburque miniſtrat,

Sol pater educit, mater dedit vbera tellus
A ſummo Boreas, Notus imo ſpirat olympo,
Occaſum inſedit zephirus, venit Eurus ab ortu.
Hoc circum varij dextra, leuaque feruntur
Atque agitant tenues diuerſis flatibus auras. *Et inf.*
Cur autem quando huc toties diſcurſet, & illuc
Spiritus hic, varios agitant ſine lege tumultus,
Cur non & ſuperas pennis petit improbus arces?
Omnis in aerias quicumque elabitur oras
Halitus immiſto paulatim educitur igni:
Qui poſtquam gelidam ſummo capite attigit arcem,
Senſit & aduerſi contraria frigoris arma;
Illicet ipſe pedem retro fert, pondere & ipſo
Quod multum traxit grauida de matre volutus
Ad matrem trahitur ecce hic nouus aduenit ignis
Auxilio retinens labentem. ille arma reſumit
Fortior ad pugnam, ſimul huc perlatus & illuc,
Dumque cadit reſilitque, leuis tum pellitur aer,
Et quo maiores à frigore pertulit ictus,
Maioremque trahit fœcunda è matre vigorem
Halitus, hoc maiore ruens ferit aera pulſu.
Iouinianus Pontanus in lib. meteor.

Sunt igitur venti nimirum corpora cœca
Quæ mare, quæ terras, quæ denique nubila cœli
Verrunt, ac ſubito vexantia turbine raptant.
Quæ veluti validum flumen, cum procubuere
Quamlibet in partem trudunt res ante, ruuntque
Impetibus crebris; interdum vortice torto
Corripiunt, rapidique rotanti turbine portant.
Lucretius lib. 1.

Boreas.

APta mihi vis eſt: hac triſtia nubila pello,
Hac freta concutio, nodoſaque robora verto
Induroque niues, & terras grandine pulſo.
Idem ego cum fratres cœlo ſum nactus aperto
(Nam mihi campus is eſt.) tanto molimine luctor,
Vt medius noſtris concurſibus inſonet ęther,
Exiliantque cauis eliſi nubibus ignes.
Idem ego cum ſubij conuexa foramina terrę,
Suppoſuitque ferox imis mea terga cauernis,
Sollicito manes, totumque tremoribus orbem.
Ouidius l. 6. met.

Ac veluti annoſam valido cum robore quercum
Alpini Borę nunc hinc, nunc flatibus illinc
Eruere inter ſe certant: it ſtridor, & alte
Conſternunt terram concuſſo ſtipite frondes.
Virgilius l. 4. Æn.

Ac velut Edoni Boreæ cum ſpiritus alto
Inſonat Ægæo, ſequiturque ad littora fluctus
Quà venti incubuere, fugam dant nubila cœlo,
Idem l. 12. Æn.

Thracius hos Boreas ſcopulos, immitia regna,
Solus habet, ſemperque rigens nunc littora pulſat,
Nunc ipſas alis frangit ſtridentibus Alpes:
Atque vbi ſe terris glaciali fundit ab Arcto
Haud vlli contra fiducia ſurgere vento
Vorticibus rapidis torquet mare, fractaque anhelant
Æquora, & iniecto conduntur gurgite montes.
Sil. Italicus l. 1.

.... ceu turbine rauco
Cum grauis armatur Boreas glacieque niuali
Hiſpidus, & Getica concretus grandine pennas
Flare cupit, pelagus, ſiluas, campoſque ſonoro
Flamine rapturus: ſi forte aduerſus ahenos
Æolus obiecit poſtes, vaneſcit inanis
Impetus, & fractæ redeunt in clauſtra procellæ.
Claudianus l. 1. de raptu.

Qualis vbi Arctois Boreas erupit ab antris
Aereos rapido percurrens turbine campos
It cœlo ferus, & piceas toto æthere nubes
Inſequitur: dant victa locum, & caua nubila cedunt.
Hier. Vida l. 1. Chriſt.

Auſter, ſiue Notus.

EMittitque Notum: madidis Notus euolat alis
Terribilem picea tectus caligine vultum.
Barba grauis nimbis, canis fluit vnda capillis
Fronte ſedent nebulæ, rorant pennæque, ſinuſque.
Vt que manu latè pendentia nubila preſſit
Fit fragor, & denſi funduntur ab æthere nimbi.
Ouidius l. 1. met.

.... ſed turbidus Auſter.
Ipſe agit vndantes nimborum in prælia turmas,
Dux ipſe pluuiarum, & longè maximus auctor,
Eductos namque immenſum regione peruſta
Denſorum fluctus longinqua ab ſede vaporum
Intoluit, raptaque agitans, qui deinde ſoluti
Fundunt præcipites abruptis nubibus imbres.
Diluuioque vno abſorbent pecudeſque viroſque
Tantum Auſter diſcuſſa furens per nubila fertur.
Pontanus in lib. Met.

Ze-

Imbrifero fontes : quer
Rupe ſub Æolia Bore
Rurſus vt æquoreas a
Dum volucres cantu ,
Fronde ſalutabant du
Æquora , & æquatis v
Marmora marmor eran

Iam ſoporatos meruit
Floreo tellus hilarata
Sibilant auræ, Zephyr
Iam coronato trabeat
Ætna , quam miti grau
Halitu ventus dat odo
Fallor an viuis ocula
Ridet hortenſes polus
An ſuum paſſim ſibi vil
Attamen picto folioru
Floreis cœlos imitatur
Frondeus fornix, humeri
Candidis paſſim viret
Scena florali tumefacta
Quam ſibi florum ſinuant
Hinc coruſcantes imit
Flora natiuo variat tene
Serico germen, radiatqu
Inde bulboſis tuberoſa
Lacteo nutat roſa ſub c
Quam pudor circumuolat
Inde diſperſis lacerata
Floridum ſcitè ſimulat c
Ac odorato ſocios amœn

IAm clarus occultum
Oſtendit ignem, iam
Et ſtella veſani Leo
Sole dies referente
Iam paſtor vmbras cum
Riuumque feſſus quærit
Dumeta Siluani, ca
Ripa vagis tacitu

Cum verò in vaſtos ſu
Exoriturque Canis , latra
Et rapit igne ſuo; gemin
Qua ſubdente facem ter
Dimicat in cineres orbis

Inter vtrumque fremunt immani turbine venti:
Neſcit cui domino pareat vnda maris.
Nam modo purpureo vires capit Eurus ab ortu.
Nunc zephyrus ſero veſpere miſſus adeſt.
Nunc gelidus ſicca Boreas bacchatur ab Arcto.
Nunc notus aduerſa prælia fronte gerit.

Ouidius l. 1. Triſt. el. 2.

Primus ab Oceano caput exeris Atlantæo
Core mouens æſtus iam te tollente furebat
ontus, & in ſcopulos totas erexerat vndas.
Occurrit gelidus Boreas, pelaguſque retundit:
t dubium pendet, cui vento pareat æquor,
d Scythici vicit rabies Aquilonis, & vndas
orſit & abſtruſas penitus vada fecit arenas.
ec perfert pontum Boreàs ad ſaxa, ſuumque
fluctus Cori frangit mare, motaque poſſunt
quora ſubductis etiam concurrere ventis.

Lucanus l 5.

Non grauiora mouent venti certamina mole
ryſius Boreas, & Syrtim tollere pollens
ricus, obnixi cum bella furentia torquent:
iſtraxere fretum, ac diuerſa ad littora voluunt
uor quiſque ſuum, ſequitur ſtridente procella
unc huc, nunc illuc raptim mare, & intonat vndis,

Sil. Italicus l. 7.

Sic vbi prima mouent pelago certamina venti
cluſam rabiem, ac ſparſuras aſtra procellas
arturit vnda freti, fundoque emota minaces
xpirat per ſaxa ſonos, atque acta cauernis
orquet anhelantem ſpumanti vortice pontum,

Idem l. 9.

Denſior à terris, & nulli peruia flammæ
ubtexit nox atra polos. iam clauſtra rigentis
Eoliæ perculſa ſonant, venturaque rauco
Ore minatur hyems. venti tranſuerſa frementes
onfligunt, axemque emoto cardine vellunt,
Dum cœlum ſibi quiſque rapit ſed plurimus Auſter
nglomerat noctem, & tenebroſa volumina torquet:

Statius l. 1. Theb.

.... vndique incumbunt ſimul
Rapiuntque pelagus infimo enerſum ſolo,
duerſus Euro Zephyrus, & Boreæ Notus
ua quiſque mittunt tela, & infeſti fretum
moliuntur, turbo conuoluit mare.
rymonius altas Aquilo contorquet niues
ibycuſque arenas Auſter ad Syrtes agit.
ec manet in Auſtro: fit grauis nimbis Notus.
mbre auget vndas. Eurus Orientem mouet

Na-

Zephyrus.

HIc qualis flatu placidum mare matutino
Horrificans zephyrus procliues incitat vndas:
Quæ tardè primum clementi flamine pulſæ
Prociduum leni reſonant plangore cachinnum.
Poſt vento creſcente magis, magis increbreſcunt.
Catullus in car. de Nup. Pelei.

Compellat zephyrum: Pater ò gratiſſime veris
Qui mea laſciuo regnas per prata volatu
Semper & aſſiduis irroras flatibus annum. *Et inf.*
Dixerat, ille nouo madidantes nectare pennas
Concutit, & glebas fœcundo rore maritat.
Quàque volat, vernus ſequitur color: omnis in herbas
Turget humus; medioque patent conuexa ſereno.
Claudianus l. 2. de rapt.

Mollibus Heſperias alternans motibus alas
Nullo clamoſum turbine cogis iter.
Et Samia prope lege ſilens taciturna modeſtus
Flamina molitis, vixque notandus ades.
Vix cannam impellis fragilique cacumine iuncos:
Per te etiam ſabuli eſt intemerata ſtrues.
Plumeus, ac tenerè fluida bombycinus aura
Ventiuolo inuolvis prata nouella ſinu.
Horridaque halitibus pluſquam ciuilibus afflans
Rura foues, ex te parturit omnis ager.
P. Io. Biſſelius l. 1. Vern. el. 9.

Ventorum conflictus.

OMnia ventorum concurrere prælia vidi,
Quæ grauidam latè ſegetem ab radicibus imis
Sublime expulſam eruerent: ita turbine nigro
Ferret hyems culmumque leuem ſtipulaſque volantes.
Virg. l. 1. Geo. g.

Incubuere mari, totumque à ſedibus imis
Vna Euruſque Notuſque ruunt, creberque procellis
Africus, & vaſtos voluunt ad littora fluctus,
Eripiunt ſubito nubes cœlumque diemque
Teucrorum ex oculis, ponto nox incubat atra.
Idem l. 1. Æn.

Aduerſi rupto ceu quondam turbine venti
Confligunt zephyruſque Notuſque, & lætus eois
Eurus equis: ſtridunt ſiluæ, ſæuitque tridenti
Spumeus, atque imo Nereus ciet æquora fundo.
Idem l. 2. Æn.

In-

Inter vtrumque fremunt immani turbine venti:
Neſcit cui domino pareat vnda maris.
Nam modo purpureo vires capit Eurus ab ortu.
Nunc zephyrus ſero veſpere miſſus adeſt.
Nunc gelidus ſicca Boreas bacchatur ab Arcto.
Nunc notus aduerſa prælia fronte gerit.

Ouidius l. 1. Triſt. el. 2.

Primus ab Oceano caput exeris Atlantæo
Core mouens æſtus iam te tollente furebat
Pontus, & in ſcopulos totas erexerat vndas.
Occurrit gelidus Boreas, pelaguſque retundit:
Et dubium pendet, cui vento pareat æquor,
Sed Scythici vicit rabies Aquilonis, & vndas
Torſit & abſtruſas penitus vada fecit arenas.
Nec perfert pontum Boreas ad ſaxa, ſuumque
In fluctus Cori frangit mare, motaque poſſunt
Æquora ſubductis etiam concurrere ventis.

Lucanus l. 5.

Non grauiora mouent venti certamina mole
Odryſius Boreas, & Syrtim tollere pollens
Africus, obnixi cum bella furentia torquent:
Diſtraxere fretum, ac diuerſa ad littora voluunt
Æquor quiſque ſuum, ſequitur ſtridente procella
Nunc huc, nunc illuc raptim mare, & intonat vndis.

Sil. Italicus l. 7.

Sic vbi prima mouent pelago certamina venti
Incluſam rabiem, ac ſparſuras aſtra procellas
Parturit vnda freti, fundoque emota minaces
Expirat per ſaxa ſonos, atque acta cauernis
Torquet anhelantem ſpumanti vortice pontum.

Idem l. 9.

Denſior à terris, & nulli pervia flammæ
Subtexit nox atra polos. iam clauſtra rigentis
Æoliæ perculſa ſonant, venturaque rauco
Ore minatur hyems. venti tranſuerſa frementes
Confligunt, axemque emoto cardine vellunt,
Dum cœlum ſibi quiſque rapit ſed plurimus Auſter
Inglomerat noctem, & tenebroſa volumina torquet:

Statius l. 1. Theb.

. . . . vndique incumbunt ſimul
Rapiuntque pelagus infimo euerſum ſolo,
Aduerſus Euro Zephyrus, & Boreæ Notus
Sua quiſque mittunt tela, & infeſti fretum
Emoliuntur, turbo conuoluit mare.
Strymonius altas Aquilo contorquet niues
Libycuſque arenas Auſter ad Syrtes agit.
Nec manet in Auſtro: fit grauis nimbis Notus.
Imbre auget vndas. Eurus Orientem mouet

Na-

Zephyrus.

Hic qualis flatu placidum mare matutino
Horrificans zephyrus procliues incitat vndas:
Quæ tardè primum clementi flamine pulſæ
Prociduum leui reſonant plangore cachinnum.
Poſt vento creſcente magis, magis increbreſcunt.
Catullus in car. de Nup. Pelei.

Compellat zephyrum: Pater ò gratiſſime veris
Qui mea laſciuo regnas per prata volatu
Semper & aſſiduis irroras flatibus annum. *Et inf.*
Dixerat, ille nouo madidantes nectare pennas
Concutit, & glebas fœcundo rore maritat.
Quàque volat, vernus ſequitur color: omnis in herbas
Turget humus; medioque patent conuexa ſereno.
Claudianus l. 2. de raptu.

Mollibus Heſperias alternans motibus alas
Nullo clamoſum turbine cogis iter.
Et Samia prope lege ſilens taciturna modeſtus
Flamina moliris, vixque notandus ades.
Vix cannam impellis fragilique cacumine iuncos:
Per te etiam ſabuli eſt intemerata ſtrues.
Plumeus, ac tenerè fluida bombycinus aura
Ventiuolo inuolvis prata nouella ſinu.
Horridaque halitibus pluſquam ciuilibus afflans
Rura foues, ex te parturit omnis ager.
P. Io. Biſſelius l. 1. Vern. el. 9.

Ventorum conflictus.

Omnia ventorum concurrere prælia vidi,
Quæ grauidam latè ſegetem ab radicibus imis
Sublimè expulſam eruerent: ita turbine nigro
Ferret hyems culmumque leuem ſtipulaſque volantes.
Virg. l. 1. Georg.

Incubuere mari, totumque à ſedibus imis
Vna Eurusque Notuſque ruunt, creberque procellis
Africus, & vaſtos voluunt ad littora fluctus,
Eripiunt ſubito nubes cœlumque diemque
Teucrorum ex oculis, ponto nox incubat atra.
Idem l. 1. Æn.

Aduerſi rupto ceu quondam turbine venti
Confligunt zephyruſque Notuſque, & lætus eois
Eurus equis: ſtridunt ſiluæ, ſæuitque tridenti
Spumeus, atque imo Nereus ciet æquora fundo.
Idem l. 2. Æn.

In-

Inter vtrumque fremunt immani turbine venti:
Neſcit cui domino pareat vnda maris.
Nam modo purpureo vires capit Eurus ab ortu.
Nunc zephyrus ſero veſpere miſſus adeſt.
Nunc gelidus ſicca Boreas bacchatur ab Arcto.
Nunc notus aduerſa prælia fronte gerit.

Ouidius l. 1. Triſt. el. 2.

Primus ab Oceano caput exeris Atlantæo
Core mouens æſtus iam te tollente furebat
Pontus, & in ſcopulos totas erexerat vndas.
Occurrit gelidus Boreas, pelaguſque retundit:
Et dubium pendet, cui vento pareat æquor,
Sed Scythici vicit rabies Aquilonis, & vndas
Torſit & abſtruſas penitus vada fecit arenas.
Nec perfert pontum Boreas ad ſaxa, ſuumque
In fluctus Cori frangit mare, motaque poſſunt
Æquora ſubductis etiam concurrere ventis.

Lucanus l. 5.

Non grauiora mouent venti certamina mole
Odryſius Boreas, & Syrtim tollere pollens
Africus, obnixi cum bella furentia torquent:
Diſtraxere fretum, ac diuerſa ad littora voluunt
Æquor quiſque ſuum, ſequitur ſtridente procella
Nunc huc, nunc illuc raptim mare, & intonat vndis.

Sil. Italicus l. 7.

Sic vbi prima mouent pelago certamina venti
Incluſam rabiem, ac ſparſuras aſtra procellas
Parturit vnda freti, fundoque emota minaces
Expirat per ſaxa ſonos, atque acta cauernis
Torquet anhelantem ſpumanti vortice pontum.

Idem l. 9.

Denſior à terris, & nulli peruia flammæ
Subtexit nox atra polos. iam clauſtra rigentis
Æoliæ percuſſa ſonant, venturaque rauco
Ore minatur hyems. venti tranſuerſa frementes
Confligunt, axemque emoto cardine vellunt,
Dum cœlum ſibi quiſque rapit ſed plurimus Auſter
Inglomerat noctem, & tenebroſa volumina torquet:

Statius l. 1. Theb.

.... vndique incumbunt ſimul
Rapiuntque pelagus infimo enerſum ſolo,
Aduerſus Euro Zephyrus, & Boreæ Notus
Sua quiſque mittunt tela, & infeſti fretum
Emoliuntur, turbo conuoluit mare.
Strymonius altas Aquilo contorquet niues
Libycuſque arenas Auſter ad Syrtes agit.
Nec manet in Auſtro: fit grauis nimbis Notus.
Imbre auget vndas. Eurus Orientem mouet

Na-

Zephyrus.

HIc qualis flatu placidum mare matutino
Horrificans zephyrus procliues incitat vndas:
Quæ tardè primum clementi flamine pulſæ
Prociduum leni reſonant plangore cachinnum.
Poſt vento creſcente magis, magis increbreſcunt.
Catullus in car. de Nup. Pelei.

Compellat zephyrum: Pater ò gratiſſime veris
Qui mea laſciuo regnas per prata volatu
Semper & aſſiduis irroras flatibus annum. *Et inf.*
Dixerat, ille nouo madidantes nectare pennas
Concutit, & glebas fœcundo rore maritat.
Quàque volat, vernus ſequitur color: omnis in herbas
Turget humus; medioque patent conuexa ſereno.
Claudianus l. 2. de raptu.

Mollibus Heſperias alternans motibus alas
Nullo clamoſum turbine cogis iter.
Et Samia prope lege ſilens taciturna modeſtus
Flamina moliris, vixque notandus ades.
Vix cannam impellis fragilique cacumine iuncos:
Per te etiam fabuli eſt intemerata ſtrues.
Plumeus, ac tenerè fluida bombycinus aura
Ventiuolo inuolvis prata nouella ſinu.
Horridaque halitibus pluſquam ciuilibus afflans
Rura foues, ex te parturit omnis ager.
P. Io. Biſſelius l. 1. Vern. el. 9.

Ventorum conflictus.

OMnia ventorum concurrere prælia vidi,
Quæ grauidam latè ſegetem ab radicibus imis
Sublimè expulſam eruerent: ita turbine nigro
Ferret hyems culmumque leuem ſtipulaſque volantes.
Virg. l. 1. Georg.

Incubuere mari, totumque à ſedibus imis
Vna Euruſque Notuſque ruunt, creberque procellis
Africus, & vaſtos voluunt ad littora fluctus,
Eripiunt ſubito nubes cœlumque diemque
Teucrorum ex oculis, ponto nox incubat atra.
Idem l. 1. Æn.

Aduerſi rupto ceu quondam turbine venti
Confligunt zephyruſque Notuſque, & lætus eois
Eurus equis: ſtridunt ſiluæ, ſæuitque tridenti
Spumeus, atque imo Nereus ciet æquora fundo.
Idem l. 2. Æn.

In-

Inter vtrumque fremunt immani turbine venti:
Neſcit cui domino pareat vnda maris.
Nam modo purpureo vires capit Eurus ab ortu.
Nunc zephyrus ſero veſpere miſſus adeſt.
Nunc gelidus ſicca Boreas bacchatur ab Arcto.
Nunc notus aduerſa prælia fronte gerit.
Ouidius l. 1. Triſt. el. 2.

Primus ab Oceano caput exeris Atlantæo
Core mouens æſtus iam te tollente furebat
Pontus, & in ſcopulos totas erexerat vndas.
Occurrit gelidus Boreas, pelaguſque retundit:
Et dubium pendet, cui vento pareat æquor,
Sed Scythici vicit rabies Aquilonis, & vndas
Torſit & abſtruſas penitus vada fecit arenas.
Nec perfert pontum Boreàs ad ſaxa, ſuumque
In fluctus Cori frangit mare, motaque poſſunt
Æquora ſubductis etiam concurrere ventis.
Lucanus l. 5.

Non grauiora mouent venti certamina mole
Odryſius Boreas, & Syrtim tollere pollens
Africus, obnixi cum bella furentia torquent:
Diſtraxere fretum, ac diuerſa ad littora voluunt
Æquor quiſque ſuum, ſequitur ſtridente procella
Nunc huc, nunc illuc raptum mare, & intonat vndis.
Sil. Italicus l. 7.

Sic vbi prima mouent pelago certamina venti
Incluſam rabiem, ac ſparſuras aſtra procellas
Parturit vnda freti, fundoque emota minaces
Expirat per ſaxa ſonos, atque acta cauernis
Torquet anhelantem ſpumanti vortice pontum.
Idem l. 9.

Denſior à terris, & nulli peruia flammæ
Subtexit nox atra polos. iam clauſtra rigentis
Æoliæ perculſa ſonant, venturaque rauco
Ore minatur hyems. venti tranſuerſa frementes
Confligunt, axemque emoto cardine vellunt,
Dum cœlum ſibi quiſque rapit ſed plurimus Auſter
Inglomerat noctem, & tenebroſa volumina torquet:
Statius l. 1. Theb.

.... vndique incumbunt ſimul
Rapiuntque pelagus infimo enerſum ſolo,
Aduerſus Euro Zephyrus, & Boreæ Notus
Sua quiſque mittunt tela, & infeſti fretum
Emoliuntur, turbo conuoluit mare.
Strymonius altas Aquilo contorquet niues
Libycuſque arenas Auſter ad Syrtes agit.
Nec manet in Auſtro: fit grauis nimbis Notus.
Imbre auget vndas. Eurus Orientem mouet

Na-

Sol pater educit, mater dedit vbera tellus
A ſummo Boreas, Notus imo ſpirat olympo,
Occaſum inſedit zephirus, venit Eurus ab ortu.
Hoc circum varij dextra, lęuaque feruntur
Atque agitant tenues diuerſis flatibus auras. *Et inf.*
Cur autem quando huc toties diſcurſet, & illuc
Spiritus hic, varios agitant ſine lege tumultus,
Cur non & ſuperas pennis petit improbus arces?
Omnis in aerias quicumque elabitur oras
Halitus immiſto paulatim educitur igni:
Qui poſtquam gelidam ſummo capite attigit arcem,
Senſit & aduerſi contraria frigoris arma;
Illicet ipſe pedem retro fert, pondere & ipſo
Quod multum traxit grauida de matre volutus
Ad matrem trahitur ecce hic nouus aduenit ignis
Auxilio retinens labentem. ille arma reſumit
Fortior ad pugnam, ſimul huc perlatus & illuc,
Dumque cadit reſilitque, leuis tum pellitur aer,
Et quo maiores à frigore pertulit ictus,
Maioremque trahit fœcunda è matre vigorem
Halitus, hoc maiore ruens ferit aera pulſu.
Iouinianus Pontanus in lib. meteor.

Sunt igitur venti nimirum corpora cœca
Quæ mare, quæ terras, quæ denique nubila cœli
Verrunt, ac ſubito vexantia turbine raptant.
Quæ veluti validum flumen, cum procubuere
Quamlibet in partem trudunt res ante, ruuntque
Impetibus crebris; interdum vortice torto
Corripiunt, rapidique rotanti turbine portant.
Lucretius lib. 1.

Boreas.

APta mihi vis eſt: hac triſtia nubila pello,
Hac freta concutio, nodoſaque robora verto
Induroque niues, & terras grandine pulſo.
Idem ego cum fratres cœlo ſum nactus aperto
(Nam mihi campus is eſt.) tanto molimine luctor,
Vt medius noſtris concurſibus inſonet ęther,
Exiliantque cauis eliſi nubibus ignes.
Idem ego cum ſubij conuexa foramina terrę,
Suppoſuitque ferox imis mea terga cauernis,
Sollicito manes, totumque tremoribus orbem.
Ouidius l. 6. met.

Ac veluti annoſam valido cum robore quercum
Alpini Borrę nunc hinc, nunc flatibus illinc
Eruere inter ſe certant: it ſtridor, & alte
Conſternunt terram concuſſo ſtipite frondes.
Virgilius l. 4. Æn.

Ac velut Edoni Boreæ cum ſpiritus alto
Inſonat Ægæo, ſequiturque ad littora fluctus
Quà venti incubuere, fugam dant nubila cœlo,
Idem l. 12. Æn.

Thracius hos Boreas ſcopulos, immitia regna,
Solus habet, ſemperque rigens nunc littora pulſat,
Nunc ipſas alis frangit ſtridentibus Alpes:
Atque vbi ſe terris glaciali fundit ab Arcto
Haud vlli contra fiducia ſurgere vento
Vorticibus rapidis torquet mare, fractaque anhelant
Æquora, & iniecto conduntur gurgite montes.
Sil. Italicus l.1.

.... ceu turbine rauco
Cum grauis armatur Boreas glacieque niuali
Hiſpidus, & Getica concretus grandine pennas
Flare cupit, pelagus, ſiluas, campoſque ſonoro
Flamine rapturus: ſi forte aduerſus ahenos
Æolus obiecit poſtes, vaneſcit inanis
Impetus, & fractæ redeunt in clauſtra procellæ.
Claudianus l 1. de raptu.

Qualis vbi Arctois Boreas erupit ab antris
Aereos rapido percurrens turbine campos
It cœlo fetus, & piceas toto æthere nubes
Inſequitur: dant victa locum, & caua nubila cedunt.
Hier.Vida l.1.Chriſt.

Auſter, ſiue Notus.

EMittitque Notum: madidis Notus euolat alis
Terribilem picea tectus caligine vultum.
Barba grauis nimbis, canis fluit vnda capillis
Fronte ſedent nebulæ, rorant pennæque, ſinuſque.
Vt que manu latè pendentia nubila preſſit
Fit fragor, & denſi funduntur ab æthere nimbi.
Ouidius l. 1. met.

.... ſed turbidus Auſter.
Ipſe agit vndantes nimborum in prælia turmas,
Dux ipſe pluuiarum, & longè maximus auctor,
Eductos namque immenſum regione peruſta
Denſorum fluctus longinqua ab ſede vaporum
Inuoluit, raptaque agitans, qui deinde ſoluti
Fundunt præcipites abruptis nubibus imbres.
Diluuioque vno abſorbent pecudeſque viroſque
Tantum Auſter diſcuſſa furens per nubila fertur.
Pontanus in lib. Met.

Zephyrus.

HIc qualis flatu placidum mare matutino
Horrificans zephyrus procliues incitat vndas:
Quæ tardè primum clementi flamine pulſæ
Prociduum leni reſonant plangore cachinnum.
Poſt vento creſcente magis, magis increbreſcunt.
Catullus in car. de Nup. Pelei.

Compellat zephyrum: Pater ò gratiſſime veris
Qui mea laſciuo regnas per prata volatu
Semper & aſſiduis irroras flatibus annum. *Et inf.*
Dixerat, ille nouo madidantes nectare pennas
Concutit, & glebas fœcundo rore maritat.
Quàque volat, vernus ſequitur color: omnis in herbas
Turget humus; medioque patent conuexa ſereno.
Claudianus l. 2. de raptu.

Mollibus Heſperias alternans motibus alas
Nullo clamoſum turbine cogis iter.
Et Samia prope lege ſilens taciturna modeſtus
Flamina moliris, vixque notandus ades.
Vix cannam impellis fragilique cacumine iuncos:
Per te etiam fabuli eſt intemerata ſtrues.
Plumeus, ac tenerè fluida bombycinus aura
Ventiuolo inuolvis prata nouella ſinu.
Horridaque halitibus pluſquam ciuilibus afflans
Rura foues, ex te parturit omnis ager.
P. Io. Biſſelius l. 1. Vern. el. 9.

Ventorum conflictus.

OMnia ventorum concurrere prælia vidi,
Quæ grauidam latè ſegetem ab radicibus imis
Sublime expulſam eruerent: ita turbine nigro
Ferret hyems culmumque leuem ſtipulaſque volantes.
Virg. l. 1. Geor. g.

Incubuere mari, totumque à ſedibus imis
Vna Euruſque Notuſque ruunt, creberque procellis
Africus, & vaſtos voluunt ad littora fluctus,
Eripiunt ſubito nubes cœlumque diemque
Teucrorum ex oculis, ponto nox incubat atra.
Idem l. 1. Æn.

Aduerſi rupto ceu quondam turbine venti
Confligunt zephyruſque Notuſque, & lætus eois
Eurus equis: ſtridunt ſiluæ, ſæuitque tridenti
Spumeus, atque imo Nereus ciet æquora fundo.
Idem l. 2. Æn.

In-

Inter vtrumque fremunt immani turbine venti:
Neſcit cui domino pareat vnda maris.
Nam modo purpureo vires capit Eurus ab ortu.
Nunc zephyrus ſero veſpere miſſus adeſt.
Nunc gelidus ſicca Boreas bacchatur ab Arcto.
Nunc notus aduerſa prælia fronte gerit.
Ouidius l. 1. Triſt. el. 2.

Primus ab Oceano caput exeris Atlantæo
Core mouens æſtus iam te tollente furebat
Pontus, & in ſcopulos totas erexerat vndas.
Occurrit gelidus Boreas, pelaguſque retundit:
Et dubium pendet, cui vento pareat æquor,
Sed Scythici vicit rabies Aquilonis, & vndas
Torſit & abſtruſas penitus vada fecit arenas.
Nec perfert pontum Boreàs ad ſaxa, ſuumque
In fluctus Cori frangit mare, motaque poſſunt
Æquora ſubductis etiam concurrere ventis.
Lucanus l 5.

Non grauiora mouent venti certamina mole
Odryſius Boreas, & Syrtim tollere pollens
Africus, obnixi cum bella furentia torquent:
Diſtraxere fretum, ac diuerſa ad littora voluunt
Æquor quiſque ſuum, ſequitur ſtridente procella
Nunc huc, nunc illuc raptim mare, & intonat vndis,
Sil. Italicus l. 7.

Sic vbi prima mouent pelago certamina venti
Incluſam rabiem, ac ſparſuras aſtra procellas
Parturit vnda freti, fundoque emota minaces
Expirat per ſaxa ſonos, atque acta cauernis
Torquet anhelantem ſpumanti vortice pontum,
Idem l. 9.

Denſior à terris, & nulli pervia flammæ
Subtexit nox atra polos. iam clauſtra rigentis
Æoliæ percuſſa ſonant, venturaque rauco
Ore minatur hyems. venti tranſuerſa frementes
Confligunt, axemque emoto cardine vellunt,
Dum cœlum ſibi quiſque rapit ſed plurimus Auſter
Inglomerat noctem, & tenebroſa volumina torquet:
Statius l. 1. Theb.

.... vndique incumbunt ſimul
Rapiuntque pelagus infimo euerſum ſolo,
Aduerſus Euro Zephyrus, & Boreæ Notus
Sua quiſque mittunt tela, & infeſti fretum
Emoliuntur, turbo conuoluit mare.
Strymonius altas Aquilo contorquet niues
Libycuſque arenas Auſter ad Syrtes agit.
Nec manet in Auſtro: fit grauis nimbis Notus.
Imbre auget vndas. Eurus Orientem mouet

Na-

Nabathæa quatiens regna, & Eoos ſinus.
Quid rapidus ora Corus oceano exerens?
Mundum reuelli ſedibus totum ſuis
Ipſoſque rupto crederes cœlo Deos
Decidere, & atrum rebus induci chaos.
Vento reſiſtit æſtus, & ventus retro
Æſtum reuoluit, non capit ſe ſe mare.

Seneca in Agam.ac.3.fr.1.

Nunc ſonanti comminantur bella venti turbine
Claſſicoque mugientes iura ponti prælio
Quiſque poſcit, & Tyrannus ardet eſſe marmoris
Turbinatum torquet æquor hinc proteruus Africus,
Atque pontum emolientes crudus iras aggerat:
Hinc Trionum fœda proles, quà rigeſcunt æquora
Ac perenni Thetys arctè colligatur frigore.
Regna poſcit, efferato cuncta voluens impete.
Vnda ſæuis acta ventis turgida aſtris imminet,
Miſcet aer, miſcet æquor fluctuum diſcordiam.

Aug. Maſcardus Sil. l.4. Tit. Metan.

Dixit, & in verbo laxo ſe carcere promunt
Æolij fratres, numeroque, & viribus æqui:
In Zephyros Eurus, Boreas moturus in Auſtros,
Frontibus aduerſis ſe ſe in certamina poſcunt
Diſcordes animæ, iuſſique diurna paciſci
Fœdera, vix pacti tandem ſocia agmina iungunt,
Vnam omnes verſi in rabiem, quà phœbus anhelos
Hiberno properat ſub ſidere mergere currus.
Non liquidum cura eſt aſſurgere in æthera pennis,
Fert furor in terras: in terras impete prono
Incubuere Noti. nam quà faſtigia iunctis
Conueniunt tignis, & partes deſuper imbrex
Amplexus geminas ſurgentia tecta coronat,
Moliri incipiunt aditus, ſtragique futuræ
Arte parare viam, dum ſe ſe partibus imis
Inſinuant tenui ſpiramine, moxque reuulſa
Abripiunt, vacuoque ferunt caua tegmina cœlo.
Inde alia ex alijs centum, lateresque per vrbem
Inuiſumque pluunt venti, non Iuppiter imbrem.
Acrior hinc rabies excelſa mole caminos
Culminibus quatiens agit huc; illucque labantes;
Nec valido tantum obſiſtunt retinacula ferro,
Quin collapſa ruunt fumantia denique tectis
Pondera, & ingentes pandant quam longa feneſtras.
Fert alias longè interea, latèque ruinas
Iam grauior peſtis: non vnam in montibus ornum
Sollicitant zephiri, ſiluis extrema minantur
Excidia, aut extrema ferunt; radicibus imis
Mille ſimul quercus, ingentia corpora, vertunt
Inſternuntque ſolo; quaſi ſi violentior amnis
Aggeribus ruptis tenues affligat ariſtas.

P. Car. Malapertius l.1. de Ventis.

Tur-

Turbo Ventorum.

TVrbineus fortaſſe globus miraberis, vnde
Eruat euulſam ſummis radicibus ornum:
Nunc frangens monte aduerſo, nunc nubibus actam
Agglomeratque, agitatque frequens tandem illa ruina
Prona cadit, longo plangens loca ſeuta ſonore.
Interea denſa obſcurus caligine fertur
Perque vias, perque arua ſimul, ſternitque, feritque
Puluereus globus inuoluens cœlumque, diemque.
Namque per aduerſum dum concurſantia venti
Arma mouent animiſque pares, & viribus, ecce
Certamen magnum exoritur: ille impiger inſtat,
Hic clypeo obnitens longè aduerſatur: vtrinque
Impetus, vtrinque & robur nunc pellitur ille,
Hic pellit, nunc ſors variat mutata, nec vllus
Statue loco, ceditue loco: nunc ille ſiniſtra,
Hic dextra incurſat feriens, & in orbe gerit rem:
Nunc ictus clypeo excipiens petit aera, nunc ſe
Intorquens, terram ingenti diuellit hiatu
Dum vel vterque cadat moriens, vel ceſſerit alter
Aut iungant ſocias concordi fœdere vires.

Iou. Pontanus lib. meteor. Tit. Turbo.

.... Æſtiui ceu trita per æquora campi,
Turbo repentinam glomerato turbine nubem
Excitat, & conuoluit agros, & in ora viantum
Impingit, viſum eripiens, greſſuſque retentos
Implicat, ardentemque vetat vel cernere ſolem,
Præcluſamque videre viam.

P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

PLVVIA, ET TEMPESTAS.

Pluuia.

ILle igitur per inane vagum ſublatus in auras
Conuertit ſeſe inſinuans, paſſimque coactus
Denſatur magis, atque magis: tum nubibus actis
Frigida per loca, ſub cœli regione maligna
Id quod erat calidum ſenſim effluit, & volat altæ
Sub loca, quà poſitis feruent incendia caſtris.
Ipſe autem cogente gelu tabeſcit, & inde
Liquitur, irriguæque cadunt ex aere guttæ.
Quin & frigida vis propius cohibente calore
Colligit in ſe ſe, maioraque robora ſumit.
Cogitur hinc ſparſus paſſim vapor: inde coactus
Soluitur, & pluuij erumpunt de nubibus imbres.

Iou. Pontanus lib. meteor.

In-

Ingenium cœli, natiuaque nomina mutas:
Imbre fluunt noctes, & madet amne dies,
Si tamen eſt ſuper vlla dies: nam turbine furuo
Noctescunt Soles, luxque diurna perit.
Grandibus interea nimborum inſultibus omnis
Herba iacet, nemorum flos ruit, arua rigent.
Quique prius teneros halarat ceſpes odores,
Nunc ſuper inducto naufragus imbre natat:
Nuſquam iter eſt: periere viæ (quis credat?) & vrbis
Semita cœnoſi merſa palude luti.

P. Io: Biſſelius l. 3. el 12.

Ecce autem ſubitis concreſcere nubibus imbres
Clarus & obſcuro lucem Sol condere nimbo.
Nec mora: diſcuſſo repetita in fulgura cœlo
Intremuit vallis, fractumque agitante tumultu
Æthera, fulmineas iterumque iterumque ruinas
Horruit, & mixto labentem flumine Caurum

P. Al. Donatus l. 5. Conſt.

Tempeſtas in terram effuſa.

SÆpè etiam immenſum cœlo venit agmen aquarum,
Et fœdam glomerant tempeſtatem imbribus atris
Collectæ ex alto nubes: ruit arduus æther,
Et pluuia ingenti ſata læta, boumque labores
Diluit: implentur foſſæ, & caua flumina creſcunt,
Cum ſonitu feruetque fretis ſpirantibus æquor.
Ipſe pater media nimborum in nocte, coruſca
Fulmina molitur dextro, quo maxima motu
Terra tremit, fugere feræ, & mortalia corda
Per gentes humilis ſtrauit pauor: ille flagranti
Aut Athon, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo
Deijcit, ingeminant Auſtri, & denſiſſimus imber;
Nunc nemora ingenti vento, nunc littora plangunt.

Virg. l. 1. Georg.

Quantus ab occaſu veniens pluuialibus hœdis
Verberat imber humum; quam multa grandine nimbi
In vada præcipitant, cum Iuppiter horridus auſtris
Torquet aquoſam hyemem, & cœlo caua nubila rumpit.

Idem l. 9. Æn.

Armatus auro talis Orion micat
Cum pronus olim nubila, cœlum imbribus
Rumpit ſolutis, grandine & miſta furit;
Simul igne fulgent nubila, eliſo tonant
Simul igne nubes ſauciæ trifida face.
Ingeminat imber deſuper rupto æthere
Crepitante tecta grandine illiſa ſonant.

P. Stephonius in Chriſ. ac. 1. ſc. 3.

Non

Non ſecus ac ventis ſi quando hyemantibus imber
Nigranti de nube ruit; torrentibus vndis
Vix validi montes, vix tota Ceraunia reſtant:
Arboreæ ſternuntur opes, pinuſque, pyruſque,
Et patulæ quercus, & vatum inſignia laurus,
Præcipiteſque cadunt inhonoro funere cedri;
Nec ſua planities corylos, neque littora myrtos
Eximias à ſtrage tenet, fractiſque myricæ
Stirpibus expirant: Dryades fleuere, ſuaſque
Obruta delectant nuſquam virgulta Napæas.
P.Iac.Bidermanus l.1.Heroid.

Haud ſecus aduerſi quam cùm de cardine mundi
Hinc boreas, ſtreperis illinc ſuper ingruit alis
Auſter, agens pluuia fœtas tonitruque procellas:
It cœlo fragor, ingenti ſibi diſſilit aer
Murmure; dant rupes longè, dant concaua longè
Littora, dant maria alta ſonum, totuſque remugit
Vix bene, vix geminis vnus par hoſtibus orbis.
Pulvereo ſurgit glomerata volumine nubes
Flabilis, & rapido circum per inane rotatu
Acta volans, nimbo ſolem ſubtexit opaco.
Apud P.Laur.le Brun to.2.el. Poet.

Sic quoque Collinæ quateret cum proxima portæ
Annibal, & poſitis Aulena ſub oſtia caſtris
Pone ſuburbanos educeret agmina colles,
Inuectus contra nimbis globus, auſaque furtim
Aſtitit vnda ſuper, validiſque armata procellis
Arma repercuſſit, Pœnoſque, Italoſque fugauit,
Et dubiæ rapuit ventura pericula pugnæ.
Sic aquilone rigens, glomerataque fluctibus atris
Obruit & valles, & verberat horrida colles
Tempeſtas: cœlique fragor lamentaque vulgi
Congeminant: mixtoque cadens de nubibus altis
Depluit imbre pauor, tremefactaque corda flagellat.
P.Alex.Donatus l.3. Conſt.

...... ſed iam quæ plurima cœlo
Pendebat, ſe fudit hyems. quin turbine rauco
Ingemuit, fractoque tonans è cardine mundi
Rupit inhorrentem violento fulmine noctem.
Incurrere ſimul Cauris glaciantibus Euri
Iurati laceris auellere nubibus imbres,
Et pulſare graui crepitantem grandine Romam.
Idem l.6.

Poſt tempeſtatem ſerenitas.

HAud ſecus ac fœdi tetra caligine nimbi
Cum rapuere diem terris, triſtique procellæ
Funeſtam inuexere hyemem, poſt fulgura denſis
Per nubes eliſa minis, ruptique fragorem

Æthe-

Ætheris, & duros lapidoſæ grandinis imbres,
Terrarumque metus trepidos, gemitumque dolentis
Naturæ, faciemque nigrantem horrentis Auerni;
Sol vbi per triſtes rutilum iubar exerit auras,
Protinus illucere dies, vaneſcere cœlo
Mœſtities. hilari pullum mutare colorem
Terra nouo candens aer ridere ſereno,
Blandaque compoſito ſe fundere gaudia mundo,
Sole frui natura.

P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Grando.

AC primum vt gelido creſcunt humore liquentes,
Cryſtalli, quas poſt frigentia rupibus antra
In denſum cogunt guttiſque rigentibus anni,
Et longo durant labentia ſæcula curſu.
Sic rigido compacta gelu per inania grando
Cogitur, & ſtricto concreſcunt frigore guttæ:
Pondere mox tractæ frangunt ſe, & ad ima feruntur.
Ipſa igitur grauitate ſua, ac ſub mole dehiſcens
Prona cadit ſæpè ingenti demiſſa fragore.
Quando quidem ſublime ruens frangitque, feritque
Cum gemitu ſeſe, multumque vmbone rotata
Obruditque aciem glomerataque verbere tectis.
Dira ſonat: ſæpe ipſa leuem haud procul acta ſonorem
Dat veniens: etenim tacito regione propinqua
Agmine deſcendit tanto, ſed corpore maior
Et facie horridior, quanto breuiore rotatu
Et ſpatio propiore cadens minus atterit alas.

Iou Pontanus in lib. Meteor.

...... ollis ſupra caput adſtitit imber
Saxeus, immiſſæque faces, & fulminis alæ
Incluſere fugam trepidis, tonat arduus æther,
Tela volant accenſa: cauis terra ima remugit:
Diſſultant montes contorquent flamina ſiluas.
Tempeſtas inuiſa gelu toto aere nubes
Alligat eliſaſque immani grandine frangit
Præcipitatque: ruunt ex alto ingentia ſaxa,
Cunctaque mole terunt, homines, armenta, feraſque
Siluarum laceratur honor: vix tecta colonos
Protexere; petunt imis ſpelæa cauernis.
Confuſique feris latitant: gemit obruta tellus,
Atque altis ſegetes lapidum conduntur aceruis.

P. Ant. Millieus l. 3. Moyſ. Viat.

Ecce tibi ſudo ſtrepuere tonitrua cœlo,
Et ſubito nuſquam eſt, qui modo Phœbus erat.
Surgimus, ac rapidi miramur murmura Cauri:
Horrida præcipiti nube procella ruit.
Vna turbo, tonanſque fragor, fulgurque triſulcum
Vnà nimbus atrox, & niger imber adeſt.

Ec-

Ecce aſia ex alijs. borealibus ater ab oris
Impetus exoritur: grandine terra crepat.
Commiſtos niuibus ſilices, glaciemque notaſſes
Pondere, quò mundum Pyrraque virque nouant.
Hoc caput, hoc teſtor, quo ſaxa ruentia ſenſi;
Non fuerant pugno ſaxa minora meo.
P. Io. Biſſelius Vern. l. 3. el. 9.

Qualis in arua furit tempeſtas horrida nimbi
In ſegetes, vuaſque ruens, quatit omnia dura
Grandine, trita iacet calamis ſeges, arida culmis
Excutitur, perit & meſſis: vindemia riuis
Diffluit, & triſti moriuntur vulnere vites.
Omnia vaſta gemunt, lugent viridaria frondes,
Aruaque ceu rapidis horreſcunt torrida flammis.
P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Vtque ſub æſtatem mediam cum lactea turget
In ſtipulam meſſis ſegetumque natantibus arvis
Culmina inhorreſcunt ſuſpirantque horrea fruges;
Sicubi fœta vndis, vel denſa grandine nubes
Nigrantem cogi in tumulum, ac deſcendere viſa eſt
Paulatim ad terras, præceque volumine ferri:
Heu quibus incumbet campis, vbi pondera ponet,
Arrecti circumſpectant, trepidantiaque haurit
Corda pauor: tum præcipiti formidine paſtor
Sparſa ciet pecora, & crebris latratibus vrgens
Rupe ſub exeſa, patulaque ſub arbore cogit.
Illa cadens magnamque ſatis magnamque tenellis
Dat ſtragem arboribus, & ſpes interficit anni.
Dion. Petauius in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Nix.

AST vbi defluxit calor omnis, & omnia circum
Horreſcunt hyeme, & ſolem loca iniqua negabunt
Concreſcunt gelido nubes è frigore, & vnà
Coguntur, motæque loco, atque è pondere preſſæ
Deſcendunt paſſim tractæ, cœſimque rotatæ
Ac niuibus iuga ſumma tegunt, & ad ima feruntur
Albentes, quoniam albeſcit concretus aquarum
Humor, & admoto quamprimum ardore liqueſcunt
Stiriaque, glacieſque ſolutaque ſole pruina.
Iou. Pontanus in lib. Meteor.

Ros.

O Quem ſerena nocte, Zephyrorum tepens
Cœlo coegit halitus:
Ros blande: ſeu tu Veris, ſeu Zephyri labor
Seu ſidus Auroræ comes;

Seu

Seu Gratiarum ſis opus; ſeu te ſuo
Ab ore ſpirauit Venus;
Cœleſte ſeu ſors munus, & madidi Iouis
Roratus è ſinu tepor;
Seu forte preſſus nectaris puri latex
Ganimedis vrna defluens;
Seu forte tepido ſidus è cœlo liquens;
Seu forte fletus ſiderum,
Dum nocte ſera ſolis extincti gemunt,
Ducuntque funus cœlites;
Seu ſis Dianæ ſudor, æſtiuo domum
Cum laſſa venatu redit;
Seu forſan imber ille gemmarum, mari
Aurora quas Indo legit;
Siue eliquatus aeris odori vapor
Ε thefiarum flatibus;
Finxere te ſeu mollis in bullas aquæ
Magiſtræ aquarum Naiades:
Hic talis ò ros blande, talis hic ades
Charitum atque Zephyrorum labor.
Tu nocte nitida, cum niger boreas ſilet,
Tu mane primo naſceris:
Herboſa molli terra naſcentem ſolo
Muſci virentis ſuſcipit.
Te mille flores ore ſitienti bibunt
Vt damna reparent noctium;
Tu molle pratis gramen, arboribus comam
Alimenta plantis omnibus,
Tu lac capellæ, mel api, paſtum boui,
Suum cicadæ das melos.

Apud P. Laur. le Brun. to. 1. Eloq. Poet.

.... Qualis rorem cum vere tepenti
Per tacitum matutinus deſudat Eous
Et paſſi teretes lucent per gramina guttæ:
Terra madet: madet aſperſa ſub veſte viator
Horridus, & pluuiæ vim non ſenſiſſe cadentis
Admirans gelidas vdo pede proterit herbas.

Sannazarus l. 2. de partu.

Placidi rores matutini
Qui ſereno lapſi cœlo
Mollia florum verſicolorum
Ocellatis folia.
Qui florentibus in conchis
Latè virentis
Æquore prati gemmulatis.
Vigilis hortis ab eois
Floræ rores olitores
Arida pratis ora rigatis
Vrnulis ab argenteis,
Vos Auroræ fulgurantis
Tacitus imber,
Guttulæ cœli deſudantis

Ni-

Nitidum flaua lac Matutæ,
Cum luteolas papillas
Tenero florum inſerit ori;
Odorati pupuli
Coloratis cum labellis
Roſeæ circum
Vbera matris nutriuntur.
Stellulæ noctis decidentes
Stillæ rorum, cœli rores,
Sidera: ruris ſidera rores
Floſculorum lacrymæ,
Cum madenti languent ore
Diraque lugent
Funera noctis occidentis.
P. Mar. Bettinus lycei par. 3.

Manna.

ERgo agite, & quidquid ſucci vitalibus aſtis
Defluit in terras, ſi quos habet herba ſalubres
Et medicos fibris, viuaci aut caule vapores;
Delicias quaſcumque bonis ſol educat horis;
Squamigerum electos volucrum, pecudumque ſapores
Collectos ſtipate manu, purumque liquantes
In rorem, poſt in teretes concreſcere gemmas
Cogite, cribratamque gelu ſtringente pruinam:
Vt ſe grando ſolet minimis innoxia guttis.
Diuidere, & veris primos aſpergere menſes. *Et infra.*
Erumpit grando niueis vberrima baccis
Mellitique ſonant globuli, ceu ſeſama largis
Defluxere cadis, purgataue punica ſquamis;
Aut etiam Braſila quales ab arundine ſuccos
Mellificis ſolers Europa excoxit ahenis,
Induat vt dulces coriandri ſemina cruſtas,
Siue vaporifero tunicas inducat aniſo
Grataque claudendis fingat bellaria menſis.
P. Ant. Millieus l. 6. Moyſ. Viat.

Fulgur, & tonitru.

NOn ſecus, atque olim tonitru cum rupta coruſco
Ignea rima micans percurrit lumine nimbos.
Et infrà.
Namque improuiſo vibratus ab æthere fulgor
Cum ſonitu venit, & ruere omnia viſa repente
Tyrrhenuſque tubæ mugire per æthera clangor.
Suſpiciunt, iterum atque iterum fragor intonat ingens.
Virg. l. 8. Æn.

Sic vbi nocturnum tonitru malus æthera frangit
Iuppiter, aſſiliunt nubes, & fulgure claro
Aſtra patent, ſubituſque oculis oſtenditur orbis.
Statius l. 10. Theb.

Qua-

Qualis vbi obtentis denſatur nubibus
Triſtis hyems nigro complectitur omnia velo
Imbre cadente minax, & tempeſtatibus atris
Ingeminant Auſtri vires; tum murmura cœlo
Baccantur delapſa nouæ caligine noctis
Ignea rima micat, nubeſque recludit opertas.
Finditur hinc atque hinc, geminiſque adapertile cœlum
Partibus obliqua perſtringit lumina flamma,
Atque improuiſo ſcintillat fulgure nubes.
Bened. Milanus in lib. Carm.

Fulmen.

IPſe Pater media nimborum in nocte, coruſca
Fulmina molitur dextra: quo maxima motu
Terra tremit: fugere feræ, & mortalia corda
Per gentes humilis ſtrauit pauor. ille flagranti
Aut Athon, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo
Deijcit. *Virg. l. 1. Georg.*

His informatum manibus iam parte polita
Fulmen erat toto genitor quæ plurima cœlo
Deijcit in terras: pars imperfecta manebat.
Tres imbris torti radios, tres nubis aquoſæ
Addiderant, rutili tres ignis, & alitis Auſtri:
Fulgores nunc terrificos, ſonitumque, metumque
Miſcebant operi, flammiſque ſequacibus iras.
Virg. l. 8. Æn.

Qualiter expreſſum ventis per nubila fulmen
Ætheris impulſi ſonitu, mundique fragore
Emicuit, rupitque diem, populoſque pauentes
Terruit, obliqua præſtinguens lumina flamma,
In ſua templa furit, nullaque exire vetante
Materia, magnamque cadens, magnamque reuertens
Dat ſtragem latè, ſparſoque recolligit ignes.
Lucanus l. 1.

.... non ocyus alti
In terras cadit ira Iouis, ſi quando niualem
Othryn, & Arctoæ gelidum caput inſtitit Oſſæ,
Armauitque in nube manum: volat ignea moles
Sæua Dei mandata ferens cœlumque triſulca
Territas omne coma: iam dudum aut ditibus agris
Signa dare, aut ponto miſeros inuoluere nautas.
Statius l. 3. Theb.

Namque vbi nube caua tenuiſque & plurimus alta
Truditur, incenſis, & ſe fert ſpiritus alis,
Ille quidem lenitate ſua penetratque, ruitque
Lubricus, & tenuis multum loca peruia tranat,
Vt nulla incenſæ linquat veſtigia flammæ

Tan-

Tanta mole ruit, tantaque impulſa ruina
Fumida vix procul acta polo, atque è nube profunda
Si quando extruſus, multoque accenſus ab æſtu
Spiritus, it tonitru horrificans, atque igne coruſcus
Tractu ingens, tarduſque gradu, & longè auctus eundo
Sciditque, vritque, & longo ſecat aera hiatu.
Tum montes quatit impellens, diſcindit & arces,
Et correpta micant diris naualia flammis.
Præcedit longè vulnus tremor, vſque adeo vis
Impellens furit, atque intendit ſpiritus auras.

Iou. Pontanus in lib. Meteor.

Qualis triſulci fulminis halitus
Quem dœdalæis fœta vaporibus
Pinguemve pabulata terram
Per medias rapit ira nubes.
Faſtidioſo cum ſemel excidit
Immurmurantum carcere nubium
Per regna ventorum, per auras,
Et dubias Aquilone ſiluas.
Per arua latè, per iuga concito
Graſſatur igni: iam capitis minor
Aut Æmus, aut percuſſa Calpe
Non humiles poſuere faſtus.

P. Caſ. Sarbieuius lib. 4. Ode 21.

Haud aliter quam cum nubem rumpente procellæ
Abſiliere faces, & fulminis augure flamma
Sciſſa dies, ſciſſis obliquam lampada nimbis
Senſit agi ſtridente Noto, micat orbita longis
Ignibus, inque ſinus cœli fluit ira retortos.
Attonitas infra gentes radijſque, ſonoque
Strauit humi pauor, & trepidantum pectora vibrat.

P. Ant. Millieus to. 2. l. 25.

Cometa.

TVm quia non vna ſpecie diſpergitur omnis
Aridior, terræque vapor comprenditur igni,
Diuerſas quoque per facies accenſa feruntur
Lumina, quæ ſubitis exiſtunt nata tenebris.
Nam modo ceu longi fluitent de vertice crines,
Flamma comas imitata volat, tenueſque capillos,
Diffuſos radijs ardentibus explicat ignes.
Nunc prior hæc facies diſperſis crinibus exit,
Et globus ardentis ſequitur ſub imagine barbæ.
Interdum æquali laterum compagine ductus
Quadratamve trabem fingit, teretemve columnam. *Et i ſi*
Talia ſignificant lucentes ſæpe Cometæ.
Funera cum facitus veniunt, terriſque minantur
Ardentes ſine fine rogos: cùm mundus, & ipſa
Ægrotet natura nouum ſortita ſepulcrum.

E Quin,

Quin, & bella canunt ignes, ſubitoſque tumultus.
Et clandeſtinis ſurgentia fraudibus arma.

Manilius l. 1. Aſtron.

Crine vt flammifero terret fera regna Cometes
Sanguineum ſpargens ignem. vomit atra rubentes
Fax cœli radios, & ſæua luce coruſcum
Scintillat ſidus, terriſque extrema minatur.

Silius Ital. l. 1. belli Pun.

...... augurium qualis laturus in orbem
Præceps ſanguineo delabitur igne cometes
Prodigiale rubens. non illum nauita tuto,
Non impune vident populi: ſed crine minaci
Nunciat aut ratibus ventos, aut mœnibus hoſtes.

Claudianus l. 1. de raptu.

Ventorum quoque certa dabunt tibi ſigna Cometæ:
Illi etiam belli motus, feraque arma minantur,
Magnorum & clades populorum, & funera regum.
Vt cum ſeu cœli occaſum, ſeu Solis ad ortum
Extulerint caput infelix, & crine minaci
Horrendum latè implerint terroribus vrbes,
Si ſteterint, certoque loco veſtigia figent,
Finitimi bello inundent, ciuiliaque arma
Fœdabunt ſocias cognato ſanguine dextras.
Sin ortum tendent verſus, peregrina moneri
Bella ſcias, hoſtemque externis affore ab oris.

Ioa. Pontanus lib. me teor.

Ecce ſub auroram, puro cum Lucifer igne
Venturum trepidis ſolem denunciat vmbris,
Viſus terrificæ candentia tollere caudæ
Spicula, & erecto decurrere crine Cometes.
Ille quidem natus gemina iuſtiſſima lance
Libra diem, noctiſque pares qua ponderat horas,
Fronte capillatus fertur, niveoque coercens
Lumine, vicinam ſtringebat crine Bootem.
Et ferus arctoum figebat cuſpide mundum.

P. Alex. Donatus l. 1. c. 5.

Stella comam ducens minitantis filia cœli.
Luxit ad Eoas promiſſo vertice Libras
Elatum crinita caput, cui purior æther
Lumina, candentes cui Lucifer inuidet ignes. *Et inf.*
Cum ſubito ignotos accendere viſa per ignes
Stella nouas elata iubas, ſubiectaque longè
Tollere per cœlum nitidos argentea vallos.
Ipſe ſuperpoſitæ veluti manantia caudæ
Lumina fontanoſque globo radiante nitores
Euomit, & ſpiſſo vertit vaga ſidera villo. *Et inf.*
Ante omnes dira metuendis luce Cometis
It facies, formas varioſque imbuta colores.

Plum-

Plumbeus his color eſt, color aureus, albidus Auſtri
Celat, ſanguineus rutilantes explicat iras:
Mitior hunc terris regalem purpura veſtit:
Cœru us hic, varioque ardet mihi diſcolor igne:
Ille Dionæos argenti oſtendit amores.
Tum facies non vna rubet, ſeu criminibus orbem
Ambit, & intortos rapitur circumdata cirros
Flamma, ſeu tollunt ferientem cornua frontem:
Atque baſim ſuper extantes arſere columnæ:
Lurida promiſſis ſqualet Pogonia barbis:
Electro ſimiles imitabitur altera Diſcos.
Altera Fax ceruice iubas agitabit Equinas.

Idem l. 2. car. 21.

Qualis cometes ſanguineum iubar
Spargens, minaci lumine fulgurat
Abominati Martis ardens
Nuncius, horribiliſque pugnæ.
Exterret vrbes. Heu quibus horrido
Cruentus igni nunciat hoſtium,
Turmas? quibus regnis, quibuſue
Bella famemque minatur aruis?

P. Gilb. Ionnius l. 2. ode 7.

Iris.

QValis ab imbre ſolet percuſſus ſolibus arcu
Inficere ingenti longum curuamine cœlum
In quo diuerſi niteant cum mille colores,
Tranſitus ipſe tamen diſtantia lumina fallit.

Ouidius l. 6. met.

Imbrifera qualis implicat varios ſibi
Iris colores, parte quæ magna poli
Curuata picto nunciat nimbos ſinu.
Quis deſit illi, quiſue ſit, dubites color.

Seneca in Oed. act. 2 ſc. 1.

Haud aliter leui in nube, cœloque quieto
Obliquus cum ſe radiorum impegerit ardor
Nubila per, conuerſa acies in fronte reſultat.
Flectuntur retro radij, fit protinus arcus
Ille quidem varios ducens è nube colores.
Forſitan & cum nube caua ſe oſtentat imago
Cæruleum videas, qui non eſt ipſe, colorem.

Iou. Pontanus in lib. Meteor.

Iri decus cœli, phœbææ filia lucis,
Auroræ germana, virens pons ætheris alti,
Grande ſupercilium, plorantis riſus olympi,
Inſula cœleſtis, diuini limbus amictus,
Iri decus cœli, nympharum gloria ſalue.
Dum tuus in madidis curuatur nubibus arcus.

Fronte ſupercilium ſuſpenſa curuat in arcus
Admirata tuos mortalis pupula honores.
Tu tibi deſpectans inhiantia lumina ab alto
Caſta verecundo ſuffunderis ora rubore.
Cynthius oppoſitis dum lumina temperat vmbris
Illinit & niueæ rorantia carbaſa nubis.
Ora tibi pingit, vel dum caua nubila cœli
Circinat illudens auratæ cuſpide lucis;
Vndique curuato te fingit in æthere gyro.
Mox Phœbo vt cecidere maris, cœliqne fragores,
Poſt victas hyemes, tempeſtateſque ſubactas
Ipſa triumphales victori conſtruis arcus.

P. Mar. Bettinus in Lycei par. 3.

Hic & honorato ſe picta tetenderat arcu
Iris, & innumeros ducens à Sole colores,
Pandebat variæ mundo ſpectacula formæ.
Ac licet horrenti confederat hoſpita nimbo,
Nil tamen ætheteæ decus admirabile frontis
Inquinat indecori hoſpitio, croceumque colorem
Aurea, purpureos oſtri flagrantis honores
Flammea, cœruleam promit dein vltima pallam,
Et mundum vario ferit inuiolabilis arcu.

P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Vide inter Epigramm. Virgilij Tit. Iris.

A V E S.

AEra quin etiam pictæ petiere volucres
Armatæ curuis roſtris, atque vnguibus vncis,
Ipſæ iter intendunt pennis, & cantibus auras
Demulcent, tectæ nemorum variantibus vmbris.
Nullæ illis certæ ſede, connubia certis
Temporibus: tunc tecta locant, tunc figere nidos
Cura ſubit: mox oua fouent, ac pignora curant
Atque edunt teneros plumoſo corpore fœtus,
Optataſque ferunt aut ore, aut vnguibus eſcas.

Iou. Pontanus l. 1. de Stell.

Expanſis proh quale genus ſecat aera pennis
Alatiſque equitat turba canora notis!
Mille volando ſinus, millena volumina torquet
Et reſonis tremulum complet inane modis.
Nata Aquila audaces in cœlum tollere niſus
Se liquidis agili corpore librat agris.
Neſcia magnanimos Perdix tentare volatus
Demiſſam celeri remige radit humum.
Turba Gruum facto volitat per inane trigone,
Et vigiles errat pondere onuſta pedes.
Subtiles Veſpertilio de pellibus alas
Geſtat, cognati cœtera muris habet.

Por-

Porphirio rubet vngue, vires tu Pſittace dorſo,
Cuius in humanos lingua mouenda ſonos:
En graditur Gallus metuenda leonibus ales,
Purpurat huic criſta verticis altus apex.
Par ſuperis Phœnix vitale requirit amomum
Vna olim proles & pater, ipſe ſibi
Flumineus denſat per ſtagna loquacia Cygnus,
Vicinamque canet præſcius ipſe necem.
It galeata caput, doctoque per aera gyro
Carmino vicinum mulcet Alauda polum.
Glotterat elingui officioſa Ciconia roſtro.
Et nullo ſimplex felle Columba gemit.
Accipiter pipat, pulpat cum Vulture Falco,
Hinc Aquilæ clangunt, Miluius inde lipit.
Bombilat hinc Apis, inde frittinit rauca Cicada.
Zinzilulat Progne, Regulus atque Merops.
Inclamat crocitans rauco de gutture Coruus,
Cum Mergo ad Patrias gratitat Anſer aquas.
Cucurit Gallus, Gallina gracillat, Hirundo
Trinſat, pupillat Pauo, tetrinat Anas.
Cacabat hinc Perdix, & plauſitat inde Palumbes,
Et querulum Paſſer pupilat ore modum.
Quærit congeneres in amico flumine turmas
Tam velox penna, quam pede ſegnis Anas.

P. Laur. le Brun. Hexam. die 5.

Dona Lidintoniæ ſemper victura Mineruæ
Hic picturatæ conſpiciuntur aves.
Alitunm ſtipata choro regina volucrum
Naſcitur hic Phœnix, quo perit, orta rogo.
Subleuat hic leporem pedibus Iouis ales ab alto,
Poſcere mortalem præda videtur opem.
Sole relucentem volucris Iunonia caudam
Circinat, & pluma multicolore nitet.
Mille Dioneæ volucres dant oſcula roſtris
Colla tument, plumis nec color vnus ineſt.
Vincit olor candore niues, ſed eburnea colla
Artificis quod ſint candidiora dolet.
Concolor arboribus virides hic explicat alas
Pſittacus, & ſola garrulitate caret.
Stant pugiles hic lucis aues: in vertice criſtæ,
Ignis ineſt oculis, cruribus arma rigent.
Hic & populea ſua luget fata ſub vmbra
Daulias, & geſtum muta loquentis habet
Hic fera Pygmæum pedibus Grus abripit vncis,
Clade pharetrati pumilionis ouans
Halcyonem iures hic veſtigare maritum:
Vox illi, ſortem qua fleat, vna deeſt.
His Capitolinæ cuſtos intexitur arcis,
Et de phaſiaca vecta volucris aqua.
Quæque ſuo teneros reſtaurant ſanguine natos,
Quæque ſubit dorſo dulce parentis onus.

Exue compedibus, quibus hærent, exue filis
Crura volaturas nemo negabit aues.
Apud P. Laur. le Brun. l. 7. Eloq. Poet. to. 1.

Aucupium.

.... ceu forte volucres
Frondoſi tectus latebris vbi perpulit anceps
Garritu ſimulato illæ per prona ſequentes
Brachia ſiluarum, finxit quos fiſtula cantus
Veſtigant, temereque aut viſco, aut retibus hærent.
Prædoni interea ſaliunt ſub pectore fibræ
Lætitia. heu iam iam plumas, vitamque relinquent
Aucupio miſeræ incauto.
P. Ant. Millieus l. 24. Moyſ. Viat.

Auis in cauea.

HAud aliter, quàm quæ radijs, & vimine texto
Clauſa tenetur auis, laqueique obnoxia nexu,
Ingemit erepta ſe libertate morari.
Libera camporum ſpatia, & liquidi ætheris auræ,
Et nemorum dulces per opaca ſilentia nidi,
Heu latebræ dulces! miſeræ pullique recurſant.
Impatiens ergo conata erumpere, ſeptis
Inuolitat, radioſque viam rimata per omnes
Inſertat caput, & cancellos rumpere ſperans
Quærit iter cœlo, ſtupaſue exire morantes.
Idem l. 27.

Apus, ſiue auis Paradiſi.

PRincipio enodes ceruix lentatur ad alas
Luteola, & fuluo rutilat criſpata metallo:
Sic color in pretio eſt, inferne virentia currit
Cyaneum per menta decus; Thaumantida ceu cum
Roſcidus aduerſo percuſſit Delius aſtro.
Excurrunt alæ in caudam, tenuique receptum
Tranſmittunt ſub nube diem; nam fuſcus inerrat
Splendor clementique faces demitigat vmbra.
Diſcolor interea primo ſub tegmine pluma
Vellus agit, magnoque minor ſe lumine veſtit
Aſtriferum miſſura iubar, blattamque, crocumque,
Camporumque oculos, voſque alba liguſtra, tuaſque
Obſcurat Narciſſe comas, iam vilior aura
Ceſton habet, vincique dolet Cadmeia torquis.
Plus etiam ordo placet, natiuum circinat orbem
Neſcia curuari, tergoque immobilis hæret.
Nec minor eſt virtus: celeres præuertitur euros
Aera per liquidum: prono ratis æquore currat:
Læta laborantes impellant carbaſa venti;
Scilicet antevolat puppes, & remige penna
Hoſpita venturo præſignat littora nautæ:

Tel-

Tellurem preſſiſſe pudet: frondoſa ſub auris
Eligitur Dryas, hic tectum parvique penates:
Incumbit ramis, & cauda prenſat obunca
Obſequio fugiente pedum, cœloque propinquus
Matutina bibit roranti ex æthere mella.
— *Apud P. Nic. Cauſinum l.6. Symb.*

Aut quales Indorum Apodes, quibus vna voluptas
Ire per aerias alis felicius auras.
Arboreos, cum grata quies, inſiſtere truncos,
Odiſſe exitiale ſolum, vitalibus euris
Non tacta tellure frui, religare reuinctum
Corpus ad apprenſas gemino filamine frondes,
Et puro aeriam cœlo ſuſpendere vitam.
P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Aquila.

HOs poſt inſequitur pulchros pennata per artus
Alituum regina, ſacre cui vertice plumæ
Aſſurgunt, flauoque caput diademate fulget.
Ipſa ingens alis ingentis fulminis inſtar
Supra hominum tecta, ac montes, ſupraque volucres
Fertur, & obſtantes curſu petit obuia nubes.
Sannazarius l.1. de partu.

Nata Aquila audaces in cœlum tollere niſus
Se liquidis agili corpore librat agris.
Illa tumet faſtu, & primæ ſibi conſcia ſortis
Erigit ante alias imperioſa caput.
Explorat phœbum, & non caligante tuetur
Lumine, mentito fulgura ſole vibrat,
Incuruique pedes falcatis vnguibus horrent,
Nam conſanguinea viuere geſtit aue
Improba ſe bifidi protendunt cornua roſtri
Pars incuruata cuſpide ſumma riget.
P. Laur. le Brun. Hex. die 5.

Aquila inconniuentibus oculis Solem inſpiciens, aut pullos explorans.

QValis vbi alta petens terris aufertur ab imis
Alituum regina vagas ſpatiata per auras
Das plauſum gyro, atque in nubila conditur alis.
Ætherea iamque illa plaga leuis inſtat & acrem
Intendens aciem criniti lumina ſolis
Suſpicit, obtutuque oculos fixa hæret acuto.
Hier. Vida l.4. Chriſt.

.... ſic ardua poſtquam
Sidera remigio ſebijt Iouis ales, & acri
Corripuit viſu rutilos Hiperionis ignes

Mox prædam meditata citis nemus irruit alis
Regna petens auium fremitu populoſa canoro
Qua ſublustre micat nemoroſa ſub illicibus nox;
Perque vmbras primum furit irrita, iamque recenti
Multum aciem phœbo, & candentibus ebria flammis
Lumina conniuet ſubitis offenſa tenebris.

P. Pulcharellus l. 1. car. 11.

Qualis in ardentem volucris clariſſima ſolem
Aſpicit, hærenteſque negat conuertere vultus
Sed totis contra ſe proluit ignea flammis.

P. Alex. Donatus l. 1. c. 11.

Regia ceu volucris ſuſpenſa flagrantibus alis
Tranſque invecta Notos, ora imperterrita Soli
Obijcit, æſtiuos cœli ſecura per ignes.

Idem l. 2. car. 8.

Qualis vbi Patriæ linquens cunabula rupis
Ætheriæ Regina plagæ, iam fortibus alis
Prouocat audaces cœli per inania pullos.
Illa ſuper graditur ſublimis. & æthere vaſto
Implicat alternos alternis orbibus orbes.
Illi alacres clangunt circum, certantque volando
Quis matri propiora petat, cui verbere pennæ
Blandior applaudat, ſuperet quis fulminis hæres.
Nec mora, nec requies, donec ſtent nubibus altis
Extremumque oculis iubeat tentare laborem.
Ergo illi cœlo fixis obtutibus hærent,
Ardentiſque ferunt validos Hyperionis ignes.
Cedendum tamen ignauis, quicumque retorto
Lumine ſpectauit Solis iubar, ille per auras
Labitur, & ſcopulis inglorius exigit æuum.
At comes it matri victor, portatque minora
Tela Ioui, quibus aprica colludit in æthra.

Apud P. Laur. de Brun. to. 1. El. Poet. 7.

Si ales alti fulminis arbiter
Lucem magiſtram conſulit, vt genus
Exploret, implumeſque nidos
Indicibus probat ante flammis.
Quàm iura magni deſtinet imperi
Vagoſque Regem dicat in alites,
Aulamque decernat futuro
In populos auium Tyranno.

P. Gilb. Ionnius l. 1. Ode 2.

Aquilæ ad prædam conuolantes.

QVales ab alto collo ſtellares ruunt
Aquilæ fragroſo turbine, & volucres Notos
Anteire pennis geſtiunt; crebris micant
Aſperſa ſtellis corpora, & lucem euibrans

Ma-

Maculoſus auro terga diſpungit decor.
Tum grande tauri corpus audacis petunt,
Qui fronte rupta cornibus, telum ferox
Obtendit hoſti, nec minor pugnam occupat.
Inſtant volatu præpeti armigeri Iouis,
Crebroque tunſum vellicant morſu caput,
Et vngue curuo ſauciam eradunt cutem.
Natat per armos pecudis effuſus cruor,
Furiatque dirus pectus incenſunt dolor
Mox ſe per alta nemora, & horrentes quatit
Latebras, ſequuntur percitum Aſteriæ leues:
P. Nic. Cauſinus in Solyma ac. 2. ſc. 4.

Aquila pugna cum Serpente.

VTque volans altè raptum cum fulua draconem
Fert Aquila, impleuitque pedes, atque vnguibus hæſit
Saucius ac ſerpens ſinuoſa volumina verſat,
Arrectiſque horret ſquamis, & ſibilat ore
Arduus inſurgens illa haud minus vrget adunco
Luctantem roſtro, ſimul æthera verberat alis.
Virg. l. 12. Æn.

Aquila pugna cum Cygnis.

NAmque volans rubra fuluus Iovis ales in æthera
Littoreas agitabat aves, turbamque ſonantem
Agminis aligeri, ſubito cum lapſus ad vndas
Cycnum excellentem pedibus rapit improbus vncis
Arrexere animo Itali: cunctæque volucres
Conuertunt clamore fugam (mirabile viſu)
Ætheraque obſcurant pennis, hoſtemque per auras
Facta nube premunt; donec vi victus, & ipſo
Pondere defecit, prædamque ex vnguibus ales
Proiecit fluvio, penituſque in nubilla fugit.
Idem l. 12. Æn.

Accipiter.

CVm ſe Dædalion ſaxo miſiſſet ab alto
Fecit auem, & ſubitis pendentem ſuſtulit alis,
Oraque adunca dedit, curuos dedit vnguibus hamos
Virtutem antiquam, maiores corpore vires.
Et nunc accipiter nulli ſatis æquus, in omnes
Sæuit aues alijſque dolens fit cauſa dolendi.
Ouid. l. 11. Met.

Accipiter in prædam inuectus.

ASpicis? en motu placido, ſimiliſque natanti
Aerium pennis Ardea findit iter.

Inſonuit pariter pugno dimiſſus herili,
Speque celer prædo præmia viſa petit.
Radit humum Pernix, ductiſque per aera gyris
Surgit, & in nubes inſidiator abit.
Illum oculi rapido ſuperantem nubila niſu
Pœnè negant acie deficiente ſequi.
Illa timet, quantumque poteſt, attollit in auras
Se quoque, ſed pennas lentius hoſte mouet.
Hic ſuper euehitur, ſpatioque ingente relictam
Præterit: ad palmam pronior inde via eſt.
Alitis, hinc trepidæ ſupra caput ingruit aſper.
Attonitamque avido concitus vngue petit.
Illa fugit diffiſa, minas opponit, & iras
Inſidijs, audax eſſe coacta metu.
Nam quid agat? oſtrumque minax, oculoſque ſequaces,
Quacumque ille aditum tentat in hoſte timet.
Vnguibus armatis nequidquam obiectat inermes,
Quaque poteſt pugnat, ſeque tuetur ope.
Et partem modò corpus in hanc, modò librat in illam;
Remque obliqua latus, remque ſupina gerit.
Verberibuſque alarum, & acuti cuſpide roſtri
Inſonat. ah prædo feruide roſtra caue.
Ille feros pennis fugiens velocibus ictus,
Acrior in pugnam rurſus, & arma ruit.
Imminet hinc atque hinc, omnique à parte laceſſit
Viuidus: alternant ſpeſque timorque vices.
Paſceris interea pulchro ſub nube duello,
Suſpenſoſque oculos Palma ferenda tenet.
Dum cruor, & vulſæ labuntur ab æthere plumæ,
Concuſſæque alæ corneaque ora ſonant,
Quod iuuet, eueniat: vincat, quem vincere mauis,
Prædaque ſpectantis decidat ante pedes.
P. Sidr. Hoſchius l. 3. el. 9.

Aues ab Accipitre pauentes.

NOn ſecus aligeri ſecura per otia fœtus,
Quos & inexpertæ fiducia prima iuuentæ
Frondibus emiſit natalibus æthera circum
Obſeſſum ſi fortè vident ſtridente volatu
Accipitris, ſuprema timent: ſed gutture preſſos
Continuere ſonos; propius nam mater amicis
Excubijs vigiles metuens intendit amores.
At ſuper inſidiæ venantis, & impetus hoſtis
Ardenteſque oculi, & rorantia ſanguine roſtra,
Atque auidis prędam meditantes faucibus vngues.
P. Alex. Donatus l. 4. Conſt.

Ardea.

ASpicis hinc quali ſe vertice iactet ad auras
Ardea, & inceſſu maior veſtigia tollat
Longa; leues ſummo vix ſignans puluere plantas,
Nul-

Nullus in extento roſtro modus: ærea tali
Tela tenore vibrans, ſi quando miles in hoſtem
Torqueat, & pacem confundat, & excitet arma.
Acre ardent oculi, longumque tuentur ab auris.
Pluma tegit graciles artus, ſeu vellere denſo
Album inter nigrumque magis, ſed concolor albo.
Inde volat leuis Accipiter, nil viribus impar
Sed membris & mole minor, magnumque rependit
Remigium alarum, roſtroque immanis adunco
Devovet in prædam furit, ignis lumine in imo
Exertatque pedes vncos, pugnamque laceſſit.

Apud P. Laur. le Brun to. 1. Eloq. Poet. l. 7.

Bubo.

INgemuit Regina Erebi, teſtemque profanum
Fecit auem, ſparſumque caput phlegetontide lympha
In roſtrum, & plumas, & grandia lumina vertit:
Ille ſibi ablatus fuluis amicitur in alis,
Inque caput creſcit, longoſque reflectitur vngues,
Vixque mouet natas per inertia brachia pennas,
Fœdaque fit volucris venturi nuncia luctus
Ignauus Bubo, dirum mortalibus omen.

Ouidius l. 5. met.

Columba Soli aduerſa, & varijs coloribus picta.

QValis enim cœcis poterit color eſſe tenebris
Lumine qui mutatur in ipſo, propterea quod
Recta aut obliqua percuſſus luce refulget?
Pluma Columbarum quo pacto in Sole videtur
Quæ ſita ceruices circum collumque coronat.
Namque alias fit vti claro fit rubra pyropo,
Interdum quodam ſenſu fit, vti videatur
Inter cœruleum virides miſcere ſmaragdos.

Lucretius l. 2.

Ille blandum qui Cytheræ liquit ales littus Cypriæ
Inque amores, inque amorum fertur ardens iurgia:
Ille caſtis qui maritam defatigat vſque baſijs,
Ire in aſtus ille plumas vel niuales edocet.
Namque Solis cum reluxit icta ceruix blanda ſpiculo;
Ilicet trahit colores mille fallax plumula.
Nunc cruentis purpurarum pluma fallax ardet ignibus:
Nunc beata templa Diuum, cum ſerenat cœrulos.
Vel Fauoni campos aura, vel Bootis aura frigidi,
(Si niuali gaudet amnes impedire compede)
Fingit impudens colore, fingit aurum ſæpe ſiderum,
Clara ficto ceruix auro ſic repente fulgurat.

Ex Vſtigio Gymn. Rom. par. 3.

Columba volans.

QValis ſpelunca ſubito commota Columba
Cui domus, & dulces latebroſo in pumice nidi,
Fertur in arua volans, plauſumque exterrita pennis
Dat tecto ingentem: mox aere lapſa quieto
Radit iter liquidum, celeres neque commouet alas.
Virgilius l.5. Æn.

Qualiter Idaliæ volucres vbi mollia frangunt
Nubila, iam longum cœloque domoque gregatæ;
Si iunxit pennas, diuerſoque hoſpita tractu
Venit auis, cunctæ primum mirantur, & horrent:
Mox propiuſque volant, ſociam iamque aere in ipſo
Paulatim fecere ſuam plauſuque ſecundo
Circumeunt hilares, & ad alta cubilia ducunt.
Statius l.1. Ach.

Columba laqueo ſoluta, & ad nidum reuolans.

QValis vbi in ſilua, & nemoroſi carceris vmbra
Deprenſum captiua pedem ſi forte Columba
Seruitium longum ingemuit, deſertaque quondam
Pignora, ſiluano licet irrita præda rapaci.
Namque vbi libertas reſpexit ſera gementem
Et iam votiuis cœli ſpatia ampla querelis
Emeruit, laqueo victrix luctata proterno
Euolat, & nido reducem ſe ſiſtit in alto.
P. Pulcharellus l.1.c.6.

Columba ab Aquila diuexata.

VIx ea: cum ſuperas allabi viſa per auras
Iride cincta caput, ramumque virentis oliuæ
Læta Columba ferens, laturaque prælia roſtro
Protinus aduerſo Iouis ales peruolat axe,
Explorat pennis auras, & verberat; iras
Excitat alliſu, iaculatur fulgura vultu.
Illa timet, celeratque fugam: ſequiturque pauentem
Vnguibus, alarumque ſono Regina Volucrum.
Subdola ſe varijs ſinuat modo flexibus, vrget,
Imminet, & ſtrepitu fremit ambitioſa ſecundo.
Hoſtiles fruſtratur avis modo candida morſus:
Rurſus & explicitas ſe ſe proiectat in alas.
Aſt Aquila aduolitat circum, ſtridore volatum
Proritat, vireſque acuit, terretque Columbam:
Iam ſuper impendet, motuſque volumine cingit.
P. Car. de Luca l.9. Laur. Dom.

Columba ab Accipitre capta.

QVàm facile accipiter ſaxo ſacer ales ab alto
Conſequitur pennis ſublimem in nube columbam.
Comprenſamque tenet, pedibuſque euiſcerat vncis:
Tum cruor, & vulſæ labuntur ab æthere plumæ.
Virgilius l. 11. Æn.

Sicut vbi accipiter celſa de ſede columbam
Diſtulit apprenſam, quam roſtro euiſceret vnco:
Suffugiunt aliæ huc illuc: mox turribus imis
Condunt ſe celeres, & inania murmura miſcent.
Vida l. 6. Chriſt.

Cycnus.

CVm vox eſt tenuata viro, canæque capillos
Diſſimulant plumæ, collumque à pectore longè
Porrigitur, digitoſque ligat iunctura rubentes.
Penna latus velat, tenet os ſine acumine roſtrum.
Stagna petit, patuloſque lacus, ignemque peroſus
Quæ colat, elegit contraria flumina flammis.
Ouidius l. 2. met.

Cognita Dircæi cui non eſt gloria Cycni?
Quantus, & audaci fertur ſuper aſtra volatu.
Purius eſt Pario cycnorum marmore corpus;
Ac niue candidius prima, folijſque liguſtri.
Conueniunt mores, mens concolor artubus illis:
Quique nitet plumis, nitet idem in pectore candor.
Ingenio eſt placido, pacis cupidiſſimus: at non
Eſt imbellis olor. iuſtus vbi concipit iras
Concipit inuictum robur, fulmumque Tonantis
Suſtinet armigerum, tanto nil territus hoſte.
Cycnus amat zephyros, zephyris & cycnus amatur.
Dulcior hinc illi cantus, cum vere tepenti
Fœcundat flatu reſoluta Fauonius arua.
Iucunda eſt Cycnis nec iners: aut muta ſenectus
Clareſcitque magis ſonus accedentibus annis
Suauior & multo, quo nigra propinquior hora
Quippe ſuos voluit famulos præſcire futura
Cynthius & vitæ finem aduentare ſupremum.
Apud P. Iaur. le Brun to. 1. Eloq. Poet. l. 5.

.... facili ſubit ecce natatu
Lene trahens ſe ſe liquidum ſuper æquor, olorum
Turba cicur, ſeu ſe domina, ſeu ſe hoſpita coram
Oſtentans, vix remigio pedis ima laborant.
Extat pluma vadis, extant candentia terga
Alba niuis ritu ſtagnoque imperuia tingi.
At ſuperant altè gutturque, oblongaque colla

Mitis

Miris apta modis, varioque volumine flecti,
Et roſtro prenſare manus, & carpere paſtum,
Et ſe mergere aquis.

Ex eodem Auctore loc. cit.

Coturnices inter ſe pugnantes.

INdulgent epulis, & marcida viſcera tendunt,
Atque dapes inter volucrum certamina poſcunt
Iſacidæ. promunt caueis Mauortia doctas
Bella coturnices. aduerſæ hinc inde locantur
Extremis alacres menſis, paſtæque adianto
Ingentes tollunt animos, toruiſque viciſſim
Deſpectant oculis hoſtem; tum pabula ſpargunt
In medio, pugnæ cauſas, ſæuique furoris.
Illicet aduerſis ardent concurrere roſtris,
Signa mouent medioque ruunt in pabula campo,
Incurſu quo quæque abigat violentior hoſtem
Longius aut ſi fors tulerit, primo impete ſternat.
Herculeas ſic certus aues in vulnera trudit
Impetus, abſiſtunt ictu, retroque repulſæ
Viribus ex æquo validis, plaudente corona
Reſtituere gradu pugnam, cantuque ſonantes
Tyrrenas imitante tubas, in vulnera rurſus
Incumbunt roſtris volitant à vertice plumæ
Excuſſæ galeis; crebro iam vulnere caluas
Ceruices, & vulſa cruor lauit improbus ora,
Effuſoſque oculos. hærent in mutua roſtris
Vulnera connixæ, laceratąque colla cruentant.
Implumes. dolor ipſe acuit pugnacibus iras.

P. Ant. Millieus l. 14. Moyſ. Viat.

Gallus.

ADde gregem cortis, criſtatarumque volucrum
Induperatores, laterum qui ſidera pulſu
Explaudunt, vigilique citant Titana canore.
Et regnum ſibi Marte parant: quippe obuia roſtris
Roſtra ferunt, crebriſque acuunt aſſultibus iras.
Igneſcunt animis, & calcem calce repulſant
Infeſto, aduerſumque affligunt pectore pectus.
Victor ouans cantu palmam teſtatur, & hoſti
Inſultans victo, pauidum pede calcat iniquo.
Ille ſilet, latebraſque petit, dominumque ſuperbum
Ferre gemit: comes it merito plebs cœtera regi.
Formoſo Regi, cui vertice purpurat alto
Faſtigatus apex, dulcique errore coruſcæ
Splendeſcunt ceruice iubæ, perque aurea colla
Perque humeros it pulcher honos: palea ampla decenter
Albicat ex rutilo, atque toroſa in pectora pendet
Barbarum in morem: ſtat adunca cuſpide roſtrum
Exiguum ſpatij roſtrum, flagrantque tremendum
Raui oculi, niueaſque caput latè explicat aures

Crura

Crura pilis hirſuta rigent, luctaraque nodo
Vix diſtante ſedet: durus veſtigia mucro
Armat in immenſum pinnæque, hirtique lacerti
Protenti excurrunt, duplicique horrentia vallo
Falcatæ ad cœlum tolluntur acumina caudæ.
Ipſe ſalax totam fecundo ſemine gentem
Implet, & oblongo nunc terram ſcalpurit vngue,
Rimaturque cibos; nunc edita nubila viſu
Explorat cantu: non illum ſquamea tutò
Aggreditur ſerpens, non raptor ab æthere milnus.
Ang. Politianus in Ruſtico.

Forſitan & cortis, criſtatarumque volucrum
Bella ducem miſcentem vncis, & cuſpide dura
Et meritam libeat palmam ſpectare ſerenrem
Victor ouat tremula teſtatus voce triumphum,
Et graditur ſe ſe maior, maiorque ſuperbo
Surget apex capiti, viuoque accenditur oſtro:
Et radiant ceruice iubæ maculoſaque lucent
Colla colore nouo, variuſque in pectore fucus
Purpurat, & bifido pendent palearia tractu.
P. Tarq. Gallutius l. 1. car. 18.

Principio criſta inſignis, paleaque rubenti
Et greſſu intrepido, calcaribus aſpera duris
Crura mouet, rauiſque oculis procul omnia luſtrat,
Picta micat varijs fulgoribus ardua ceruix,
Oſtentat validum pectus, forteſque laceratos
Præliaque infeſti meditatur acumine roſtri. *Et inf.*
Namque vbi magnanimos campo irritauit aperto
Bilis amara duces, agnataque miſit in arma,
Vnguibus & roſtro, repetito & verbere pennæ
Pendentem exercent pugnam: rapit impetus ambos:
Fit ſonitus crebro aſſultu: volat acta per auras
Pluma niuis ritu, ſtatque atro puluere cœlum.
Quin adeo igneſcunt ſtimulis diſcordibus iræ,
Viribus exhauſtis vt ſæpe occumbat vterque,
Sternaturque pari per mutua vulnera letho.
Et quiſquam humana miretur clade parari
Imperium, proceresque animas impendere ſceptris
Cum tanti exigua ſurgant de corte tumultus?
Nulla quies pugnæ, rabido mora nulla furori.
Nunc capitis rubros apices, nunc tempora figunt,
Lumina nunc fodiunt nigro ſtillantia tabo.
Gallinæ interea tacita formidine muſſant,
Quem fortuna ſibi Regem velit eſſe, virumque.
Alter vt inferior ceſſit, tenebraſque petiuit
Multa gemens, ſolio regni quod pulſus auiti:
Laude tumens alter primos ſublimis in vngues.
Erigitur, victorque ſuum canit ipſe triumphum.
Apud P. Laur. le Brun. t. 1. eloq. Poet. l. 7.

Ceu

Ceu geminos quoties agit in certamina gallos
Criſtati imperium gregis: illi obtutibus iras
Exacuunt fixis, tum plurima vulnera figunt,
Dum roſtrum roſtro impediunt, atque vnguibus vngue,
Concutiuntque alis alas, & pectore pectus.
Neuter agro victor, donec de corte propinqua
Alterius lateri ſe ſe nouus addidit hoſpes,
Auxiliumque tulit ſocio. petit inde latebram
Æmulus, & pallet metuens certare duobus

P. Iac. Damianus belli Germ. l. 4.

Grues volantes.

Strymona ſic gelidum bruma pellente relinquunt
Poturæ te, Nile, Grues, primoque volatu
Effingunt varias caſu monſtrante figuras,
Mox vbi percuſſit tenſas Notus altior alas
Confuſos temere immiſtæ glomerantur in orbes
Et turbata petit diſperſis littora pennis.

Lucanus l. 5.

.... velut agmine denſo
Strimonias cum regna Grues Nabathæa peroſæ
Ilicet in Rhodopen, abruptaque culmina Thracum
Æquora tranſmittunt Pygmeia caſtra petentes,
Bellaque portantes, iam pace cadente ſequeſtra.
Remige pennato pubes per inane canora
Ante trucem Boream, & ethesia flabra volatu
Crebra fugit, trifidam curſu reddente figuram
Summus in obſtantes protenditur angulus auras
Aduerſaque leuem diuerberat aera fronte
A latere hinc atque hinc rapidis ſubremigat alis:
Et coniurata nitens ope corpora librat:
Plurimus à tergo trepidantibus ingruit eurus,
Aligeramque fugam iuuat auxiliaribus auris.

Bend. Milanus in lib. carm.

Luſcinia canens.

Iam Sol è medio pronus deflexerat orbe
Mitius è radiis vibrans crinalibus ignem.
Cum Fidicen propter Tiberina fluenta, ſonanti
Lenibat plectro curas, æſtumque leuabat
Ilice defenſus nigra, ſcenaque virenti.
Audijt hunc hoſpes ſiluæ Philomela propinquæ,
Muſa loci, nemoris Siren, innoxia Siren,
Et propè ſuccedens ſtetit abdita frondibus, altè
Accipiens ſonitum, ſecumque remurmurat, & quos
Ille modos variat digitis, hæc gutture reddit.
Senſit ſe Fidicen Philomela imitante referri
Et placuit ludum volucri dare. Plenius ergo
Explorat citharam, tentamentumque futuræ
Præbeat vt pugnæ, percurrit protinus omnes

Impul-

Impulſu pernice fides. Nec ſegnius illa
Mille per excurrens variæ diſcrimina vocis
Venturi ſpeciem præfert argutula cantus.
Tunc Fidicen per fila mouens trepidantia dextram.
Nunc contemnenti ſimilis diuerberat vngue
Depectitque pari chordas, & ſimplice ductu
Nunc carptim replicat, digitiſque micantibus vrget
Fila minutatim, celerique repercutit ictu
Mox ſilet. illa modis totidem reſpondet, & artem
Arte refert. nunc ceu rudis, aut incerta canendi
Proijcit in longum nulloque plicatile flexu
Carmen init, ſimili ſerie, iugique tenore
Præbet iter liquibum labenti è pectore voci.
Nunc cæſim variat, moduliſque canora minutis
Delibrat vocem tremuloque reciprocat ore.
Miratur Fidicen paruis è faucibus ire
Tam varium, tam dulce melos: maioraque tentans
Alternat mira arte fides: dum torquet acutas,
Inciditque: graues operoſo verbere pulſat,
Permiſcetque ſimul certantia rauca ſonoris,
Ceu reſides in bella viros clangore laceſſat
Hoc etiam Philomela canit. dumque ore liquenti
Vibrat acuta ſonum, moduliſque interplicat æquis.
Ex inopinato grauis intonat, & leue murmur
Turbinat introrſus, alternantique ſonore
Clarat & infuſcat, ceu Martia claſſica pulſet.
Scilicet erubuit Fidicen, iraque calente,
Aut non hoc, inquit, referes cithariſtria ſiluæ,
Aut fracta cedam cithara. nec plura loquutus
Non imitabilibus plectrum concentibus vrget.
Namque manu per fila volat; ſimul hos, ſimul illos
Explorat numeros, chordaque laborat in omni.
Et ſtrepit, & tinnit, creſcitque ſuperbius, & ſe
Multiplicat relegens, plenoque choreumate plaudit.
Tum ſtetit expectans, ſi quid paret æmula contra.
Illa autem quamquam vox dudum exercita fauces
Aſperat, impatiens vinci ſimul aduocat omnes
Nequicquam vires. nam dum diſcrimina tanta
Reddere tot fidium natiua, & ſimplice tentat
Voce, canaliculiſque imitari grandia paruis;
Impar magnanimis auſis, imparque dolori
Deficit, & vitam ſummo in certamine linquens
Victoris cadit in plectrum, par nacta ſepulcrum.
Vſque adeo & tenues animas ferit æmula virtus.

P. Fam. Strada l. 2. prol. 6. Acad. 2.

Nec noſtro te prætereo philomela canentem
Carmine, tecum ambit muſa ciere modos,
Garrula mentitas hinc lingua mouetur in iras,
Lenior audaces mitigat inde ſonos.
Cantum hebetas, acuis, dilatas, contrahis, vrges.
Concidis, breuias, porrigis, articulas.

Sic

Sic ludit facile vox vna induſtria ludos.
Docta vel innumeros vna referre modos.
P. Laur. le Brun. Hex. die 4.

Audin iliceis abdita ramis
Ludit vt vario garrula cantu
Aureſque blandum Philomela mulcet:
Omnes vna guara vocum
Artifici concentus
Emodulatur ore.
Modo continuo lenta tenore
Extento trahitur vocula cantu:
Modo conciſo properata ſaltu
Seque frangit, ſeque carpit,
Inflexa variatur
Intorta copulatur.
Trepidis anxia faucibus errat,
Grauis immurmurat pectoris antro:
Nunc premitur, nunc libera citato
Curſu fertur, nunc libratur
Nunc tremulo garritu
Argutula vibratur.
Sæpe languidulo blandula flexu
Velut emoritur, velut exurgens
Sæpe ridenti gutture laſciuit,
Fugit, redit reuocata,
Nunc placide reſpirat,
Nunc muſicè ſuſpirat.
Modo gementibus ægra ſuſurris
Modo rotatili vagula gyro
Erratque, voluiturque, nectiturque,
Nunc elata, nunc demiſſa
Zinzilulat, fritillat
Secumque minuriſſat.
P. Mar. Bettinus l. 5. lyc. Poet.

.. .. modo namque æquabilis vno
Aſſurgit tractu, gutturque volubile longo
Lubricat impulſu, facileſque expectorat auras,
Difficiles numeros modo colluctata retorquet,
Infuſcat, ſcindit, carpitque, ac plurima mutat.
Plurima dum mutat, ſurgit ſymphonia diſcors.
Quando poſcit hymen, liquidos puri aeris hauſtus
Proijcit, abſorbetque iterum iaculabile murmur,
Atque intra fauces ſubigit, tacitumque choreuma
Delibrat, donec campo prorumpat aperto;
Vna eademque canit toties diſtincta, venitque
Obuia ſæpe ſibi, nonnunquam aduerſa, caditque
Ac ſurgit, vocemque premit, vocemque coruſcat.
Quod ſi feſta Ducis ſubeant connubia, nouit
Nouit & ipſa ſuos ad pompam augere tumultus.
Erigitur ſublime ruens, roſtroque perorat
Fuſius: è Roſtris credas præſagia dici,

Iam-

Iamque vt lympha ſonat, quæ curſus immemor arua
Radit, & inuentos diuexat rore lapillos.
Iam maiore modo turgens, viuentis ad inſtar
Fluminis, Aonidum lapſus imitatur aquarum,
Et ſua Pegaſeis ſtipat præcordia bullis.
Iam pigri de more vadi gemit interciſum,
Et gemitus alius mox interpellat auena.
Nonnunquam in duplices, dimiſſo ſimplice, ductus
Emicat, & pleno tinnit conſtantius ore.
Dant animos Sponſi facunda fluctuat aer
Temperie vocum, modulosque reciprocus viget
Singultuſque nouos reddit.

P. Iac. Balde Her. 10. 1.

Noctua.

NEc tibi Palladius volucer miracula præbet
Grata minus: niſi viua, ſimillima noctua viuæ,
Auro fulgentes oculos oſtentat, & albis
Guttatas maculis plumas; vt turba minorum
Aduolitat circum, ſpeciem mirata volucrum!
Vt modo lucente oculos, vt perlita captat
Membra notis quacumque licet! totumque repente
Certatim clangore nemus tectumque repleuit?
Illa gradu clauam fixo tenet ardua, ludo
Indulgens, motuſque auium fruſtratur hiantes.
Nunc informe caput circum, nunc lumina verſans,
Attonitæ ſimilis, viſu nunc languida nictans
Et ſtudio proritat aues, dum viſa timere
Vel contracta breues ſe ſe demittit in artus,
Sæpiùs aſſurgens vel ſe proiectat in auras.

P. Bernar. Stephonius in Hero. car. 9.

Nunc procul accerſens pellaci noctua cantu
    Conciliet viſco commoda lena tuo;
Illa capit captiua ſuos ſimul ales & auceps,
    Et conſanguineum prodere nata genus.
Illam omnis pennata cohors illudere certant,
    Cum venit in medium noctis alumna diem.
Ipſa caput quaſſat geſtu nugata loquaci,
    Quale ciet choreas Copa Syriſca ſuas.
Mille ſalit, reſilitque modis: nunc vertice nutat,
    Guttura nunc rauco laxat hiulca ſono.
Nunc ſubitis actas furijs cita ſubrigit alas,
    Et iacit imbelles irrequieta minas.
Nunc plumas arrecta leues tumet hiſpida toto
    Corpore, ſenticomus ceſpes, an hirtus Herix?
Nunc geminas pluma criſtas attollit, an aures?
    Ni fuerat pennis obſita, felis erat.
Viſa ſuos audita ſuos irritat amantes,
    Aligeros luſu fallere docta procos.
Seu leuis inſurgens iacto micat ardua collo,
    Seu collecta ſuos incubat ante pedes.

Seu retro, prorſumque vltra, circumque, ſupraque
. Acta, breuem vario circinat orbe locum.
Hanc ſibi libertam docuit ſic ludere Pallas
Triſtia dum lætis temperat arma iocis.
Hanc auibus ſpectandam alta ſuper arbore ſiſte,
Quæ canat inſidum ſtamine vincta pedem.
Tum quæ fæce ſua ſibi lenit, & vnguine turdus
Vimina, per totum conſere crebra nemus.
Crebra ſuper fruticum ſata virgea crebra ſub vmbra
Quò ſe cunque virens brachia lucus agit.
O quantam aſpicies volucrum concurrere turbam;
Et tibi cum lenæ ludere fraude tuæ,
Noctua ſi nulla eſt auium tibi nata ſatelles,
Hoc mea ſufficiet muſa miniſterium.
Pieris illa quidem vana eſt, & mima volucrum.
Maius an indecori quæris in ore decus?
Ipſa tibi in ſummo ſtabit ſine compede ramo,
Accito volucrum ludificanda choro.
Nullus erit patrijs, qui non ruat ales ab aſtris
Cum ludicra vlulæ viderit ora meæ.
Nec linat. aſperſu lucum tibi viſcus auaro.
Illa fidem aucupio fallit auarities.

P. Pulcharellus l. 6. el. vlt.

Phœnix.

VNa eſt quæ reparet, ſeque ipſa reſeminet ales
Aſſyrij Phœnica vocant: nec fruge, nec herbis,
Sed thuris lacrymis, & ſucco viuit amomi;
Hæc vbi quinque ſuæ complexit ſæcula vitæ
Illicis in ramis, tremulæque cacumine palmæ,
Vnguibus, & duro nidum ſibi conſtruit ore.
Quo ſimul ac caſias, & nardi lenis ariſtas
Quaſſaque cum fulua ſubſtrauit cinnama mirrha,
Se ſuper imponit, finitque in odoribus æuum.
Inde ferunt totidem qui viuere debeat annos
Corpore de patrio paruum Phœnica renaſci.

Ouidius l. 1. Met.

Par volucer ſuperis, ſtellas qui viuidus æquat
Durando, membriſque terit redeuntibus æuum.
Arcanum radiant oculi iubar: igneus ora
Cingit honos: rutilum cognato vertice ſidus
Attolit criſtatus apex, tenebraſque ſerena
Luce ſecat: Tyrio pinguntur crura veneno.
Anteuolant Zephyros pennæ, quas cærulus ambit
Flore color, ſparſoque ſuper diteſcit in auro.
Hinc neque concepto fœtu, nec ſemine ſurgit,
Sed Pater eſt proleſque ſui, nulloque creante
Emeritos artus fœcunda morte reformat
Et petit alternam totidem per funera vitam.
Namque vbi mille vias longinqua retorſerit ætas
Arentes tepidis de collibus eligit herbas,

Et

Et cumulum texens pretioſa fronde Sabæum
Componit buſtumque ſibi, partumque futurum.
Claudianus in Epigr. de Phan.

Principio color eſt qualis ſub ſidere cœli
Mitia quem croceo punica grana legunt.
Hoc humeri, pectuſque decens velamine fulgent,
Hoc caput, hoc ceruix, ſummaque terga nitent.
Caudaque porrigitur fuluo diſtincta metallo,
In cuius maculis purpura miſta rubet.
Clarum inter Pennas inſigne eſt deſuper, Iris
Pingere ceu nubem deſuper alta ſolet.
Albicat inſignis miſto viridante ſmaragdo,
Et puro cornu gemmea cuſpis hiat.
Ingentes oculos credas geminoſque hyacinthos,
Quorum de medio lucida flamma micat.
Æquatur toti capiti radiata corona
Phœbei referens verticis alta decus.
Crura tegunt ſquamæ flauo diſtincta metallo,
Aſt vngues roſeus pingit honore color.
Lact. Firmianus Eleg. de Phan.

.... Qualis noſtrum cum tendit in orbem
Purpureis rutilat pennis nitidiſſima Phœnix,
Quam variæ circum volucres comitantur euntem.
Illa volans Solem natiuo prouocat auro
Fulua caput, caudam & roſeis interlita punctis
Cæruleam.
Sannazarius l. 2. de partu.

Qualis vbi effætam volucris Panchæa ſenectam
Sentit, & occaſu rediuiuum exſuſcitat ortum:
Frugibus Aſſyrijs, & ſtramine fulta Sabæo
Flammantem obtutu carpit Titana proteruo.
Iamque renaſcentem genitali funere lucem
Accerſens, animam voces trahit inter aniles,
Et vitam moribunda nouam & noua fata ſalutat.
P. Pulchavellus l. 1. car. 6.

Par auis æthereis aſtris, diuturnior ære
Ipſa ſibi genitrix ſemper, ſemperque propago.
Olli cognato ſcintillant lumina Sole,
Et capiti criſtatus apex, radijſque corona
Emicat inſignis: viridi ſtant roſtra ſmaragdo,
Et rutila cuſpis gemma, colloque monile
Natiuo plumas inter diſtinguitur auro.
Cæruleæ ſurgunt pennæ gemmantibus alis,
Crura tegunt ſquamæ flauo variata metallo,
Caudaque porrigitur maculis interlita rubris.
Cum iam mille vias longinqua relegerit ætas
In Syriam pennis fertur grandæua vetuſtis,
Phœnicemque petit, terræ cognominis herbas
Vt legat arentes, viuaceſque excitet ignes,

Iam

Iam ſenium poſitura rogo, iam fronde Sabæa
Natales habitura vices, floremque iuuentæ.
P. Tarq. Gallutius l. 1. car. 7.

Nam ſæclis effœta nouem beneuolentia poſtquam
Cinnama compoſuit Phœnix iterabilis æui
Fata ſibi relegit, vitamque ſuperſtitat alto
Immoritura rogo, ſeſeque reſeminat ipſa,
Exequijs enixa ſuis cunabula vitæ.
Et iam ſupremum in cinerem dilapſa repente
Emicat in lucem, liquidumque per aera tranat
Viuida ſole nouo, nec ſenior alite flamma.
Oſtro ſparſa caput natiuo diſcolor auro,
Et ferrugineis guttata coloribus ales.
P. Ber. Stephonius car. 4.

Qua procul Eoo ſe ſe arduus æthere tollit
Cynthius, ignitaſque polo iubet ire quadrigas.
Hic fortunatis ales Titania campis
In ſobolem mutanda ſuam, cum tarda ſenili
Oſſa gelu exactis ſentit langueſcere ſæclis,
Balſameas populatur opes, ſummaque cupreſſu
Pangit odoratos intexens vngue penates:
Tum conſtructa nouæ ſubit incunabula proli,
Alarum longo implorans Hyperiona plauſu,
Feruentes premit ille rotas, propiorque petentem
Vitali ſplendore ferit; micat illa nitentes
Excutiens pennas, & amicum ſuſcitat ignem.
Protinus accenſis ſerpit penetralibus, & iam
In cineres decor omnis abit. labefacta calore
Membra liquent, teneris flamma inſinuante medullis
Vritur, inque ſuos occumbit feruida partus.
Nil mortale putes, fouet hic ſacer æſtus amatæ
Prolis anhelanti ſpirantem in corpore ſtirpem.
Nec mora: fœcundo concepta renaſcitur igne
Diſtinctumque nouos cinerem conformat in artus.
Et iam cœleſtem excipiunt anguſta fauillam
Pectora, ſplendentes ceruix ſe tendit in alas
Excurrunt alæ in caudam, dulcique receptum
Tranſmittunt fulgore diem, roſtro eminet ales
Nobilis, & fuluo rutilat criſpata metallo.
Scilicet ipſa ſibi tandem poſt fata ſuperſtes
Et pater, & proles natali funere ſurgens
Euolat ignoranſque mori generoſa per auras
Ludit auis, tremuloſque leui dat murmure plauſus.
Apud P. Laur. le Brun. to. 2. Eloq. Poet.

Qualis odorato Titanius ales ab Indo
Auroræque redit patrio cum funere ſiluis
Natali genitus buſto, eductuſque fauillis,
Quas illi natura dedit mitiſſima cunas.
Ille vbi fœcunda reparatum morte parentem
Induit, e tumulo genitali euectus in auras

Patrem

Patrem animo, plumaque refert, ſic ille gerebat
Flammantes apicis criſtas: ſic igneus illi
Os minio fingebat honos: ſic florida pictas
Purpura cum violis, hyacintho ſparſerat alas;
Et ſuper effuſo guttatim illuſerat auro
Iris, vt è pluma ſpeculum daret obuia phœbo.
P. Ant. Millieus l. 18. Moyſ. Viat.

His facilem nidum poſuit Phœbeius ales
Sedibus, aurata vincit qui ſidera penna
Cærulei radiant oculi, læta igneus ora
Cingit honos, rutilum ceruice intermicat aurum,
Frontem criſta tegit, pingunt maculoſa rubentes
Terga notæ, tyrio fucantur crura veneno.
Anteuolant zephyros alæ, Partaſque ſagittas,
Et penna meliore notos, & fulmina vincit
Ipſe Pater, ſoboleſque ſibi eſt: Virgo, vnicus ales
Mutua non nouit Veneris contagia. namque
Cum decies tandem redeuntia ſæcula vidit,
Languenteſque artus ſenio iam ſentit inerti;
Arida componit pretioſo cinnama buſto,
Atque Arabum fruges miſcet cum frugibus Indis:
Et quæ thuriferis ſpirat Panchaia ſiluis
Vt tumulum, & cunas nido componat in vno:
Emeritam vt reparet fecunda morte ſenectam.
Et repetat moriens fugitiuæ exordia vitę.
Atque vbi feralem Panchææ frugis aceruum
Inter Achæmenios congeſti thuris odores,
Et pingue Aſſyrio buſtum cumulauit amomo;
Scandit odoratos buſti genialis honores,
Exponens patrijs reparandos ignibus artus.
Auro illuſtre caput quatiens, radijſque decorum
Sol vibrat innocuas fœcundo lumine flammas,
Viuaceſque rogos: quos toto pectore Phœnix
Concipit, & vitam per læta incendia quærit,
Atque igni æthereo plumis alimenta miniſtrat.
Vt primum intepuit flammis languentibus ignis,
Relliquiæ tenues Phœnicis ſponte moueri
Incipiunt, plumaque tegit naſcente, fauilla
Victurum cinerem; flammiſque, ſuoque ſuperſtes
Surgit auis buſto: geminæ confinia vitæ
Naſcendique vices, alternos mortis honores
Exiguo medius diſcrimine ſeparat ignis:
Succedit nouus ipſe ſibi, tumuloque fideli
Tantum onus annorum ſeniumque informe relinquit,
Et longæ exuitur ſpolium mortale ſenectæ
Funereo ſurgens rediuiuus ab aggere Phœnix.
P. Gilb. Iennius in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Qualis odoratum, Panchææ gentis ad aram
Religione pia nidum Titanius ales
Cum tulit, imperiumque init regale volantum
In ſua ſublimis Phœnix redit arua triumpho.

Aurea

Aurea colla, rubens in corpore purpura, caudæ
Cæruleus, roſeuſque color, par gloria pennis,
Fronte rigens exurgit apex, criſtaſque comanti
Plumeus exuperat cumulo, ceu nobile gentis
Pennigeræ diadema; nouum prætoria regem
Agmina præcingunt volucrum famulantibus alis,
Officijſque ſuperba ſequi: clangore frequenti
Aſtra ſonant, varijſque hilares concentibus auræ.
P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Qualis odorato rediuiua cadauera buſto,
Aut vbi Panchæo cineres exciuit aceruo,
Æternam moriens volucris Phœniſſa iuuentam
Dum reparat, grato reduces dum funere cunas
Excitat, & feros in ſæcula prorogat annos:
Illa Arabum fruges, & ceſpite lecta Sabæo
Dona, Parætonias per inania vectat ad oras.
Iamque Phari latè fines, iam culta Canopi,
Et Peluſiacos perfundit odoribus agros:
Hinc atque hinc glomerantur aues, ſtipantque frequentes,
Ponè ſequi iuuat, afflatu quocunque præit Dux.
P. Iul. Caſ. Deſtitus in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Aut veluti patrijs ales Titania buſtis
Naſcitur, & veteris fugientia ſæcla ſenectæ,
Membraque vernanti reparat longæua iuuenta.
Iam capitis plus fulget apex, iam lætior auri
Pingit colla color, ſelectaque thura Sabæis,
Et Cilicum redolet meſſes, ſtupet obuius omnis,
Et volucrem miratur Arabs. illa ocyus Ortum
Reſpicit, ac Solis thalamos, ruſuſque renaſcens
Inchoat auſpicijs primos melioribus annos.
Barlæus Heroic. l. 1.

Pſittacus.

PSittace dux volucrum Domini facunda voluptas,
Humanæ ſolers imitator Pſittace linguæ
Quis tua tam ſubito præcluſit murmura fato! *Et inf.*
Occidit aeriæ celeberrima gloria gentis
Pſittacus illæ plagæ viridis regnatos Eoæ,
Quem non gemmata volucris Iunonia cauda
Vinceret aſpectu, gelidi non Phaſidis ales,
Nec quas humenti Numidæ rapuere ſub auſtro:
Ille ſalutator regum, nomenque loquutus
Cæſareum, & queruli quondam vice functus amici
Non conuiua leuis, monſtrataque reddere verba
Tam facilis.
Statius l. 2. ſil.

Æmula ſideribus fulgent, Indiſque lapillis
Lumina, natiui cingit quæ circulus auri,
Collaque miramur miniato inſignia torque,

Irri-

Irriguis veluti ſerpentia gramina ripis
Pluma viret, varijs ſparſæque coloribus alæ,
Quos placida in pratis repidi parit aura fauoni.
Ipſam adeo in pennas pictis è nubibus Irin
Deſcendiſſe putes, cum totas ille ſupinus
Pandit, & optatos verni Iouis excipit imbres. *Et inf.*
Induit affectus, effingit; & ore diſerto
Quales concipiunt mortalia pectora motus,
Brutaque quas fundunt varias animalia voces
Nunc deriſoris læros te audire cachinnos,
Nunc puerum in cunis credas vagire iacentem,
Accirine ſuæ vocis ſub imagine feles.
Vt tubicen rauco pugnas ciet improbus ære,
Accenditque animos Marti: clamore coortam
Sic acuit rixam, & gaudet gliſcente tumultu.
Apud P. Laur. le Brun. to. 2. Eloq. Poet.

Pauo.

PAuo coloratis fulget maculoſus ocellis.
Non tot picturas diſcolor Iris habet.
Æmula floriferis caudæ ſpectacula pratis
Pandit, & aſtriferis inuidioſa plagis.
Se rotat & plumas, & ſe miratur euntem,
Colla tument, faſtu criſta ſuperba tremit.
Et, modo mireris, ſtellata volumina gyrat:
Si tacitus ſpectas, protinus abdit opes.
P. Laur. le Brun. Hex. die 5.

Pellicanus.

PArte alia roſtro terebrans ſibi viſcera acuto,
Fœta auis implumes paſcebat vulnere natos,
Stant olli circum materno ſanguine læti,
Et pectus certatim omnes rimantur apertum.
Hier. Vida l. 1. Chriſt.

..... volucris ſic olim Ægyptia pullos
Dicitur exangues animare, & viſcera roſtro
Effodit ipſa ſibi, quo vulnere mortua proles
Lucem haurit, matriſque bibit cum ſanguine vitam.
P. Tarq. Gallutius l. 1. car. 4.

ANIMALIA INSECTA VOLVCRIA.

Apes.

SOlæ communes natos conſortia tecta
Vrbis habent, magniſque agitant ſub legibus æuum:
Et patriam ſolæ, & certos nouere penates:
F Ven-

Venturæque hyemis memores, æſtate laborem
Experiuntur, & in medium quæſita reponunt.
Namque aliæ victu inuigilant, & fœdere pacto
Exercentur agris: pars intra ſepta domorum
Narciſſi lacrymam, & lentum de cortice gluten
Prima fauis ponunt fundamina, deinde tenaces
Suſpendunt ceras: aliæ ſpem gentis adultos
Educunt fœtus: aliæ puriſſima mella
Stipant, & dulci diſtendunt nectare cellas,
Sunt quibus ad portam cecidit cuſtodia ſorti,
Inque vicem ſpeculantur aquas, & nubila cœli,
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignauum fucos pecus à præſepibus arcent.

Virg. l. 4. Geor.

Idem amator; atque apibus eadem experientia parcis.
Sed nec agros populare palam, aut incumbere furtis.
Cum iuuet è proprio vitam tolerare labore.
Iuſtitiam norunt ſolæ, & ſeruare pudorem:
Æqualis cunctis operæ, ſtudiumque parandi.
Mane nouos adeunt flores examine denſo,
Cœleſtemque legunt rorem, atque in tecta reportant.
Mox vacuis ſtipant cellis, vt nectare largo
Ignauas ducant hyemes, & frigora temnant.
Quin etiam tempeſtates, & ſidera norunt,
Armatæque repentinas vicere procellas
Pendentis ſaxi molem ad caua crura ferendo.

Iou. Pontanus l. 2. de Stell.

Ille Romanam vehit ore laurum
Ales, & pugna bonus, & triumpho;
Pacis inuictæ, mediuſque belli
Aptus vtroque.
Siue ſit vitæ ſapor eliquandus,
Roris & puri fabricanda merces;
Mole membrorum minor, arte maior
Dædalon æquat.
Primus in campo labor: hic minuto
Conſulit roſtro genus omne florum:
Hic leues ſuccos, animamque libat
Virginis auræ.
Inde meſſorum vice functus ales
Conuehit viuax onus ad paternas
Aluei ſedes, vbi regna ſeruant
Mellea plebem.
Artis hic miræ faber officinam
Roris exercet, reficitque cellas;
Hic pauimentum locat, imprimendis
Otia ceris.
Tum fauos ſucco grauat, & fluentem
Stillat Auroram, liquidumque cœlum:
Mel vocant vulgo; tamen eſt liquentis
Lacryma Solis.

Roris

Roris at puri pretioſus auctor
Melle pacato fera bella miſcet,
Nectar in pratis legit, & venenum
Nobilis iræ.
Neſcias vtro magis expeditus
Regnet in campo; necis an roſarum:
Martis an Floræ melior labori,
Mollis an aſper.
Ore quo pacem gerit, arma tractat:
Vulnerat telis, quibus oſculatur:
Aptat ad flores, habet atque fulmen
Promit & abdit.

P. Vinc. Guiniſius l. 1. car. 15.

Qualis vere nouo teneris aluearia ſuccis
Implet & artifices docto molimine ceras
Suſpendit, crebriſque locat mella aurea cellis.
Fit ſonitus, vario muſſant ſtridore per auras:
Pars per prata fugit, ſeruat pars cerea caſtra,
Pars thyma decerpit, pars lentum in cortice gluten
Digerit, atque omnes operi inſtant ordine certo.

P. Tarq. Gallutius l. 1. car. 15.

Qualis apud vaga rure phalanx, cum ſole ſereno
Læta dies iubet in liquidos exire labores,
Et cœptos vrgere fauos pars alite cura
Picta per arua volat croceoſque è floribus imbres
Conuehit, aduectos pars inuehit; vuida cogit
Nectareis pars mella cadis, pars limina ſeruat:
Nulla reſes, ſuos exercet labor impiger omnes,
Publicus ignauos arcere à limine fucos.

P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Haud aliter, quam ſi placidis noua ſolibus æſtas
Frigus iners condit, nudamque tepentibus auris
Inſtaurat mundi faciem, mox vbere vernat
Campus, odoratis ſtipantur floribus horti,
Exhalat violarum odor, & virgulta roſarum
Flore rubent, folijſque virent: decliuia verò
Herbida camporum, ſiluarumque æquora ſternit
Serpillum, atque ſeges latè naſcentis erucæ.
Huc ergo argutis glomerat ſe plurima pennis
Fingendi ſtudioſa faui gens, omne viretum
Sedula obit, campoſque vagis venatibus omnes
Explorat, quo ſe diſtendat nectare florum,
Fragranteſque legat ſuccos, dulcemque medullam.
Cuncta ſtrepunt apibus: venit vna, abit altera: flagrat
Omnibus vnus amor mellis, ſtudium omnibus vnum.
P. Io: Ambruſterus in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Apes ex aluearibus fumo exactæ.

INcluſas vt cum latebroſo in pumice paſtor
Veſtigauit apes, fumóque impleuit amaro:
Illæ intus trepidæ rerum per cerea caſtra
Diſcurrunt, magniſque acuunt ſtridoribus iras.
Voluitur ater tectis: tum murmure cæco
Intus ſaxa ſonant: vacuas it fumus ad auras.
Virgilius l. 12.

Apes pro aluearibus pugnantes.

AC velut infeſtis ardent examina turmis
Defenſura fauos, & dulces nectare cellas,
Paſtorum quas forte cauo ſub pumice turba
Deprendit: facibus tophos ſuffumigat atris,
Immiſſoque graui cerata per horrea nimbo
Nectareas populatur opes, aluearia bellum
Sæua canunt, ſonat innumeris legionibus aer:
Omnibus in fures acuuntur ſpicula roſtris
Stricta parata oculis, fugientemque vndique campis
Facta nube acies premit, & circumuolat hoſtem.
P. Ant. Millieus Moyſ. Viat. l. 16.

Apes æris ſonitu reuocatæ.

HAud aliter medio reuocauit ab æquore puppes
Quàm ſimul effœtas linquunt examine ceras,
Atque oblita faui non miſcent nexibus alas.
Sed ſibi quæque volat, nec iam deguſtat amarum
Deſidioſa thymum: phrygij ſonus vt crepat æris
Attonitæ poſuere fugam, ſtudiumque laboris
Florigeri repetunt, & ſacri mellis amorem.
Lucanus l. 9.

Apes inter ſe pugnantes.

SIn autem ad pugnam exierint (nam ſæpe duobus
Regibus inceſſit magno diſcordia motu)
Continuoque animus vulgi, & trepidantia bello
Corda licet longè præſciſcere, namque morantes
Martius ille æris rauci canor increpat: & vox
Auditur fractos ſonitus imitata tubarum.
Tum trepidæ inter ſe coeunt, penniſque coruſcant,
Spiculaque exacuunt roſtris, aptantque lacertos,
Et circa Regem, atque ipſa ad prætoria denſæ
Miſcentur, magniſque vocant clamoribus hoſtem.
Ergo vbi ver nactæ ſudum, campoſque patentes
Erumpunt portis: concurritur, æthere in alto
Fit ſonitus. magnum miſtæ glomerantur in orbem,
Præcipiteſque cadunt: non denſior aere grando,
Nec de concuſſa tantum pluit illice glandis.

Ipſæ

Ipſi per medias acies inſignibus a[...]s
Ingentes animos anguſto in pectore verſant:
Vſque adeo obnixi non cedere, cum grauis aut hos,
Aut hos verſa fuga victor dare terga coegit,
Hi motus animorum, atque hæc certamina tanta
Pulueris exigui iactu compreſſa quieſcent.
Virg. l. 4. Georg.

Cicada.

AT illa Theſeos, atque mandati memor
Alas volucres ventilans, & oſculum
Pandens biſulcum motitaſque cruſcula
Facta eſt Tonantis in ſua vernacula
Encomiaſtes, dum ſui corpuſculi
Memorare cœpit principem auctorem Deum,
Qui tam decoram fabricam compegerit,
Adeo venuſtas tibias volubili
Strictoque iunctas genibus internodio,
Vt ſit ſalire de repente in arborem.
Franciſcus audit, & probat canit ſoror,
Oculoſque cantu graphica depingit ſuos
Protuberantes ſphœrulas cryſtallinas,
Nictare faciles, quando palpebris lubet.
Doctas moueri ſuſque deque, dum cibos
Aut hic acutum cernit, aut hoſtem ſuum.
Collaudat alas delicati ſtaminis,
Agiles tenellas, dædalas, partim mero
Virore, partim cærulo circumfluas,
Quas & relaxat, & reducit vt lubet.
P. Aug Gazæus in lib. Pior. Hilar.

Culex.

SCrutare Culices mobiliſſimam gentem,
Quibus vnda puris pectus, & cor, & vitam,
Et caput, & alas, & iecuſculum format.
Sique adlubeſcit, viſe, qua via, qui vi
Promuſcis illa fiſtuloſa ſorbendo
Fit tuba canora, & nunc tibi cutem figit,
Nunc tundit aures muſica peregrina. *Idem eod. lib.*
Puluereos ingens Culices rotat aere turbo
Nec fas eſt exire oculis ſubtilis tela,
Mole adeo nulla ſenſus corpuſcula fallunt,
Effugiuntque aciem, quibus eſt cutis arida venter,
Perſpicuæque hyalo pennæ: tenuiſſima crura,
Subtileſque pedum fibræ: caua buccina roſtrum:
Spiculaque, & tremulo molles filamine caudæ,
Cornua dant fronti duo Serum è ſtamine fila:
Vix hoſtem ſentire licet, niſi vellicet aures
Aduolitans tenuique tuba iam vulnera figat,
Aut canat exili ſtimulans ſe ad bella ſuſurro.

At cum purpureo tumuit iam puluere venter,
Et ſatur infixa tamen hæret cuſpide belli.

P. Ant. Millieus l. 3. Moyſ. Viat.

Vetuſta Muydæ tecta, & annoſi lares,
Et vos Bameſtræ fertilis nouæ domus
Cur culice crebro vatibus moleſtiam
Dirisque noctu cantibus faceſſitis?
Iſtis ſuſurris rumpitis ſomni moram,
Iſtis ſuſurris vatibus ſuauiſſimis
Obmurmuratis, & poetarum melos
Cantuſque molles Pegaſeij chori
Phœbique totos ordines exploditis.
Audite Culicum diſparem concordiam,
Volucriſque magna paruulæ diſcrimina.
Tuus, ò diſerta Muyda fortius canit,
Minus Bameſtræ. Muyda plus tuus ferit,
Tuus Bameſtra lenius roſtrum duplex
Acutius Muydenſibus: Bameſtrij
Obtuſiore me tenebrant cuſpide.
Quin grandius corpuſculum Bameſtrijs,
Et litterati ſanguinis capacius.
Magis tenella membra ſunt Muydenſibus,
Magis canorum guttur, atque ſibilum.
Sceleſta turba, noctis horror optimæ,
Inuiſa turba, garrulæ, leues aues,
Sacræ quietis iugis execratio,
Seu diſpares, ſeu compares ſuſurrulis
Abite longè, Zoiloſque pungite.

Barlæus carm. par. 2.

... inſurgit acies acribus pinnis micans,
Ieiuna ventris cauea inexpletum ſitit
Hominum cruorem; ſpicular telum ferox
Natura prædæ, vocis & ſonitus truces
Addit furori, ſauciam ſtringunt cutem
Acuminata cuſpide, & prædas agunt
Totos per artus, ſanguinem lentè ebibunt,
Quem fiſtuloſo terebra corriuat ſinu.

P. Nic. Cauſinus in Nabuc. act. 3. ſc. 2.

Culices ad lucernam conuolantes.

.... ceu cum medijs inopina tenebris
Ada repentinam fax in cellaria lucem
Intulit, aduolitant cæcis mox vndique tectis
Ad flammam culices, radioſque ſonantia circum
Agmina voluuntur pennis, ac lucis amore
Exultim adſiliunt gaudentque micantibus alis
Incurſare iubar, propiuſque adradere flammam,
Impetibus donec crebris, cæcoque tumultu
Peſtifero arſuras linquant in fomite pennas:
Tum ſtupa hærentes ſtridenti in lampade fumant.

Heu!

Heu! uæque primorum deterret fata ſequentes:
Sic alij ſuper vſque alios volitantque, caduntque.
P. Ant. Millieus l. 24. Moyſ. Viat.

Locuſta.

HOrret apex capitis, medio fera lumina ſurgunt
Vertice, cognatus dorſo dureſcit amictus.
Armauit natura cutem, dumque rubentes
Cuſpidibus paruis multis acuere rubores.
Claudianus in fragm.

Vnde ſub auroram campis numeroſa iuuentus
Militiæ patiens apparuit: omnibus ora
Roſtrata, & ſimiles ferris duplici ordine dentes:
Mobile ſub galeis caput altè aſſurgit acutis:
Cornei, & extantes oculi: prolixior aluus
Deſinit in rigidis caudata cuſpide falces:
Poplite contento neruoſis cruribus omnes
Euibrata ſolo ſaltu iaculantur in auras
Corpora, Gnoſiacis credas exiſſe ſagittas
Arcubus at ſubiens pictas Notus adiuuat alas.
P. Ant. Millieus l. 3. Moyſ. Viat.

Muſca Ægyptia.

ECce autem immenſo muſcarum examina tractu
Inſiliunt, & ſe medios iaculantur in hoſtes,
Nunc vltro citroque fremunt, nunc recta ſonantes
Nunc tranſuerſa ſecant ſpatia, aut glomerantur in orbes.
Olfaciunt longè prædas, & olentia longè
Corpora quadrupedum, aut hominum librantur in ora
Spiculaque inſigunt membris, & cuſpide ſugunt
Purpureas venis animas, artuſque cruentant
Informes: manat ſanies, & tubera ſurgunt,
Vlceraque infuſo crudeſcunt fœda veneno.
P. Ant. Millieus lo. ſup. cit.

Papilio lucernam circumuolitans.

HAud aliter moriente die, ſi forte lucerna
Fulſerit è clauſtro, accurrit peregrina volatrix
E tenebris; flammam procul aſſentantibus alis
Ambitioſa colit: propiore deinde volatu
Lapſa per illecebras formoſæ fraudis amore
Lucis adulatur formæ: per ludicra ineptum
Crede paraſitum Reginæ applaudere circum.
Verum ex inſidijs lycno ſtridente fauilla
Truditur, hæc volucri bellum, atque incendia portans
Grandibus igniculum pennis affixa reliquit.
Nec mora, nec requies miſeræ: cadit illa ſonanti
Alarum bombo ſortita illuſtre ſepulchrum.
P. Leo Sanctius l. 2. flo. car. vlt.

Papilio ortus ex Bombyce.

ECce autem vt roſtro follem terebrauit acuto,
Protinus erumpit (viſu mirabile monſtrum .)
Alitis in paruæ Bombyx collecta figuram,
Et noua ſe ſe iterum facies mirantibus offert.
Nam quæ longa fuit tinea olim fit leuis ales
Papilio, tineæ pallentes concolor artus.
Ergo carceribus cum rupit multa viam vis,
Aligeri & cœcis ſe ſe eripuere tenebris,
Hærent a toniti rerum nouitate, neque audent
Remigio alarum ſe in aperto credere cœlo,
Diſſimileſque ſui tacitè noua corpora ſecum
Mirari, forma nec ſe ſe agnoſcere in illa.
Cornua mirantur fronti, mirantur & alas,
Et vires nil ſupra audent tentare priores
Diffiſi, memoreſque ſui: ſed tum neque guſtant
Pabula, nec vitæ quærunt alimenta prioris.
Hie.Vida l. 2. de Bomb.

M A R E.

IN mare tot paſſim decliui vortice currunt,
Et Nereo pendunt æterna tributa parenti
Vndique flumina vaſta diuque exercita longo
Impete, perpetua nec aquarum exuberat æquor
Alluuie exundans, nec iniqua mole tumeſcit
Tot circumfuſis hinc inde acceſſibus auctum:
Non rapido euincit dirupta repagula fluctu
Immenſumve furens vndante ſupernatat alveo
Altius, aut tumido circumfremit vndique cautes
Durius incurſans, nec fundamenta procellis
Atterit, aut ripæ victrix inſultat adeſæ:
Obice ſed tenui iacet inuiolatus arena
Terminus, vnde redit fluctus, ſuaque ipſe reſorbet
Per veſtigia ſe ſe, & mole repreſſus amica.
Littori inoffenſo tantum oſcula mollia figit.
P. Iaur. le Brun. in lib. Eccleſ.

In mare tum dulcis fluviorum voluitur vnda,
Quæ falſum vt retigit marmor, amara redit.
Aſt vbi congeſto vaſtum æquauere baratrum
Vortice, præſago ſubdidit ore Deus:
Te mare venturæ dicent de nomine gentes,
Iræ fræna tuæ littus inerme dabit.
Fluctibus alternis refluos conuoluere fluctus
Incipe, & ad notos diſce vocare ſpecus.
Debita natorum quamuis mare penſa receptet;
Haud tamen à nimijs pontus inundat aquis.
Cynthia cum pleno fraternum corpore lumen
Hauſerit, iratis ſæuiet vna vadis,

Cum-

Cumque renaſcentem cornuta retraxerit orbem,
Impete ſedato mitior æſtus erit.
Volue tuos fluctus, rurſumque in te ipſa reſide,
Et contenta tua currere, curre via.
Siſte hic illiſi replicatas vorticis iras.
Neue inconceſſas depopulare plagas.
Vlterius tentare veto; nec iuſſa rebellis
Deſpice: ſit regno murus arena tuo.
Vndarum implacidos domuit lex iſta furores,
Et Thetis ad nutum obſequioſa fluit.

P. Laur. le Brun Hex. die 8.

Sic Deus offuſa denſi caligine nimbi
Deſuper inuoluit totum mare, nubis aquoſæ
Implicitum veluti pannis, altaſque receptum
Immenſæ ſcrobis in foſſas, tractuſque profundos,
Inque cubile capax, velut in cunabula vinctum
Condidit, infantiſque modo captare ſoporem
Iuſſit, & inſanos ſomno compeſcere fluctus.
Neu velut erumpens ſtabulo fera, vincula rumpat
Addita, & ingentes edat cum ſtrage ruinas,
Addidit æratos obices, & ferrea panxit
Oſtia, ferratos compegit in oſtia vectes,
Fixit, & indomitas in clauſtra adamantina leges.
Vnica vox, dominę quę magna potentia vocis,
Æs, ferrumque truces, adamantaque vicit in vndas?
Non ait, impono montes in iuſta furoris
Clauſtra tui: tales tua nota ſuperbia muros
Ambiat: haud ęquum ſtolido ſeruire tumori.
Hunc vides? implacidum vides ludentis arenæ
Ad littus cumulum? rabidis hic terminus eſto
Æſtubus iniuſſas vetat hic te puluis in oras
Scandere, & audaci violare repagula niſu.
Tolle minas, bacchare furens, conare quod vſquam eſt;
Hic laſſam rabiem ſupplex, fluctuſque tumentes,
Hic ad adoratę frangas volo littus arenę,
Cœtera per licitos terris illabere fines,
Illa tuos gremium gaudens recludet in æſtus,
Et tecum gemini iunget conſortia mundi.

P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Mare vnum, & multiplex.

TVnc magni patuere ſinus, vbi Perſa ſuperbas
Vectat opes, vbi Erythręi ſcrutatur arenas
Diues Arabs, rapiduſque ingentia flumina Ganges
Euomit, aut multo ſitiens ſe proluit auro
Indus, & ardenes Careia ſeparat Afros,
Et Calpen Abylæ diuellit montibus vnda.
Ionij latrant fluctus; aduerſa Charybdi
Scylla fremit: tumidis aquilonibus Adria ſurgens
Verberat Auſonii latus implacabile dorſi.
Concreſcit Scythicus glaciali ſidere pontus,

Caſpia ſtagna iacent: Ægeo murmure Thracum
Regna ſonant: Helle Euxinum ſe ſe abdit in æquor,
Boſphorus in Tanaim: vaſtas longinqua paludes
Mæotis bibit, & Boreales Baltica fines
Littora, concluſumque alibi Scritofinia potat
Oceanum, & longis damnatus Lappo tenebris.

Barlaus Heroic. l. 1.

Mare tranquillum.

INde vbi prima fides pelago, placataque venti.
Dant maria, & lenis crepitans vocat Auſter in altum.

Virgilius l. 3. Æn.

Hinc aura primò lenis impellit rates
Allapſa velis, vnda vix tactu leuis
Tranquilla zephyri mollis afflatu tremit,
Splendetque claſſe pelagus, & pariter latet,
Properat iuuentus omnis adductos ſimul
Lentare remos: adiuuat ventos manu,
Et valida nixu brachia alterno mouet,
Sulcata vibrant æquora, & latera increpant,
Dirimuntque canæ cærulum ſpumæ mare.

Seneca in Agam. act. 3.

Maris malacia.

VT primum lenior propellere lintea ventus
Incipit, exiguumque tument: mox reddita malo
In mediam cecidere ratem: terraque relicta
Non valet ipſa ſequi puppes, quæ vexerat aura.
Æquora lenta iacent alto torpore ligata:
Pigrius inmotis hæſere paludibus vndæ.
Sic ſtat iners ſcythicas adſtringens Boſphorus vndas,
Cum glacie retinente fretum non impulit Iſter,
Immenſumque gelu tegitur mare, comprimit vnda
Deprendit quaſcumque rates: nec peruia velis
Æquora frangit eques, fluctuque latente ſonantem
Orbita migranti pendit Mæotida Beſſi.
Sæua quies pelagi, mæſtoque ignaua profundo
Stagna iacentis aquæ: veluti deſerta rigente
Æquora natura ceſſant, pontuſque vetuſtas
Oblitus ſeruare vices, non commeat æſtu,
Non horrore tremit, non ſolis imagine vibrat.
Caſibus innumeris fixæ patuere carinæ:
Illinc infectæ claſſes & inertia tonſis
Æquora moturæ grauis hinc languore profundi
Obſeſſis ventura fames: noua vota timori
Sunt inuenta nouo, fluctus, nimiaſque precari
Ventorum vires, dum ſe torpentibus vnda
Excutiat ſtagnis, & ſit mare, nubila nuſquam
Vndarumque minæ: cœlo languente, fretoque
Naufragij ſpes omnis abit.

Lucanus l. 5.

Mare

Mare turbatum.

QVantum Leucadio placidus de vertice pontus
Deſpicitur, tantum nautæ videre trementes
Fluctibus è ſummis præceps mare: cumque tumentes
Rurſus hiant vndæ, vix eminet æquore malus.
Nubila tanguntur velis, & terra carina:
Nam pelagus, qua parte ſedet, non celat arenam
Exhauſtum in cumulos, omniſque in fluctibus vnda eſt.
Artis opem vicere metus, neſcitque magiſter
Quam frangat, cui cedat aquæ. diſcordia ponti
Succurrit miſeris, fluctuſque euertere puppim
Non valet: in fluctus victum latus vnda repellens
Erigit, atque omni ſurgit ratis ardua vento.

Lucanus l. 5.

Non illum Oceani rapidæ videre procellæ
Altercantem animo curas, aut mole trementem:
Quamquam a brupta freto trepidantem aſſultat olympum
Tempeſtas, ſæuitque minis immane profundum.
Illum inter pelagi fremitus, cœlique ruinas
Naufrago quamuis fluitantem errore carinæ,
Et trepido nullos ſperantem à remige portus
Illibata quies, & amicis conſcia Diuis
Spes animat, dubijſque vetat ſuccumbere curis.

P. Fulchareltus l. 1 car. 7.

Spumeus ecce fremor, turgentque ſonantia longè.
Æquora, & vndoſo miſcentur murmure fluctus,
Non Auſter, non Caurus adeſt tamen omnis ab imis
Æſtuat vnda vadis, cœloque elata profundos
Mox aperit manes, puppimque in tartara condit.
Mirantur nautæ per lenta ſilentia cœli
Turbine cur tanto pontus ruat. alta dehiſcunt
Iam ruptæ tabulata ratis, laceratáque vela
Maloſque, antennaſque vorant in gurgite fluctus.

P. Alex. Donatus l. 1. car. 11.

Tempeſtas maritima.

INcubuere mari, totumque à ſedibus imis
Vnà Eurusque, Notuſque ruunt, creberque procellis
Africus, & vaſtos voluunt ad ſidera fluctus.
Inſequitur clamorque virum, ſtridorque rudentum:
Eripiunt ſubito nubes cœlumque, diemque
Teucrorum ex oculis; ponto nox incubat atra:
Intonuere poli, & crebris micat ignibus æther,
Præſentemque viris intentant omnia mortem. *Et inf.*
Talia iactanti ſtridens Aquilone procella
Velum aduerſa ferit fluctuſque ad ſidera tollit,
Franguntur remi: tum prora auertit, & vndis
Dat latus: inſequitur cumulo præruptus aquę mons,
Hi ſummo in fluctu pendent, his vnda dehiſcens

Terram inter fluctus aperit, furit æſtus arenis,
Tres Notus abreptas in ſaxa latentia torquet:
Saxa vocant Itali, medijs quę in fluctibus Aras
Dorſum immane mari ſummo. tres Eurus ab a
In breuia, & Syrtes vrget (miſerabile viſu)
Illiditque vadis, atque aggere cingit arenæ.
Vnam quæ Lycios, fidumque vehebat Orontem,
Ipſius ante oculos ingens à vertice pondus
In puppim ferit: excutitur, pronuſque magiſter
Voluitur in caput, aſt illam ter fluctus ibidem
Torquet agens circum, & rapidus vorat æquore vortex.
Apparent rari nantes in gurgite vaſto,
Arma virûm, tabulęque, & Troia gaza per vndas.

Virg.l.1.Æn.

Poſtquam altum tenuere rates, nec iam amplius vllæ
Apparent terrę, cœlum vndique, & vndique pontus:
Tum mihi cęruleus ſupra caput adſtitit imber
Noctem, hyememque ferens, & inhorruit vnda tenebris.
Continuò venti voluunt mare, magnaque ſurgunt
Æquora: diſperſi iactamur gurgite vaſto.
Inuoluere diem nimbi, & nos humida cœlum
Abſtulit; ingeminant abruptis nubibus ignes.
Excutimur curſu & cœcis erramus in vndis.
Ipſe diem, noctemque negat diſcernere cœlo,
Nec meminiſſe vię media Palinurus in vnda.
Tres adeo incertos cœca caligine ſoles
Erramus pelago, totidem ſine ſidere noctes.

Idem l.2.Æn.

Aſpera creſcit hyems omnique è parte feroces
Bella gerunt venti, fretaque indignantia miſcent. *Et inf.*
Quippe ſonant clamore viri, ſtridore rudentes,
Vndarum incurſu grauis vnda, tonitribus æther.
Fluctibus erigitur, cœlumque ęquare videtur
Pontus, & inductas aſpergine tangere nubes.
Vt modo cum fuluas ex imo vertit arenas,
Concolor eſt illis, Stygia modò nigrior vnda.
Sternitur interdum, ſpumiſque ſonantibus albet.
Ipſa quoque his agitur vicibus Trachinia puppis
Et nunc ſublimis veluti de vertice montis
Deſpicere in valles, imumque Acheronta videtur:
Nunc vbi demiſſum curuum circumſtetit ęquor,
Suſpicere i[illegible] [illegible] gurgite cœlum.
Sępe dat [illegible]
Nec le[illegible] fragorem:
Cum [illegible] olim
[illegible]ces

Me miſerum, quanti montes voluuntur aquarum:
  Iam iam tacturos ſidera ſumma putes.
Quantæ diducto ſubſidunt æquore valles:
  Iam iam tacturas tartara nigra putes:
Quodcumque aſpicio, nihil eſt niſi pontus, & æther:
  Fluctibus hic tumidus, nubibus ille minax.
Inter vtrumque fremunt immani murmure venti:
  Neſcit cui domino pareat vnda maris.
Nam modò purpureo vires capit Eurus ab ortu:
  Nunc zephyrus ſero veſpere miſſus adeſt:
Nunc gelidus ſicca Boreas bacchatur ab arcto:
  Nunc Notus aduerſa prælia fronte gerit.
Hei mihi quàm celeri micuerunt nubila flamma:
  Quantus ab æthereo perſonat axe fragor.
Nec leuius laterum tabulæ feriuntur ab vndis.
  Quàm graue balliſtæ mœnia pulſat onus.
Qui venit hic fluctus, fluctus ſupereminet omnes:
  Poſterior nono eſt, vndecimoque prior.

Ouid. l. 1. Triſt. el. 2.

Iamque aberant terris, quantum Gortynia currunt
Spicula; cœruleo grauidam cum Iuppiter imbri
Ipſa ſuper nubem ratis armamenta pelaſgę
Siſtit agens. inde horror aquis, & raptus ab omni
Sole dies miſcet tenebras, queis protinus vnda
Concolor: obnixi lacerant caua nubila venti,
Diripiuntque fretum: nigris redit humida tellus
Vorticibus, totumque Notis portantibus æquor
Pendet, & æquato iam prope ſidera dorſo
Frangitur incertæ iam nec prior impetus alno,
Sed labat: extantem roſtris modò gurgite in imo,
Nunc cœlo Tritona ferens, nec robora proſunt
Semideum heroum, puppemque inſana flagellat
Arbor, & inſtabili procumbens pondere curuas
Raptat aquas, remique cadunt in pectus inanes.

Statius l. 5. Theb.

Cum Luna ſubito conditur. ſtellæ latent,
In aſtra pontus tollitur, c[illegible]t.
Nec vna nox eſt: denſa[illegible]rit
Caligo, & omni luce ſ[illegible]
Cœlumque miſcet: vn[illegible] ſimul
Rapiuntque pelagus in[illegible]o,
Aduerſus E[illegible]ephy[illegible]otus.
Sua qui[illegible]t [illegible]etum
Emol[illegible]
Stry[illegible]ines,
Lib[illegible]agit:
Ne[illegible]bis Notus,
In[illegible] mouet
N[illegible]nus.

De-

Decidere, & arrum rebus induci chaos.
Vento reſiſt t æſtus, & ventus retro
Æſtum reuoluit. non capit ſe ſe mare:
Vndaſque miſcent imber, & fluctus ſuas.
Inferna nox eſt: ipſa ſe claſſis premit,
Et prora proræ nocuit, & lateri latus.
Illam dehiſcens pontus in præceps rapit
Hauritque, & alto redditam reuomit mare.
Hæc onere ſidit: illa conuulſum latus
Submittit vndis: fluctus hanc decimus tegit.

Senec. in Agam. act. 3.

Quaſſans cœruleum genitor caput, æquora fundo
Eruit, & tumidum mouet vltra littora pontum.
Exemplo ventos, imbreſque, è rupe procellas
Concitat Æolias, ac nubibus æthera condit.
Tum penitus telo molitus regna tridenti
Intima, ab occaſu Thetin impellit, & ortu.
Ac totum Oceani turbat caput: æquora ſurgunt
Spumea, & illiſu ſcopulus tremit omnis aquarum.
Primus ſe attollens Naſamonum ſedibus Auſter
Nudauit Syrtim correpta nubilus vnda.
Inſequitur ſublime ferens nigrantibus alis
Abruptum Boreas ponti latus, intonat ater
Diſcordi flatu, & partem rapit æquoris Eurus.
Hinc rupti reboare poli, atque hinc crebra micare
Fulmina, & in claſſem ruere implacabile cœlum.
Conſenſere ignes, nimbique, & fluctus, & ira
Ventorum, noctemque freto impoſuere tenebræ.
Ecce intorta Noto, veniensque à rupe procella
Antennæ immugit, ſtridorque immite rudentum
Sibilat, ac ſimilem monti, nigrante profundo
Ductoris frangit ſuper ora tremantia fluctum. *Et infrà.*
Talia dum memorat diuerſis flatibus acta
In geminum ruit vnda latus, puppimque ſub atris
Æquoris aggeribus tenuit, ceu turbine merſam.
Mox nigris altæ pulſa exundantis arenæ
Vorticibus ratis æthereas remeauit ad auras.
Et fluctus ſupra vento librante pependit.
Ac geminas Notus in ſcopulos, atque horrida ſaxa
Dura ſorte rapit (miſerandum, & triſte) biremes.
Increpuere ictu proræ, tum murice acuto
Diſſiliens ſonuit rupta compage carina.

Sil. Italicus l. 17.

Plura loquuturo ſurgentibus orta procellis
Dira ſuperuenit, tum noctis inhorruit vmbris
Tempeſtas, tumidiſque vias obſedit aquarum.
Montibus, aut imas depreſſit in æquore valles,
Nubila dant imbrem, fluctuſque ad nubila tendit:
Et minus imbre madent puppes, quàm nubila fluctu,
Ipſe aderat pelago cedentibus Africus Auſtris.
Vrgebatque in ſaxa rates; ni Circius algens

Tur-

Turbine nimboſæ glomeraſſet flabra ruinæ:
Inque latus tranſuerſa fremens, ſcopuliſque relictis
Nauita conuerſas egiſſet in alta carinas.
Ventorum nec ſæua duces audire vetabant
Arbitria, incertoque fidem perquirere ponto.
P. Al. Donatus l.9. Conſt.

Mœſta laboriferos vix æthere Cynthia currus
Extulerat; cum viſa notis palleſcere miris
Sidera, ſtellatos vix Luna agnoſcit alumnos,
Et ſobolem timet ipſa ſuam, crudeſcit Orion:
Bina poli furit Vrſa: Canis ferit aſtra latratu:
Solicitatque fugam curru ſtridente Bootes.
Poſt hæc aſtra cadunt: caligine cingitur æther:
Exoritur graue murmur aquis: freta cœca tumeſcunt.
Saxa gemunt ſcopulique. Auſter, Boreaſque, Notuſque
Contorquet mare turbinibus, de ſede reuelli
Cuncta putes elementa. Salo ſe fœderat imber:
Fulgetra cum nebulis confundit lumen. & vmbras,
Cum pelago Styx atra coit. mare, ventus, Olympus,
Fulmina, nox, grando, geminata tonitrua, nubes
Ciuibus heu profugis intentant omnia mortem.
P. Car. de Luca l.9 Dom. Laur.

Mercibus vnda grauis, gaziſque inſanit, & ingens
Ex humero detrectat onus, raucoque ſuſurro
Iraſci primùm diſcit. mox fræna procellis
Laxat, & ad bellum ſtridoribus euocat Euros.
Triſte tonant nubes: coniurant fulmina, & imbres:
Vela tremunt, remique gemunt: labat arbor, & omnis
Nauta pauet, natat vndoſo morſo arida regno.
Vota volant, feriuntque leues vota irrita Ventos.
Iam bibit Oceanum nauis, merceſque profundit,
Naufragiumque inuita vehit, ſpes empta periclis
Fertur aquis: nec diuitijs ſaturata quieſcit
Dira fames pelagi, patefacta vorago carinam
Obruit & nautas. rimas agit illa, dehiſcit,
Et quaſſata ruit. nautas quæ verberat vnda
Tunditur heu gemitu miſerorum è puppe cadentum.
P. Alex. Donatus l.12. Conſt.

Haud ſecus ac miſeram conuulſa per æquora claſſem
Dira procella quatit, ruptos ciet vnda furores,
Fluctibus aſſiliunt fluctus, reuoluta per æſtus
Alta fremunt, crebro laterum compago reſultat
Impete, diſſultat rapidas reſoluta per vndas.
Nauibus impingunt naues, & mutua paſſa
Vulnera, ſubſidunt feſſę: verſumque profundo
Rerum, hominumque onus omne perit, bacchatur ab imis
Euerſi maris ira vadis, voluuntur arenæ
Funditus, inſano feruent freta verſa tumultu.
Si-quà fugam molita ratis, ludibria ventis
Infelix vbi longa dedit, vel in ima profundi

Gur.

Gurgitis, aut triſtem in ſcopulum, aut fatalia fertur
In vada; tum diffracta ruit, vel mergitur vndis,
Vel iacet afflictum latus inclinata ſub æquor.
P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Nec mora, inhorreſcit tumidum mare, cogitur aer:
Nubibus, horrentique diem nox implicat vmbra.
Bacchari furijs venti, vaga fulgura nimbis
Elidi, trepidaſque facem vibrare per vndas,
Horrificumque ſequi tonitru, ruere omnis ab alto,
Et cœlum miſcere mari ſtridentibus æther
Imbribus; attolli cœlo, ſub tartara fundi
Nauis, hiare latus geminum, palleſcere nautæ
Semianimes, raptoque oculos attollere cœlo.
Poſt ea irati ſolum prœludia belli,
Voluere Tritones totum mare, turbine magno
Vndant emerſare toros, coſtaſque carinæ
Frangere, & in laceram fluctus inuergere nauem:
Carbaſa tum lacerare Noti, ruptoſque rudentes
Spargere, & antennas medios iactare per æſtus,
Exitium nox dira premit, vibrantia tantum
Fulgura conuulſæ monſtrant ſua fata carinæ.
Idem ibidem.

Vide ſupra Tit. Conflictus ventorum. Mare turbatum, & inf. Vide Tit. Naufragium.

Mare rubrum duas in partes diuiſum unà cum Ægyptiorum clade.

INterea duro defuncta labore iuuentus
Libera ſeruitio, diuturnis libera vinclis;
Purpurei tandem maris hoſpita littore curuo
Conſtitit, & rubris iam feſſa reſederat vndis,
Hoſtis adeſt, validis qui prælia viribus infert,
Elapſaſque iterum reuocat ſub vincla cohortes,
Sed Moſes iubet in liquido veſtigia fluctu
Ponere, conclamatque fugam per cœrula ponti,
Et virga, diffindit aquas: illæ vndique ſiſtunt
Riparum in faciem, vitreiſque liquoribus altè
Impendent, geminoque viam dant æquore turmis,
Nec minus ingreditur Nili gens aſpera duris
Irritata odijs. Regemque ſecuta furentem
Audet ſe liquidis committere credula ripis,
Tramitibuſque nouis, bifidum quos fecerat æquor,
Ibant præcipiti iam turbine percita fluctus
Agmina per medios, cum gurgite prima ſupremo
Liquitur hinc præceps, hinc altera voluitur vnda;
Voluit equos, voluit currus, confuſa natantum
Voluit tela virum, truncique cadauera membris
P. Iar. Gallutius l. 1. car. 5.

Tum

Tum vallo maris immenſi fuga ſiſtitur, anceps
Quo vergat, quà parte ſalus ſe proxima pandat.
Scilicet à tergo Pharaonis ardor euntes
Inſequitur, iam iamque gradu premit, & fodit haſta.
At Deus increpuit ſurdum mare. conſtitit æquor
Ingenita feritate minus, nutumque Tonantis
Audijt, & medio freta concita diffidit alueo:
Ecce bipartito cedentia clauſtra profundo
Pontus agit, ſuſpendit iter, per & aera librat
Hinc atque inde leues gemino velut aggere fluctus;
Æquoraque exhaurit, longo quantùm orbita ſulco
Pandat aquas populo, cui terras clauſerat hoſtis.
Obſtupuit primò fugientum exercitus, altum
Diſcindi pelagus, barathroque voraginis horret
Ora patere maris, velut exhauſtura morantes.
Sed nouit mox eſſe pium, quod credidit atrox:
Ingreſſuſque viam, qua conſcia ſemita ducit.
Siccà per æquoreos veſtigia ſignat hiatus
Securus pelagi atque ſui; valloque liquorum
Cingitur, & fidas premit immerſabilis vndas.
Interea Peluſiaci furibunda Canopi
Agmina laxatis ad terga vehuntur habenis,
Nacta viam per aperta maris, atque vſa ſecundo
Succedunt pelago iam domitura phalangas.
Cum ſubito implacidum tonuit mare: ſæua rebellat
Vnda ſecuturis, præeuntibus æqua maniplis.
Nec mora: diſciſſus redit ad commercia pontus,
Fœdus habent lymphę, iunctiſque liquoribus implent.
Ora maris patefacta prius, iacet obruta Memphis
Fluctibus in medijs, quam vellet poſſe reuerti!
Sed negat vnda fugam: ruit agmine ſæuus aquarum
Pontus, & à tergo pharijs redeuntibus inſtat.
Diſſiliunt currus, miſeranduque eſſeda ludo
Naufragium in circo faciunt maris. ardor equorum
Obluctatur aquis; ſed tunditur impetus æſtu,
Quadrupedeſque, equiteſque globo inuoluuntur eodem,

P. Vinc. Guiniſius in Program. præfixo carm.

Cœrula vibrata tum percutit æquora virga,
    Percuſſamque loco cedere iuſſit aquam.
Iuſſa receſſit aqua ſicco dare marmora fundo
    Rubra viam iuſſit: iuſſa dedere viam.
Attoniti noua monſtra mari fugiente videmus,
    Qualia nunquam ætas viderat vlla prius
Hinc vitreos, atque hinc vndarum aſſurgere montes,
    Et geminum liquida mole rigere latus.
Hinc ſubitam medio deſcendere in æquore vallem,
    Et planum in ſicca valle patere vadum.
Littora deſerimus: mediumque immenſa per æquor
    Turba trahit ſiccos nocte ſtupente pedes.
Obſtupuit nudata freti vada Memphis aperti
    Et gemini ſtantes aggeris inſtar aquas
Hac abeunt? inquit, capite arma viri, arma: ſequamur.

Ite

Ite citi: è medio gens retrahenda ſalo eſt.
Dixit; & vna omnes iuueneſque, viriquè, ſeneſque,
In mare pars bigis, pars rapiuntur equis.
Iamque propinquabant: cum Moſes nota reuerti
Vndique diuiſas ad vada iuſſit aquas.
Paruit vnda lubens; celerique rotata meatu
Geſtijt in proprios iuſſa redire ſinus,
Obuia tum bijuges inopino vortice currus
Abſtulit, & ſparſos æquore merſit equos.
Quacumque aſpiciunt, acies glomerantur aquarum,
Et pone infelix agmen, & antè premunt
Scuta virûm, criſtæque natant, pictæque Pharetræ,
Et galeæ, & pleno naufraga gaza mari.
P. Iac. Bidermanus l. 1. Heroid. ep. 6.

Horret ad hæc ſubito trepidum mare; rupta profundi
Attonito coit vnda metu: ſouit que frementi
Irruit in Pharaona ferum, gentemque ſecutam
Inuadit, cumuliſque immanibus vndique cinctam.
Obruit: abſorptæ pereunt cum Rege phalanges,
Exhauſtæque latent immenſa ſub alta quadrigæ.
En vt equis confuſa vir: nullo ordine miſcent
Funera, & infami tumulant inhonora ſepulcro.
Diffracti ſuper hæc currus, iunctique iugales
Curribus, irati crudelis nauſea ponti.
Ora virûm contrita rotis, & viſcera partim
Fuſa mari, & ruptam partim conſtricta ſub aluum.
Turbida quàm rerum facies! en ardua fluctu
Hic iuga, pendenteſque alto temone quadrigas
Monte furentis aquæ rupto: hìc abſorpta profundo
Agmine, ſublimes viden' eructata ſub vndas.
P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Videndus etiam P. Ant. Millieus, qui l. 5. Moyſ. Viat. rem totam vberrimè deſcribit.

Maris acceſſus, & receſſus.

QValis vbi alterno procurrens gurgite pontus
Nunc ruit ad terras, ſcopuloſque ſuper iacit vndam
Spumeus, extremamque ſinu perfundit arenam:
Nunc rapidus retrò, atque æſtu reuoluta reſorbens
Saxa, fugit, littuſque vado labente relinquit.
Virg. l. 1. Æn.

Quaque iacet littus dubium, quod terra fretumque
Vindicat, alternis vicibus cum funditur ingens
Oceanus, vel cum refugis ſe fluctibus aufert.
Ventus ab extremo pelagus ſic axe volutet,
Deſtituatque ferens: an ſidere mota ſecundo
Thethyos vnda vagæ lunaribus æſtuet horis:
Flammiger an Titan vt alentes hauriat vndas

Erigat Oceanum: fluctuſque ad ſidera tollat:
Quærite quos agitat mundi labor.

Lucanus l. 1.

Vel luna librante ſalum, ceu tollitur ingens
Oceanus, ſiue ipſe ſuis ſe ſponte volutans
Gurgitibus ſalſos afflat ſuper obuia fontes
Flumina, deſerteque plagas abſcondat arenę
Procurrens, ſyrteſque operit refluentibus vndis:
Vę quibus incautis alludens defluit ęquor,
Et teretes offert nudato littore conchas;
Mox refluo premet vnda ſequax veſtigia ponto,
Currentumque ſuper rapido ingruet ęquore terga.

P. Ant. Milieus l. 14. Moyſ. Viat. to. 2.

Diluuium.

Vtque manu latè pendentia nubila preſſit
Fit fragor, & denſi funduntur ab ęthere nimbi,
Sternuntur ſegetes, & deplorata colonis
Vota iacent, longique perit labor improbus anni.
Nec cœlo contenta ſuo eſt Iouis ira, ſed illum
Cœruleus frater iuuat auxiliaribus vndis.
Conuocat hic amnes, ac fontibus ora relaxat,
Et defrænato voluuntur in æquora curſu.
Ipſe tridente ſuo terram percuſſit: at illa
Intremuit, motuque vias patefecit aquarum.
Expatiata ruunt per aperto, flumina campos,
Cumque ſatis armenta ſimul, pecudeſque, viroſque
Tectaque, cumque ſuis rapiunt penetralia ſacris.
Si qua domus manſit, potuitque reſiſtere tanto
Indeiecta malo, culmen tamen altior huius
Vnda tegit, preſſæque latent ſub gurgite turres.
Iamque mare, & tellus nullum diſcrimen habebant:
Omnia pontus erant, deerant quoque littora ponto,
Occupat hic collem, cimba ſedet alter adunca:
Et ducit remos illic, vbi nuper ararat.
Ille ſuper ſegetes, aut merſæ culmina villæ
Nauigat: hic ſumma piſcem deprendit in vlmo.
Figitur in viridi (ſic ſors tulit) anchora prato,
Aut ſubiecta terunt curvæ vineta carinæ:
Et modò quà graciles gramen carpſere capellæ,
Nunc ibi deformes ponunt ſua corpora phocæ.
Obruerat tumulos immenſa licentia ponti,
Pulſabantque novi montana cacumina fluctus.

Ouidius l. 1. met.

Tunc Pater omnipotens mores exoſus iniquos
Humanum largo perdidit imbre genus.
Scilicet Æolijs Auſtrum deducit ab antris.
Et qui conſtipant nubila nigra Notos.
Terribili totum inuoluit caligine mundum,
Et pluuiæ ventis agglomerantur aquæ.

Mer-

Caſpia ſtagna iacent: Ægeo murmure Thracum
Regna ſonant: Helle Euxinum ſe ſe abdit in æquor,
Boſphorus in Tanaim: vaſtas longinqua paludes
Mæotis bibit, & Boreales Baltica fines
Littora, concluſumque alibi Scritofinia potat
Oceanum, & longis damnatus Lappo tenebris.

Barlaus Heroic. l. 1.

Mare tranquillum.

INde vbi prima fides pelago, placataque venti.
Dant maria, & lenis crepitans vocat Auſter in altum.

Virgilius l. 3. Æn.

Hinc aura primò lenis impellit rates
Allapſa velis, vnda vix tactu leuis
Tranquilla zephyri mollis afflatu tremit,
Splendetque claſſe pelagus, & pariter latet,
Properat iuuentus omnis adductos ſimul
Lentare remos: adiuuat ventos manu,
Et valida nixu brachia alterno mouet,
Sulcata vibrant æquora, & latera increpant,
Dirimuntque canæ cærulum ſpumæ mare.

Seneca in Agam. ac. 3.

Maris malacia.

VT primum lenior propellere lintea ventus
Incipit, exiguumque tument: mox reddita malo
In mediam cecidere ratem: terraque relicta
Non valet ipſa ſequi puppes, quæ vexerat aura.
Æquora lenta iacent alto torpore ligata:
Pigrius immotis hæſere paludibus vndæ.
Sic ſtat iners ſcythicas adſtringens Boſphorus vndas,
Cùm glacie retinente fretum non impulit Iſter,
Immenſumque gelu tegitur mare, comprimit vnda
Deprendit quaſcumque rates: nec peruia velis
Æquora frangit eques, fluctuque latente ſonantem
Orbita migranti pendit Mæotida Beſſi.
Sæua quies pelagi, mæſtoque ignaua profundo
Stagna iacentis aquæ: veluti deſerta rigente
Æquora natura ceſſant, pontuſque vetuſtas
Oblitus ſeruare vices, non commeat æſtu,
Non horrore tremit, non ſolis imagine vibrat.
Caſibus innumeris fixæ patuere carinæ:
Illinc infectæ claſſes & inertia tonſis
Æquora moturæ grauis hinc languore profundi
Obſeſſis ventura fames: noua vota timori
Sunt inuenta nouo, fluctus, nimiaſque precari
Ventorum vires, dum ſe torpentibus vnda
Excutiat ſtagnis, & ſit mare, nubila nuſquam
Vndarumque minæ: cœlo languente, fretoque
Naufragij ſpes omnis abit.

Lucanus l. 5.

Mare turbatum.

QVantum Leucadio placidus de vertice pontus
Deſpicitur, tantum nautæ videre trementes
Fluctibus è ſummis præceps mare: cumque tumentes
Rurſus hiant vndæ, vix eminet æquore malus.
Nubila tanguntur velis, & terra carina:
Nam pelagus, qua parte ſedet, non celat arenam
Exhauſtum in cumulos, omniſque in fluctibus vnda eſt.
Artis opem vicere metus, neſcitque magiſter
Quam frangat, cui cedat aquæ. diſcordia ponti
Succurrit miſeris, fluctuſque euertere puppim
Non valet: in fluctus victum latus vnda repellens
Erigit, atque omni ſurgit ratis ardua vento.

Lucanus l. 5.

Non illum Oceani rapidæ videre procellæ
Altercantem animo curas, aut mole trementem:
Quamquam abrupta freto trepidantem aſſultat olympum
Tempeſtas, ſæuitque minis immane profundum.
Illum inter pelagi fremitus, cœlique ruinas
Naufrago quamuis fluitantem errore carinæ,
Et trepido nullos ſperantem à remige portus
Illibata quies, & amicis conſcia Diuis
Spes animat, dubiiſque vetat ſuccumbere curis.

P. Fulchbarelius l. 1 car. 7.

Spumeus ecce fremor, turgentque ſonantia longè
Æquora, & vndoſo miſcentur murmure fluctus,
Non Auſter, non Caurus adeſt tamen omnis ab imis
Æſtuat vnda vadis, cœloque elata profundos
Mox aperit manes, puppimque in tartara condit.
Mirantur nautæ per lenta ſilentia cœli
Turbine cur tanto pontus ruat. alta dehiſcunt
Iam ruptæ tabulata ratis, lacerataque vela
Maloſque, antennaſque vorant in gurgite fluctus.

P. Alex. Donatus l. 1. car. 11.

Tempeſtas maritima.

INcubuere mari, totumque à ſedibus imis
Vnà Eurusque, Notuſque ruunt, creberque procellis
Africus, & vaſtos voluunt ad ſidera fluctus.
Inſequitur clamorque virum, ſtridorque rudentum:
Eripiunt ſubito nubes cœlumque, diemque
Teucrorum ex oculis: ponto nox incubat atra:
Intonuere poli, & crebris micat ignibus æther,
Præſentemque viris intentant omnia mortem. *Et inf.*
Talia iactanti ſtridens Aquilone procella
Velum aduerſa ferit, fluctuſque ad ſidera tollit,
Franguntur remi: tum prora auertit, & vndis
Dat latus: inſequitur cumulo præruptus aquæ mons,
Hi ſummo in fluctu pendent, his vnda dehiſcens

F 6 Ter-

Terram inter fluctus aperit, furit æſtus arenis.
Tres Notus abreptas in ſaxa latentia torquet:
Saxa vocant Itali, medijs quę in fluctibus Aras
Dorſum immane mari ſummo. tres Eurus ab alto
In breuia, & Syrtes vrget (miſerabile viſu)
Illiditque vadis, atque aggere cingit arenæ.
Vnam quæ Lycios, fidumque vehebat Orontem,
Ipſius ante oculos ingens à verrice pondus
In puppim ferit: excutitur, pronuſque magiſter
Voluitur in caput, aſt illam ter fluctus ibidem
Torquet agens circum, & rapidus vorat æquore vortex.
Apparent rari nantes in gurgite vaſto,
Arma virùm, tabulęque, & Troia gaza per vndas.

Virg. l. 1. Æn.

Poſtquam altum tenuere rates, nec iam ampliùs vllæ
Apparent terrę, cœlum vndique, & vndique pontus:
Tum mihi cęruleus ſupra caput adſtitit imber
Noctem, hyememque ferens, & inhorruit vnda tenebris.
Continuò venti voluunt mare, magnaque ſurgunt
Æquora: diſperſi iactamur gurgite vaſto.
Inuoluere diem nimbi, & nox humida cœlum
Abſtulit; ingeminant abruptis nubibus ignes.
Excutimur curſu & cœcis erramus in vndis.
Ipſe diem, noctemque negat diſcernere cœlo,
Nec meminiſſe vię media Palinurus in vnda.
Tres adeo incertos cœca caligine ſoles
Erramus pelago, totidem ſine ſidere noctes.

Idem l. 2. Æn.

Aſpera creſcit hyems omnique è parte feroces
Bella gerunt venti, fretaque indignantia miſcent. *Et inf.*
Quippe ſonant clamore viri, ſtridore rudentes,
Vndarum incurſu grauis vnda, tonitribus æther.
Fluctibus erigitur, cœlumque ęquare videtur
Pontus, & inductas aſpergine tangere nubes.
Vt modo cum fuluas ex imo vertit arenas,
Concolor eſt illis, Stygia modò nigrior vnda.
Sternitur interdum, ſpumiſque ſonantibus albet.
Ipſa quoque his agitur vicibus Trachinia puppis
Et nunc ſublimis veluti de vertice montis
Deſpicere in valles, imumque Acheronta videtur:
Nunc vbi demiſſum curuum circumſtetit ęquor,
Suſpicere inferno ſummum de gurgite cœlum.
Sępe dat ingentem fluctu latus icta fragorem:
Nec leuius pulſata ſonat, quàm ferreus olim
Cum laceras aries, balliſtaue concutit arces.
Sic vbi ſe ventis commiſerat vnda coortis
Ibat in aſtra ratis, multoque erat altior illis.
Iamque labant cunei, ſpoliataque tegmine ceræ
Rima patet, pręberque viam lethalibus vndis.

Quidius l. 11. met.

Me miſerum, quanti montes voluuntur aquarum:
Iam iam tacturos ſidera ſumma putes.
Quantæ diducto ſubſidunt æquore valles:
Iam iam tacturas tartara nigra putes:
Quodcumque aſpicio, nihil eſt niſi pontus, & æther:
Fluctibus hic tumidus, nubibus ille minax.
Inter vtrumque fremunt immani immurmure venti:
Neſcit cui domino pareat vnda maris.
Nam modò purpureo vires capit Eurus ab ortu:
Nunc zephyrus ſero veſpere miſſus adeſt:
Nunc gelidus ſicca Boreas bacchatur ab arcto:
Nunc Notus aduerſa prælia fronte gerit.
Hei mihi quàm celeri micuerunt nubila flamma:
Quantus ab æthereo perſonat axe fragor.
Nec leuius laterum tabulæ feriuntur ab vndis.
Quàm graue balliſtæ mœnia pulſat onus.
Qui venit hic fluctus, fluctus ſupereminet omnes:
Poſterior nono eſt, vndecimoque prior.

Ouid. l. 1. Triſt. el. 2.

Iamque aberant terris, quantum Gortynia currunt
Spicula; cœruleo grauidam cum Iuppiter imbri
Ipſa ſuper nubem ratis armamenta pelaſgę
Siſtit agens. inde horror aquis, & raptus ab omni
Sole dies miſcet tenebras, queis protinus vnda
Concolor: obnixi lacerant caua nubila venti,
Diripiuntque fretum: nigris redit humida tellus
Vorticibus, totumque Notis portantibus æquor
Pendet, & æquato iam prope ſidera dorſo
Frangitur incertæ iam nec prior impetus alno,
Sed labat: extantem roſtris modò gurgite in imo,
Nunc cœlo Tritona ferens, nec robora proſunt
Semideum heroum, puppemque inſana flagellat
Arbor, & inſtabili procumbens pondere curuas
Raptat aquas, remique cadunt in pectus inanes.

Statius l. 5. Theb.

Cum Luna ſubito conditur, ſtellę latent,
In aſtra pontus tollitur, cœlum perit.
Nec vna nox eſt: denſa tenebras obruit
Caligo, & omni luce ſubducta fretum
Cœlumque miſcet: vndique incumbunt ſimul
Rapiuntque pelagus infimo euerſum ſolo,
Aduerſus Euro zephyrus, & Boreę Notus.
Sua quiſque mittunt tela, & infeſti fretum
Emoliuntur, turbo conuoluit mare.
Strymonius altas Aquilo contorquet niues,
Libycuſque arenas Auſter ad Syrtes agit:
Nec manet in Auſtro: fit granis nimbis Notus,
Imbre auget vndas: Eurus Orientem mouet
Nabathæa quatiens regna, & Eoos ſinus.
Mundum reuelli ſedibus totum ſuis,
Ipſoſque rupto crederes cœlo Deos

De-

Decidere, & artum rebus induci chaos.
Vento reſiſt t æſtus, & ventus retro
Æſtum reuoluit. non capit ſe ſe mare:
Vndaſque miſcent imber, & fluctus ſuas.
Inferna nox eſt: ipſa ſe claſſis premit,
Et prora proræ nocuit, & lateri latus.
Illam dehiſcens pontus in præceps rapit
Hauritque, & alto redditam reuomit mare.
Hæc onere ſidit: illa conuulſum latus
Submittit vndis: fluctus hanc decimus tegit.

Senec. in Agam. act. 3.

Quaſſans cœruleum genitor caput, æquora fundo
Eruit, & tumidum mouet vltra littora pontum.
Exemplo ventos, imbreſque, è rupe procellas
Concitat Æolias, ac nubibus æthera condit.
Tum penitus telo molitus regna tridenti
Intima, ab occaſu Thetin impellit, & ortu.
Ac totum Oceani turbat caput: æquora ſurgunt
Spumea, & illiſis ſcopulus tremit omnis aquarum.
Primus ſe attollens Naſamonum ſedibus Auſter
Nudauit Syrtim correpta nubilus vnda.
Inſequitur ſublime ferens nigrantibus alis
Abruptum Boreas ponti latus, intonat ater
Diſcordi flatu, & partem rapit æquoris Eurus.
Hinc rupti reboare poli, atque hinc crebra micare
Fulmina, & in claſſem ruere implacabile cœlum.
Conſenſere ignes, nimbique, & fluctus, & ira
Ventorum, noctemque freto impoſuere tenebræ.
Ecce intorta Noto, venienſque à rupe procella
Antennæ immugit, ſtridorque immite rudentum
Sibilat, ac ſimilem monti, nigrante profundo
Ductoris frangit ſuper ora tremantia fluctum. *Et infrà.*
Talia dum memorat diuerſis flatibus acta
In geminum ruit vnda latus, puppinque ſub atris
Æquoris aggeribus tenuit, ceu turbine merſam.
Mox nigris altæ pulſa exundantis arenæ
Verticibus ratis æthereas remeauit ad auras,
Et fluctus ſupra vento librante pependit.
Ac geminas Notus in ſcopulos, atque horrida ſaxa
Dura ſorte rapit (miſerandum, & triſte) biremes.
Increpuere ictu proræ, tum murice acuto
Diſſiliens ſonuit rupta compage carina.

Sil. Italicus l. 17.

Plura loquuturo ſurgentibus orta procellis
Dira ſuperuenit, tum noctis inhorruit vmbris
Tempeſtas, tumidiſque vias obſedit aquarum
Montibus aut imas depreſſit in æquore valles,
Nubila dant imbrem, fluctuſque ad nubila tendit:
Et minus imbre madent puppes, quàm nubila fluctu,
Ipſe aderat pelago cedentibus Africus Auſtris.
Vrgebatque in ſaxa rates; ni Circius algens

Tur-

Turbine nimboſæ glomeraſſet flabra ruinæ:
'nque latus tranſuerſa fremens, ſcopuliſque relictis
Nauita conuerſas egiſſet in alta carinas.
Ventorum nec ſæua duces audire vetabant
Arbitria, incertoque fidem perquirere ponto.
P. Al. Donatus l. 9. Conſt.

Mœſta laboriferos vix æthere Cynthia currus
Extulerat; cum viſa notis pallefcere miris
Sidera, ſtellatos vix Luna agnoſcit alumnos,
Et ſobolem timet ipſa ſuam, crudeſcit Orion:
Bina poli furit Vrſa: Canis ferit aſtra latratu:
Soliciratque fugam curru ſtridente Bootes.
Poſt hæc aſtra cadunt: caligine cingitur æther:
Exoritur graue murmur aquis: freta cœca tumeſcunt.
Saxa gemunt ſcopuliſque. Auſter, Boreaſque, Notuſque
Contorquet mare turbinibus, de ſede reuelli
Cuncta putes elementa. Salo ſe fœderat imber:
Fulgetra cum nebulis confundit lumen. & vmbras,
Cum pelago Styx atra coit. mare, ventus, Olympus,
Fulmina, nox, grando, geminata tonitrua, nubes
Ciuibus heu profugis intentant omnia mortem.
P. Car. de Luca l. 9 Dom. I aut.

Mercibus vnda grauis, gaziſque inſanit, & ingens
Ex humero detrectat onus, raucoque ſuſurro
Faſci primùm diſcit. mox fræna procellis
Laxat, & ad bellum ſtridoribus euocat Euros.
Triſte tonant nubes: coniurant fulmina, & imbres:
Vela tremunt, remique gemunt: labat arbor, & omnis
Nauta pauet, natat vndoſo morſo arida regno.
Vota volant, feriuntque leues vota irrita Ventos.
Iam bibit Oceanum nauis, merceſque profundit,
Naufragiumque inuita vehit, ſpes empta periclis
Fertur aquis: nec diuitijs ſaturata quieſcit
Dira fames pelagi, patefacta vorago carinam
Obruit & nautas. rimas agit illa, dehiſcit,
Et quaſſata ruit. nautas quæ verberat vnda
Funditur heu gemitu miſerorum è puppe cadentum.
P. Alex. Donatus l. 12. Conſt.

Haud ſecus ac miſeram conuulſa per æquora claſſem
Dira procella quatit, ruptos ciet vnda furores,
Fluctibus aſſiliunt fluctus, reuoluta per æſtus
Alta fremunt, crebro laterum compago reſultat
Impete, diſſultat rapidas reſoluta per vndas.
Nauibus impingunt naues, & mutua paſſa
Vulnera, ſubſidunt feſſe: verſumque profundo
Rerum, hominumque onus omne perit, bacchatur ab imis
Euerſi maris ira vadis, voluuntur arenæ
Funditus, inſano feruent freta verſa tumultu.
Si-quà fugam molita ratis, ludibria ventis
Infelix vbi longa dedit, vel in ima profundi
Gur.

Gurgitis, aut triſtem in ſcopulum, aut fatalia fertur
In vada; tum diffracta ruit, vel mergitur vndis,
Vel iacet afflictum latus inclinata ſub æquor.
P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Nec mora, inhorreſcit tumidum mare, cogitur aer:
Nubibus, horrentique diem nox implicat vmbra.
Bacchari furijs venti, vaga fulgura nimbis
Elidi, trepidaſque facem vibrare per vndas,
Horrificumque ſequi tonitru, ruere omnis ab alto,
Et cœlum miſcere mari ſtridentibus æther
Imbribus; attolli cœlo, ſub tartara fundi
Nauis, hiare latus geminum, palleſcere nautæ
Semianimes, raptoque oculos attollere cœlo.
Poſt ea iurati ſolum præludia belli,
Voluere Tritones totum mare, turbine magno
Vndant emerſare toros, coſtaſque carinæ
Frangere, & in laceram fluctus inuergere nauem:
Carbaſa tum lacerare Noti, ruptoſque rudentes
Spargere, & antennas medios iactare per æſtus,
Exitium nox dira premit, vibrantia tantum
Fulgura conuulſæ monſtrant ſua fata carinæ.
Idem ibidem.

Vide ſupra Tit. Conflictus ventorum. Mare turbatum, &
inf. Vide Tit. Naufragium.

Mare rubrum duas in partes diuiſum vnà cum Ægyptiorum clade.

INterea duro defuncta labore iuuentus
Libera ſeruitio, diuturnis libera vinclis;
Purpurei tandem maris hoſpita littore curuo
Conſtitit, & rubris iam feſſa reſederat vndis,
Hoſtis adeſt, validis qui prælia viribus infert,
Elapſaſque iterum reuocat ſub vincla cohortes,
Sed Moſes iubet in liquido veſtigia fluctu
Ponere, conclamatque fugam per cœrula ponti,
Et virga, diffiudit aquas: illæ vndique ſiſtunt
Riparum in faciem, vitreiſque liquoribus altè
Impendent, geminoque viam dant æquore turmis,
Nec minus ingreditur Nili gens aſpera duris
Irritata odijs. Regemque ſecuta furentem
Audet ſe liquidis committere credula ripis,
Tramitibuſque nouis, bifidum quos fecerat æquor,
Ibant præcipiti iam turbine percita fluctus
Agmina per medios, cum gurgite prima ſupremo
Liquitur hinc præceps, hinc altera voluitur vnda;
Voluit equos, voluit currus, confuſa natantum
Voluit tela virum, trunciſque cadauera membris.
P. Iar. Gallutius l. 1. car. 5.

Tum

Tum vallo maris immenſi fuga ſiſtitur, anceps
Quo vergat, quà parte ſalus ſe proxima pandat.
Scilicet à tergo Pharaonis ardor euntes
Inſequitur, iam iamque gradu premit, & fodit haſta.
At Deus increpuit ſurdum mare. conſtitit æquor
Ingenita feritate minus, nutumque Tonantis
Audijt, & medio freta concita diffidit alueo:
Ecce bipartito cedentia clauſtra profundo
Pontus agit, ſuſpendit iter, per & aera librat
Hinc atque inde leues gemino velut aggere fluctus;
Æquoraque exhaurit, longo quantùm orbita ſulco
Pandat aquas populo, cui terras clauſerat hoſtis.
Obſtupuit primò fugientum exercitus, altum
Diſcindi pelagus, barathroque voraginis horret
Ora patere maris, velut exhauſtura morantes.
Sed nouit mox eſſe pium, quod credidit atrox:
Ingreſſuſque viam, qua conſcia ſemita ducit.
Siccà per æquoreos veſtigia ſignat hiatus
Securus pelagi atque ſui; valloque liquorum
Cingitur, & fidas premit immerſabilis vndas.
Interea Peluſiaci furibunda Canopi
Agmina laxatis ad terga vehuntur habenis,
Nacta viam per aperta maris, atque vſa ſecundo
Succedunt pelago iam domitura phalangas.
Cum ſubito implacidum tonuit mare: ſæua rebellat
Vnda ſecuturis, præeuntibus æqua maniplis.
Nec mora: diſciſſus redit ad commercia pontus,
Fœdus habent lymphę, iunctiſque liquòribus implent
Ora maris patefacta prius, iacet obruta Memphis
Fluctibus in medijs, quam vellet poſſe reuerti!
Sed negat vnda fugam: ruit agmine ſæuus aquarum
Pontus, & à tergo pharijs redeuntibus inſtat.
Diſſiliunt currus, miſeranduque eſſeda ludo
Naufragium in circo faciunt maris. ardor equorum
Obluctatur aquis; ſed tunditur impetus æſtu,
Quadrupedeſque, equiteſque globo inuoluuntur eodem,
P. Vinc. Guiniſius in Program. præfixo carm.

Cœrula vibrata tum percutit æquora virga,
Perculſamque loco cedere iuſſit aquam.
Iuſſa receſſit aqua ſicco dare marmora fundo
Rubra viam iuſſit: iuſſa dedere viam.
Attoniti noua monſtra mari fugiente videmus,
Qualia nunquam ætas viderat vlla prius
Hinc vitreos, atque hinc vndarum aſſurgere montes,
Et geminum liquida mole rigere latus.
Hinc ſubitam medio deſcendere in æquore vallem,
Et planum in ſicca valle patere vadum.
Littora deſerimus: mediumque immenſa per æquor
Turba trahit ſiccos nocte ſtupente pedes.
Obſtupuit nudata freti vada Memphis aperti
Et gemini ſtantes aggeris inſtar aquas
Hac abeunt? inquit, capite arma viri, arma: ſequamur.

Ite

Ite citi : è medio gens retrahenda ſalo eſt.
Dixit ; & vna omnes iuueneſque, virique, ſeneſque,
In mare pars bigis, pars rapiuntur equis.
Iamque propinquabant : cum Moſes nota reuerti
Vndique diuiſas ad vada iuſſit aquas.
Paruit vnda lubens ; celerique rotata meatu
Geſtijt in proprios iuſſa redire ſinus,
Obuia tum bijuges inopino vortice currus
Abſtulit, & ſparſos æquore merſit equos.
Quacumque aſpiciunt, acies glomerantur aquarum,
Et ponè infelix agmen, & antè premunt
Scuta virûm, criſtæque natant, pictæque Pharetræ,
Et galeæ, & pleno naufraga gaza mari.
P. Iac. Bidermanus l. 1. Heroid. ep. 6.

Horret ad hæc ſubito trepidum mare ; rupta profundi
Attonito coit vnda metu : ſonit que frementi
Irruit in Pharaona ferum, gentemque ſecutam
Inuadit, cumuliſque immanibus vndique cinctam.
Obruit : abſorptæ pereunt cum Rege phalanges,
Exhauſtæque latent immenſa ſub alta quadrigæ.
En vt equis confuſa vir: nullo ordine miſcent
Funera, & infami tumulant inhonora ſepulcro.
Diffracti ſuper hæc currus, iunctique iugales
Curribus, irati crudelis nauſea ponti.
Ora virûm contrita rotis, & viſcera partim
Fuſa mari, & ruptam partim conſtricta ſub aluum.
Turbida quàm rerum facies ! en ardua fluctu
Hic iuga, pendenteſque alto temone quadrigas
Monte furentis aquæ rupto : hìc abſorpta profundo
Agmine, ſublimes viden' eructata ſub vndas.
P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Videndus etiam P. Ant. Millieus, qui l. 5. Moyſ. Viat. rem totam vberrimè deſcribit.

Maris acceſſus, & receſſus.

QValis vbi alterno procurrens gurgite pontus
Nunc ruit ad terras, ſcopuloſque ſuper iacit vndam
Spumeus, extremamque ſinu perfundit arenam :
Nunc rapidus retrò, atque æſtu reuoluta reſorbens
Saxa, fugit, littuſque vado labente relinquit.
Virg. l. 1. Æn.

Quaque iacet littus dubium, quod terra fretumque
Vindicat, alternis vicibus cum funditur ingens
Oceanus, vel cum refugis ſe fluctibus aufert.
Ventus ab extremo pelagus ſic axe voluret,
Deſtituatque ferens : an ſidere mota ſecundo
Thethyos vnda vagæ lunaribus æſtuet horis :
Flammiger an Titan vt alentes hauriat vndas

Eri-

Erigat Oceanum: fluctuſque ad ſidera tollat:
Quęrite quos agitat mundi labor.

Lucanus l. 1.

Vel luna librante ſalum, ceu tollitur ingens
Oceanus, ſiue ipſe ſuis ſe ſponte volutans
Gurgitibus ſalſos afflat ſuper obuia fontes
Flumina, deſerteque plagas abſcondat arenę
Procurrens, ſyrteſque operit refluentibus vndis:
Vę quibus incautis alludens defluit ęquor,
Et teretes offert nudato litore conchas;
Mox refluo premet vnda ſequax veſtigia ponto,
Currentumque ſuper rapido ingruet ęquore terga.

P. Ant. Milieus l. 14. Moyſ. Viat. to. 2.

Diluuium.

VTque manu latè pendentia nubila preſſit
Fit fragor, & denſi funduntur ab ęthere nimbi;
Sternuntur ſegete, & deplorata colonis
Vota iacent, longique perit labor improbus anni.
Nec cœlo contenta ſuo eſt Iouis ira, ſed illum
Cœruleus frater iuuat auxiliaribus vndis.
Conuocat hic amnes, ac fontibus ora relaxat,
Et defrænato voluntur in æquora curſu.
Ipſe tridente ſuo terram percuſſit: at illa
Intremuit, motuque vias patefecit aquarum.
Expatiata ruunt per aperto, flumina campos,
Cumque ſatis armenta ſimul, pecudeſque, viroſque
Tectaque, cumque ſuis rapiunt penetralia ſacris.
Si qua domus manſit, potuitque reſiſtere tanto
Indeiecta malo, culmen tamen altior huius
Vnda tegit, preſſæque latent ſub gurgite turres.
Iamque mare, & tellus nullum diſcrimen habebant;
Omnia pontus erant, deerant quoque littora ponto,
Occupat hic collem, cimba ſedet alter adunca:
Et ducit remos illic, vbi nuper ararat.
Ille ſuper ſegetes, aut merſæ culmina villæ
Nauigat: hic ſumma piſcem deprendit in vlmo.
Figitur in viridi (ſic ſors tulit) anchora prato,
Aut ſubiecta terunt curvæ vineta carinæ:
Et modò quà graciles gramen carpſere capellæ,
Nunc ibi deformes ponunt ſua corpora phocæ.
Obruerat tumulos immenſa licentia ponti,
Pulſabantque novi montana cacumina fluctus.

Ouidius l. 1. met.

Nunc Pater omnipotens mores exoſus iniquos
Humanum largo perdidit imbre genus.
Scilicet Æolejs Auſtrum deducit ab antris.
Et qui conſtipant nubila nigra Notos.
Terribili totum inuoluit caligine mundum,
Et pluuiæ ventis agglomerantur aquæ.

Mer-

Merguntur ſegetes, merguntur condita ſulcis
Semina, & agricolæ vota ſepulta iacent.
Omnia ſunt pontus: turreſque ſub amne latentes
Dicuntur grauidas ſuſtinuiſſe rates.
Humida gens pelagi ſumma conſedit in vlmo,
Quæ fuerat volucri cognita ſola domus.
Et defrænato nabant ſuper æquore damę,
Et ſuper effuſo flumine nabat equus.
P.Tarq.Gallutius l.2. el.19.

.... Media ecce fragores
Horrendos de nocte: poli porta omnis vtroque
Axe tonat, telluſque ſono concuſſa remugit.
Excuſſique ſuis fontes, & flumina ripis,
Littoribuſque mare elato iam gurgite ſpumant.
Ceu ſpecubus venti ſubeant, & flamma fluctus
Eijciant illapſa cauis, frœniſque ſolutos.
Ire foras vadis iubeant ſpumantibus amnes.
Ac ſimul emiſſi rumpuntur nubibus imbres:
Continuique ſonant tectis, neque nubila tanto
Fluxu exhauſta cadunt; ipſum ſe in nubila cœlum
Infundit, grauidaſque fouet denſo aere nubes,
Perpetuatque hiemem nimbis, & Pleiadas auget. *Et inf.*
Vt totam tenuit lucem fœda imbribus atris
Eluuies, lucemque ſequens nox horrida nimbis
Auxit aquas, & iam poſitos ſuperantia fines
Flumina, torrenteſque ſonant, tectiſque minantes
Excidium, ac ruptis vrbes iam molibus intrant:
Tum vero audiri gemitus, dirique timentum
Clamores, rurſumque inopes, inopeſque regreſſus.
Queis fuga non tentata modis? pars ſcandere tecta,
Principio: pars in celſos contendere montes.
Sed iam tecta vadis, aut fluctu auulſa feruntur,
Aut inſtantem vndis metuunt labefacta ruinam,
Conueniunt miſtæque feræ, laſſæque volucres
Montibus, & quo quemque tulit fortuna, vel audax
Conſilium, inuenere famem, quæ triſtior ipſis
Naufragijs: membra areſcunt immania tabe,
Aut gelido concuſſa metu. iam flumina curſus
Amiſere ſuos, aut tantum ad ſidera ſurgunt.
Iam ſine littoribus furit æquor, & omnia pontus.
P.Ant.Millieus l.2.Moyſ.Viat.

Tunc ſubitus cœlo inſonuit fragor: horruit æther,
Extinxitque ſuam territa Luna facem.
Murmure bacchantur tragico per inania venti,
Aereque in toto prælia miſcet hyems:
Iam diuulſa volant tectorum fragmina, & altas
Quaſſat inaudito terra tremore domos.
Iam validæ quercus, & nubibus æqua cupreſſus
Præcipites nemorum ſtrage ſequente cadunt.
Diffugiunt armenta loco; pecoriſque magiſtri
Incuſtoditos deſeruere greges.

Hæc

Hæc vbi prima mali trepidam præludia noctem
Non intermiſſo diſtinuere metu:
Ecce dies, ſed enim quid nomine abutimur iſto?
Triſtior æternis noctibus, ecce dies.
Illa ſuo ſine Sole dies exorta, nigrantes
Deſuper ex omni nube profudit aquas.
Nec tamen imber erat, qualis cum ſæpe coortus
Vitiferos Auſter depopulatur agros:
Sed noua nimborum rabies, noua grandinis ira,
Et facies cœli tota ruentis erat.
Vrget enim, & plenas alternat Aquarius vrnas.
Dum requiem feſſis nubibus vnda negat.
Omnia conſpirant elementa; ſuamque grauatis
Nubibus & riuus mittit & amnis opem,
Ipſi etiam fontes, & ſtagna ignota, paludes,
Quoſque colit maior fama, minorque lacus,
Ante alios omnes circumdata littora pontus
Tranſilit immenſis expatiatus aquis.
Ille cauas primo ſubigit conamine valles:
Impete mox alio plana per arua ruit.
Mox modicos tentat creſcenti gurgite colles,
Et videt in regno tecta natare ſuo.
Tum verò trepidare metu, feramque ſalutem
Improba per feras turba vocare preces.
Atque alios ad ſumma domus faſtigia raptos
Continua ad ſumma eſt lympha ſecuta domum.
Tranſcendunt alij turreſque, arceſque, ſed iſtis
Non minor, atque illis altior vnda fuit.
Vltima reſtabant miſeris ſolatia montes
Aſtra ſuis feriunt qui propiora iugis.
Huc iter affectant: ſobolem hac trahit anxia mater,
Decrepitumque ferunt hac pia terga patrem.
Huc madida coniux cum coniuge tendit: aſylum
Huc properat fratres inter habere ſoror
Hæc eadem ſibi caſtra feræ pecudeſque capeſſunt.
Heu! caſtra inuito nil valitura Deo.

P. Iac. Bidermanus l. 1. Heroid. ep. 4.

Namque dum tota pereunte terra
Vnicum merſus foret æquor orbis:
Cuncta dum magnus fierent nouarum
Campus aquarum:
Tunc per excelſos nemorum receſſus
Hic & hinc ſparſæ iacuere Phocæ.
Tunc Thetis lætos ſtupuit ſub alto
Æquore campos.
Hic ſuos alter ſinuaſſe remos,
Et repentinas agitaſſe cymbas
Dicitur curuis vbi nuper arua
Torſit aratris.
Nulla frenatum cohibere pontum
Rima dimotis potuit fluentis:

Nul-

Nulla diſperſos poterant domaſſe
Littora fluctus.
Hic vbi celſis propior planetis
Hæmus aſſurgit, madido procellæ
Hæſerant limo, veterique maior
Nereus alveo.

P. Alb. Ines cent. 1. Ode 55.

Hinc ea tum triſtis quam cernis imago.
Cum ruit in pluuias æther, cœlumque refuſas
Emiſit, quibus vndat, aquas; cum terra profundis
Gurgitibus diſcluſa ſinum, recluſit hiatus
Immanes, patuliſque ingentes faucibus vndas
Euomuit, gremioque incluſum reddidit æquor.
Cum mare dira tumens tot concurrentibus vndis
Obruit aerios montes, & proxima cœlo
Culmina, & inſanos tulit in caua ſidera fluctus.
Omnia cum ſæuis conuulſa elementa ruinis
Agmine in addictos conſpirauere nocentes.
Aſpica vt effuſis nimbi ſine more procellis
Funeſtam agglomerant noctem; ſoluuntur in amnes
Imbribus, immenſumque pluit de nubibus æquor.
Aſpice vt indomitum ſurgit mare: iamque reuulſis
Finibus, Eoi, Occidui, Bordalis, in vnum
Auſtraliſque ruunt, pacto ceu fœdere, fluctus
Oceani, ruptaſque minis crudelibus iras
Agglomerant, totiſque ferunt lacrymabile terris
Exitium, & fontis coeunt in funera mundi
En qua ſtrage furit, Villas, prætoria, ſiluas,
Vndanteſque rapit campos: de ſedibus vrbes
Eruit, exhauritque: natant elata per vndas
Funera, iam ſuperat tumulos, & collibus altis
Imminet, ingentique tremunt formidine montes.
Aſpice quàm rari montes è gurgite vaſto
Colla ferunt. Alpes illæ, iuga celſa Pyrenes
Illa: riuale caput Rhodopes, Riphæaque parent
Culmina: vallatis hæc Acroceraunia ſaxis:
Hic Athos, hic Pindi vertex, hoc triſtis Olympi
Mite ſupercilium, nimboſi hæc tergora Tauri:
Caucaſus, æthereis olim qui proximus aſtris
Hic natat: Heſperij tumulus nunc æquoris Atlas
Exiguus, dubium fulcire cacumine cœlum
Creditus: hic lunæ montes altiſſima quondam
Sole ſub ardenti iuga nunc ſurgentia ponto
Tubera, vel modicæ decurſo vertice cautes.
At viden' in ſummos apices congeſta tumultu
Ingenti, & trepido ſe protuberantia nixu
Agmina fœminei ſexus, ſexuſque virilis,
Cum trucibus conferta feris. quàm pallida vultu
Effigies, quàm dira metus, & mortis imago;
Qui tremor ex ſurgente ſalo, qui funeris horror
Conſpicui, raptis quæ mentatio paſſim
Crinibus, obſeſſa quæ deſperatio vitæ?

Quot

Quot per inexhauſtos reuoluto gurgite fluctus
Torquentur, viuique natant; trabibuſque prehenſis,
Aut tabulis aut arboribus, preſſoque ferarum
Tergore, vel raptis nequicquam cornibus hærent,
Peruolat æquoreas mors implacabilis vndas
Fulmineæ facis inſtar, & in miſerabile tantùm
Exitium veſana furit; ſecat illa cruenta
Corpora falce, trabes quatiens hæc integra mergit,
Hæc agit in cautes, & conterit; illa per æſtus
Acta, fatigatam ponto dare barbara vitam
Cogit, inexpletos tandem ſatiata furores
Explet, & inſanum damnat iam laſſa laborem.
P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Mare conglaciatum.

CÆruleos ventis latices durantibus Iſter
Congelat, & tectis in mare ſerpit aquis.
Quaque rates ierant, pedibus nunc itur, & vndas
Frigore concretas vngula pulſat equi.
Vidimus ingentem glacie conſiſtere pontum,
Lubricaque immotas teſta premebat aquas,
Nec vidiſſe ſat eſt: durum calcauimus æquor,
Vndaque nec vdo ſub pede ſumma fuit.
Tum neque ſe pandi poſſunt delphines in auras
Tollere conantes dura coercet hiems.
Et quamuis Boreas, iactatis inſonet alis,
Fluctus in obſeſſo gurgite nullus erit.
Incluſæque gelu ſtabunt, vt marmore puppes:
Nec poterit rigidas findere remus aquas.
Vidimus in glacie piſces hærere ligatos:
Sed pars ex illis tum quoque viua fuit.
Ouidius l. 3. Triſt. el. 10.

Vide inf. Tit. Regio niuibus & glacie obſita.

NAVIS.

Nauis constructio.

INſtat vbique manus varias enixa carinas.
Aeriamque cupit trabibus, nemorumque ruina
In pontum deferre ratem: labor vndique cœptum
Vrget opus, pereuntque citis in claſſibus alni.
Pars lateri nectit facta teſtudine coſtas,
Impellitque graui luctantes tudite clauos:
Hic ferro gracili proceras læuigat ornos,
Planaque compoſitæ ſternit tabulata carinæ.
Ille trahit proram, longaque ex arbore pendet,
Quæ ſenſim ſublata cadit, quam plurimus ames
Subter, & enixi ſuſtentant robora ferri.
Pars tranſtra in numerum ponunt, durumque ſedile

Remigibus, ſtipantque tenaci cannabe rimas,
Aut pice vel ferro iungunt, lentoque ſequaces
Igne trabes, & ligna prius reſinata ſuburunt.
Hinc alij ſculpunt puppes, doctaque bipenni
Pulchra laboratis poliunt apluſtra figuris.
Inciſi trabibus viuunt Tritones acernis,
Et referunt glaucos cælata toreumata diuos.
Hinc malum vi magna alij conantur in altum
Erigere, antenniſque ſuos imponere funes,
Velaque, & in gyrum tortos aptare rudentes.
Pars teretes nectunt trochleas, & reſte picata
Sublata in ſummo religant carcheſia malo.

Ex P.Laur.le Brun to.2. Eloq.Poet.

Nauis Regia Cleopatræ.

Littoribus ſoluens patrijs Regina Canopi,
 Miranti luxum gurgite, vela dedit
Aurea puppis erat, formæque in puppe Deorum,
 Monſtraque delubris Nile recepta tuis.
Aurea fulgebant ſummo carcheſia malo,
 Fulgebant nitidis illita tranſtra notis,
Cœrula inaurati verrebant æquora remi:
 E cedro tabulæ clauus eburnus erat.
Vnda repercuſſo radiabat concolor auro,
 Et qualis Danaen fallere poſſet erat,
Mollia purpurei nectebant vela rudentes:
 Et media fuerant, vela petita Tyro.
Ipſa videbatur velorum purpura fluctus
 Tingere, purpureas findere puppis aquas
In medio thalamus: thalamo Regina iacebat:
 Viſa ſibi æquoreas inter habenda Deas.
Quid memorem, vt cultę Nympharum more puellæ
 Nautarum ſubeant arte, manuque vices?
Vt feriant ille adductis ad pectora remis
 Æquora, propulſam dirigat illa ratem?
Hæc faciles captat ventos, tractatque rudentes,
 Et modò dat Zephyris, dat modò vela Notis.
Illa ſedet, cytharamque tenet, remiſque canendo
 Imperat, & pulſas carmine mulcet aquas.

P.Sidron. Hoſchius l.1.el.2.

Nauis ſecundo vento portum ſubiens.

Qualis ab occiduo nauis vel littore rubro
Ingenti nitens ſub pondere grata per vndas
Dona laboratæ Cereris ſubuectat: it auro
Carbaſeos virgata ſinus, argentea funes,
Et liquidi vada ſalſa ſali ſecat, vſa ſecundo
Flamine, cum geminas ęquatis cornibus alas
Explicat. à tergo glomerata remurmurat vnda:
Findit fronte ſalum, ſpumantemque eruit æſtum,
Impoſita ſub mole gemens. tum clamor ad auras

Com-

Conſpecta tellure procul, labente carina,
Nauticus ingeminat, reſponſant obuia latè
Littora, conceptis dant ignibus ænea plauſum,
Horriſonumque cient imitata tonitrua cœlum,
Illa vehens quicquid vel meſſe lybiſſa legit,
Vel ſeptemgemino nutriuit gurgite Nilus.
Adnatat interea, & pleno ſubit oſtia velo.

P.Bern.Stephonius car.1.

Naufragium.

FRangitur incurſu nimboſi turbinis arbor,
Frangitur & regimen, ſpolijſque animoſa ſuperbit
Vnda velut victrix, ſinuataque deſpicit vndas.
Nec leuius, quam ſi quis Athon, Pindumque reuulſos
Sede ſua, totos in apertum verteret æquor,
Præcipitata cadit, pariterque & pondere, & ictu
Mergit in ima ratem: cum qua pars magna virorum
Gurgite preſſa graui, neque in aera reddita, fato
Functa ſuo eſt: alij partes, & membra carinæ
Trunca tenent, tenet ipſe manu, qua ſceptra ſolebat
Fragmina nauigij Cæyx, ſocerumque, patremque
Inuocat.

Ouid.l.11.met.

Vidi ego cum rutilus maculis aſpergitur ignis
Præcipitem iactari vndoſa ad littora nauim
Amiſſis fluitantem armis, ac dura gementem
Verbera, & effracto nudatam lintea malo.
Nulla ſalus, ſpes nulla viris, ad vota, preceſque
Vertuntur, vacat ars: miſeræ exoptantur arenæ,
Et dulcis terræ exortes tanguntur amore.

Ion.Pontanus l.1.de Stell.

Iamque regi indocilis, non arte, ſed impete fertur
Per coniuratas territa puppis aquas.
Tollimur alterno nunc vſque in ſidera fluctu:
Hei mihi, quos montes, cum tumet, æquor habet:
Alterno rapimur nunc vſque in Tartara lapſu:
Hei mihi, quas valles, cum cadit, æquor habet:
Tres ſine Sole dies, & tres ſine ſidere noctes,
Treſque aliæ noctes, treſque abiere dies.
Dum lacerata ſuos ruperunt vela rudentes,
Ludibrium ventis vela relicta ſuis;
Turbine mox fracti ceciderunt robora mali,
Exanimemque ruens abſtulit vnda ratem.
Hic clamore viri, trepidique pauеſcere nautæ:
Et dubias inter, vota vouere preces.
Proijcimus tum quiſque ſuas, & mergimus vndis
Quas auidi nuper quæſieramus opes.
Fulvi adeo (quis credat?) honos ibi viluit auri,
Nec ſuus eſt Onychi, Sardonychique valor.

Euacuata ratis gaza tam diuite, tutum
Sperabat modicis iam fore rebus iter. *Et inf.*
Dum loquor, ingentes agit vndique, & vndique rimas
Nauis, & in medijs fiſſa dehiſcit aquis.
Omnia turbantur clamoribus: obruit alter
Alterum, & auxilio fœmina virque caret.
Hauritur rapido pars gurgite naufraga: partem
Detulit in libycum paruula cymba ſolum.
Triſte licet fuerit comitum vidiſſe meorum
Innumeros illa morte perire greges.
Euaſiſſe tamen vicina in littora viuos,
Triſtior hac ipſa morte medela fuit.
Nam quibus aura Noti, quibus ira pepercerat vndæ,
Exitium inuenti littoris ora tulit.
Vix emerſa cohors tumidis è fluctibus ægros
Arenti in ſabulo conſtituere pedes.
Cum furua Æthyopum magno ruit agmine pubes,
(Nullum Erebi quondam nigrius agmen erat.)
Obruimur numero, tamen arma capeſſimus, & qua
Poſſumus hoſtiles pellimus arte metus.
Pellimus, at facilem deſerto in littore victum
Qui mihi, qui focijs ſuppeditaret ager
Nullus erat. diſcurro vagus portumque requiro:
Portus in ignoto littore nullus erat

P. Iac. Bidermanus l. 2. Her. ep. 7.

Vide ſupra Tit. Tempeſtas.

Naues incendio abſumpta.

NEc plura his, iaculata facem ſtetit, ilicet arſit
Extemplo fulgur, tonitruque exterrita pinus
Euomuit flammarum vndas, & fragmina cœlo
Suſtulit auulſæ diſiecta mole carinæ.
Nec tantum ruptis quoties fornacibus Ætna
Horrendum ſonat, accenſas liquefacta per auras
Saxa volant, piceuſque ambuſtæ nimbus arenæ
Pellitur atque imo diſcluditur inſula fundo:
Horrifico quantum tabulata excuſſa fragore
Aere diſſiliunt, truncisque cadauera membris,
Seminecesque artus, & grandes orbe molares.
Flagranteſque trabes nube euoluuntur eadem,
Et cœlo confuſa gemunt; magno inde ſonore
Præcipitant, pelagus ſtridenti extinguit in vnda.
Nec verò ſtetit hic ſtrages, ſed tempore eodem
Africus incumbens pelago, tædaſque volantes,
Præcipiteſque globos, & ſaxa reciproca longè
Detulit, & ſocias ſubeuntes ponè carinas
Inuoluit flammis: illæ piceo vnguine pingues
Accipiunt inimicum ignem ſimilique fatiſcunt
Clade ambæ, furit immiſſis Vulcanus habenis
Tranſtra per, & liquidis manantia robora ceris,
Auulſaſque trabes diſterminat æquore toto,

Tri-

Triſtes relliquias, fluitat captiua ſupellex,
Scuta virum, galeæque, & Ciprya gaza per vndas,
Signaque rapta ducum, transfixaque pectora remis,
Et ſingultantes extis fumantibus artus

P. Famian. Strada l. 2 prol. 3. Hiſt.

Nauis incendiaria.

COnatus etenim poſtquam fruſtrata malignos
Vis cecidit, ſolitas fraus tutior inſtruit artes
Implicitura ſuæ noſtris aſpergine flammę
Puppibus, aduerſo ſparſim ſe plurima vento
Nauis agit: nauim peſtis comitatur euntem
Non audita prius. Candentis lamina ferri
In gracilem lento curuamine flexilis orbem
Ducitur, ac multo congeſti pondere nitri
Et rapidi largo ſaturatur turbinis hauſtu.
Tum ſalici ſuppacta leui committitur ipſis
Sicca lues vndis, & ineuitabile totis
Claſſibus importat ſubſtrata per æquora damnum.
Namque tubi ſimul ac grauidi larus obuia moles
Impulit, occurſu primo luxata repente
Machina rumpit hians; clauſæ vis feruida flammæ
Cum tonitru micat erumpens, & texta propinquæ
Pinea comprendens ratis, exilientia cladis
Semina diffundit, tabulatiſque implicat vnctis.
Mox volucri raptas flexu populata carinas
Per medium rotat exultans ſua crimina pontum.
Enceladi talis cineres, iraſque ſepulti
Trinacris interdum ructantibus Ætna caminis
Egerit: ætherias vndat vapor ater ad auras
Inuoluitque diem; ſparſæ per inane fauillæ
Proxima corripiunt flammis, & idonea nactæ
Pabula, concepto glomerant incendia vento.
Vanus vterque labor: fuſo leuis igne procaces,
Terrenteſque ſalum furias cum remige linter
Obuius implicuit nexu, vinctaſque triumphi
Duxit ouans ſpecie.

Apud P. Laur. le Brun to. 2. El. Poet.

Nec caput hoc belli, peſtiſque in noſtra paratæ
Exitia; aſt horrenda magis, metuendaque flammas
Miſcebant duo Saxonicis inuenta Britannis.
Namque habiles lembos, ſummoque natantia tergo
Æquoris, expediunt non magnæ texta carinæ,
Quam ſuper arſuramque picem, maſſaſque ſequaces
Vnguinis, & lentum lacrymoſi corticis humorem
Inijciunt; circum tædas, & ſtupea vector
Nutrimenta parat, ferrique, æriſque refecti
Fragmina ſulphureæ meſſis quibus addit aceruum.
His inſtructa dolis. prono ſeu marmore lapſa
Seu longis attracta rudentibus horrida pinus
Fertur aquis, fugienſque ſecundo pellitur æſtu.

G 2 Inde

Et tentare fugam, nec longo frangere gyro
Curſum, nec tarde flectenti cedere clauo;
At Romana ratis ſtabilem præbere carinam
Certior, & terræ ſimilem bellantibus vſum. *Et inf.*
Iam non excuſſis torquentur tela lacertis.
Non longinqua cadunt iaculato vulnera ferro,
Miſcenturque manus, nauali plurima bello
Enſis agit. ſtat quiſque ſuæ de robore puppis
Pronus in aduerſos ictus: multique perempti
In ratibus cecidere ſuis. cruor altus in vndis
Spumat; & obducti concreto ſanguine fluctus.
Et quas immiſſi traxerunt vincula ferri,
Has prohibent iungi conſerta cadauera puppes.
Semianimes alij vaſtum ſubiere profundum,
Hauſeruntque ſuo permiſtum ſanguine pontum.
Hi luctantem animam lenta cum morte trahentes
Fractarum ſubito ratium periere ruina,
Irrita tela ſuas peragunt in gurgite cædes;
Et quocunque cadit fruſtrato pondere ferrum.
Exceptum medijs inuenit vulnus in vndis. *Et inf.*
Iamque omni fuſis nudato milite telis
Inuenit arma furor: remum contorſit in hoſtem
Alter; at hi totum validis apluſtre lacertis,
Auulſaque rotant excuſſo remige ſedes.
In pugnam fregere rates: fidentia peſſum
Corpora cœſa tenent, ſpoliantque cadauera ferro,
Multi inopes telis iaculum lethale reuulſum,
Vulneribus traxere ſuis, & viſcera læua
Oppreſſere manu validos dum præbeat ictus
Sanguis, & hoſtilem cum torſerit, exeat, haſtam.
Nulla tamen plures hoc edidit æquore clades,
Quam pelago diuerſa lues. nam pinguibus ignis
Affixus tædis, & tecto ſulphure viuax
Spargitur, ac faciles præbere alimenta carinæ:
Nunc pice, nunc liquida rapuere incendia cera:
Nec flammas ſuperant vndæ, ſparſiſque per æquor
Iam ratibus, fragmenta ferus ſibi vindicat ignis.
Hic recipit fluctus, extinguat vt æquore flammas
Hi ne mergantur, tabulis ardentibus hærent.
Lucanus l. 3.

Nec mora: terrificis ſæuæ ſtridoribus æris
Per vacuum latè cantu reſonante profundum
Incubuere tubæ, queis excitus æquore Triton
Expauit tortæ certantia murmura conchæ.
Vix meminere maris, tam vaſto ad prælia niſu
Incumbunt proni, poſitiſque in margine puppis
Extremæ plantis, nutantes ſpicula torquent.
Sternitur effuſis pelagi media area telis.
Celſaque anhelatis exurgens ictibus alnus
Cœrula nigranti findit ſpumantia ſulco.
Aſt aliæ lacæræ atque incuſſi roboris ictu
Detergent remos, aliæ per viſcera pinus

 Tranſ-

Ambracias propter cautes, & Echinadas inter,
Scuta virum, galeæque, & functa cadauera vita.
Aur. Vrſius de bello Belg.

Sic video claſſes, & numinis omine plenæ
Ire per Ionium pinea texta fretum.
Pinea texta fremunt centenis incita palmis
Centenaſque ferit lympha refuſa rates.
Et geminos iam binæ acies lunantur in arcus
Et chalybum radijs concolor vnda tremit.
Ligna catenatis ineunt certamina roſtris,
Robore quæ valido fida iuuenta mouet,
Inſilit hoſtilis prætoria miles, & inſtat
Armaque iam diſcit Thrax inimica pati.
Feruet opus telis, & ſanguine tingitur æquor,
Fractaque purpureis ſceptra vehuntur aquis. *Et inſ.*
Illa tamen turres, moleſque attriuit acernas.
Stranit & in medio caſtra abiegna ſalo.
Vidit in Ionio Naupactus marmore Thraces,
Aut hos verſa, aut hos terga dediſſe fugæ.
Enſeſque, galeaſque vndis fluitare comantes,
Et lunata feri ſigna refixa Ducis.
P. Tar. Gallutius l. 1. el. 16.

Sex adeo incedunt ſpectato robore puppes,
Ponè ſubit placideque means, & pinea belli
Aſſequitur moles; credas naualia totis
Erupiſſe adytis, vl roque ad bellica roſtra
Demiſiſſe omnes frondentia brachia ſiluas.
Hinc ſe ſe hoſtis agit, lunataque cornua torquet,
Remigioque inſtat, validæ tormenta carinæ
Interea flammas non ante aſpecta coruſcant,
Ardenteſque globos, tonitru ſimul impulit auras,
Diſſiluere rates: iterumque, iterumque carinis
Fulmina miſſa volant, ſtragemque, ignemque reportant.
Concipiunt tabulata faces, puppeſque per omnes
Serpit agens ardor: pars ſciſſa immergitur vndis
Et ſparſæ lacero incedunt ſine remige tonſæ.
Miratur ſicco ſe iam decreſcere ferro
Barbarus, ac propior remis ſi verberet vndas,
Hoc magis igniuomos vomit eiaculata molares
Bis ternæ baliſta ratis, nimboſque tonantes.
Hinc præteruectus miſſas Acheronte minaci
Ducit Halym furias, ſpectataque carbaſa bello
Auſtriaco conuerſa duci, pulſata viciſſim
Obuia ferratis crepuerunt robora roſtris,
Et cadit, & ſtridet non vna in vulnera ferrum,
Spiculaque, & tortæ decurrit arundinis imber.
Iam geminus ſquamis Dux vt fulgebat ahenis
In Martem aduerſis infeſtior aduolat armis:
Ruvereus, parilique fremens Farneſius alno
Auſtriadæ cinxere latus: vocat agmina contra
Barbarus, agglomeratque acies, in vulnera pronus

Quiſque ruit: denſis aggreſſi prælia turmis
Implicuere viri: pereunt, lapſique cruentis
Semianimes voluuntur aquis, hauſtuque ſupremo
Labentem epotas animam effudere per vndas
Spumantique cruor concreſcit in æquore riuo.
Tu quoque ne incertis reuolet victoria pennis
In medios moriturus Halym conferta per arma
Irruis. immiſſum tergoque, & pectore ferrum
Obluctantem animam, mediaque in morte natantem
Aduocat in geminum vulnus: ſtetit illa volitans
Quò flueret, donec largo ſuper arma cruore
Spargitur in geminum tergoque, & pectore vulnus
Extemplò conuerſæ acies, inimicaque roſtra
Siue immerſa vadis vaſto latuere profundo,
Seu captiua trahunt manicæ. Ducis alta cruentum
Extulit haſta caput, liquidaſque euecta par auras
Threijcia de puppe Crucis vexilla coruſcant.
Quo terrore omnes Libyæque, Aſiæque manipli
Diffugiunt; remiſque ardent aptare lacertos,
Aut hoſti, aut vitam tumido committere ponto.

P. Alex Donatus l. 2. c ar. 10.

Ergo hinc atque illinc numeroque & viribus æquis
Conſiſtunt pelago puppes, vtrinque iuuentus
Intenta expectat ſignum: par omnibus ardor
Irruere, & tanquam vero concurrere bello.
Inde vbi conſonuere tubæ, mora nulla, carinæ
Æquora corripiunt celeres: ferit æthera clamor
Nauticus: impulſis ſpumant freta feruida roſtris.
Vt propius ventum eſt, tormenta obuerſa procellam
Fulmineam effudere: tonat cœlum omne tumultu:
Æthera prætexit denſa caligine nubes
Turbinibus fumans piceis atroque vapore.
Vtque ſolent, cum vera rates certamina miſcent,
Illidi proræ proris, vncíſque teneri,
Implectique ſibi, morſuque hærere tenaci.
Hoſtilem in puppim pars ſaltu corpora librat,
Inuaditque foros: pars tranſtris ſubmouet hoſtem,
Inque aditu obſiſtit. geminant diſcrimina vires.
Nulla fuga eſt: repetunt pulſi pugnamque, locumque,
Exacuitque animos violentior vltima virtus;
Nec victor ceſſat prius oppugnare carinam,
Quàm veluti captæ muros deſcendat in vrbis,
Signaque in hoſtili figat victricia vallo.
Hi captas naues: illi niſi protinus adſint,
Iungendas captis hoſti extorquere laborant.
Inflectunt alij curſum, ſpatiumque remenſi
Acrius incumbunt tormentaque rurſus in ictum
Diſpoſita exonerant, renouataque prælia miſcent,
Vi tota obnixæ pugnant, alternaque partes
Damna ferunt, faciuntque. diu victoria nutans
Fluctuat, ancipiti quo vergat neſcia caſu.

P. Iac. Valius Heroic. l. 1.

Pri-

Primus anhelantem tonitruque & fulmine Martem
Inuitat Venetus; contra ferale remugit
Barbarus. at ſubito tormenta nouare boatu.
Aera ſono, ſtridore vndę, clamoribus æther.
Imbre ſagittarum, fumoque offuſa recenti
Fit ſua nox pelago, quam fulgure diſcutit atro
Vulnera mille globis, & fata volantia portans
Flamma minax: caluere vndæ, ſed pręſcia fati
Corda rigent Mauro; cum fulmine ferrea crebro
Tempeſtas quaſſatque rates, puppeſque reuulſas
Milite pręcipitante rotat, ſpargitque gementes
Cum trabibus iuuenes. fractos cum remige remos:
Vt iam ſit votum integros occumbere: parti
Sæpè ſui lacerę concurrunt ſparſa per vndas
Corpora: triſte rubens ſub clade remurmurat ęquor.
At Venetam nullo fœdatam vulnere Maurus
Miratus claſſem, diuerſaque Numina cernens,
Littora prima fuga quęrit, feſſaſque Velonę
Dirigit ad portum proras, fugientibus inſtat
Victor, ſed trepidum (quis credat) in ęquore amicę
Defendere neces hoſtem, ſtrageſque ſuorum.
Profuit, occurſu cum ſe obijcientia crebro
Tardarent Venetas inimica cadauera proras.
Anteuolat Maurus, portuque reconditur alto:
At Venetus ſubit, & clauſum obſidione coronat.

P. Gul. Dondinus in car. cui Tit. Ven. Trium.

Hęc memorans, quà Threijcio ſub milite puppis
Mole ſuperba ſua fractis circumſonat vndis,
Verberat, & triplici Neptuni terga gementis
Ordine remorum, liquido veſtigia regno
Ad pugnam vt figat; certant torquere carinam
Chriſtiadę, Duce Alexandro: dant arma fragorem,
Inſtabilis tremit alba vado Thetis, vndaque pallet,
Et fugit in ſpumas Thracum vitianda cruore,
Victima Muſtaphus iuſto ventura furori
Exultat, portatque minas, & tela, rapina
Nobilis infami Ductor, vallatus ab vmbris,
Quas aer alit ęternis in prętia flammis.
Iam tormenta tonant: facibus iam fulgurat ęquor.
Cumque globis globus vndarum, cum fluctibus ignis,
Cum clamore virum pelagi fremor, vndaque fumi,
Et maris atrati coniurant, ęſtus, & ęſtus
Marmoris atque irę. dubio certamine naues
Æquore concurrunt dubio, pendentque propinquis
Frontibus, & ſtrages ęquant. è puppe latina
Signa illata repelluntur: mora frangit vtraſque.
Sęuit Alexander, ſeque increpat. ira pudorque
Dum ferit, exclamat: vel vitę vincula rumpam,
Vel ſolus pugnando moram. Similiſque furenti
Arripit ingentem gladium, ſaltuque volucri
Hoſtilem ſalit in puppim, chalybemque, necemque
Attonitos rotat in Turcas, circumdatur hoſte

Sed virtute magis: circumfert arma, manuſque
Et latas aperit ſtrages. vbi facta cruore
Exemploque via eſt, roſtris ſocia agmina prenſant
Roſtra inimica, Ducemque ſuum nudo enſe tuentur.
Vt videre ratis vicina pericula Mauri
Et rapienda mari, manibuſque æraria belli,
Auxilio ſubeunt, ſed per diſcrimina creſcit
Viuida Alexandri virtus, vt ſtella tumultus
Aeris, & Terræ, quæ feſto lumine ridet,
Nec pauet obſcuro denſatas æthere nubes.
Fata manu gerit, & pauidos diſpenſat in hoſtes,
Olli labuntur, violant, & ſanguine fluctus,
Et ſcelerata cohors vincla induit, armaque ponit.
P. Car. de Luca l. 12. Laur. Dom.

Tum denſæ coïere acies, & iudice ferro
Bellantum fortuna ſtetit. maduere cruore
Tranſtra, fori, & fuſo rubuerunt ſanguine fluctus.
Puppibus incurrunt proræ, ſecuraque roſtra
Illudunt lateri; pugnant ſine mente carinæ,
Ponderibuſque nocent. fragili ſua gloria ligno eſt,
Et concuſſa bibunt multam rimoſa paludem
Carbaſa, & abducto ſegnes hæſere profundo.
Accendit Bellona viros, enſiſque, manuſque
Incaluit, veteres acuit pugnantibus iras
Libertatis amor, neſcit non vincere quiſquis
Deſperat victus veniam: cui triſte paratur
Seruitium, ſatis potius quàm ceſſerit hoſti:
Certauere duces, & toto plurima bello
Emicuit procerum virtus. hic milite puppes
Inſtruit, acceleratque rates; qua deficit, vrget.
Hic curuos ſeruare ſinus, hic pandere vela,
Hic reuocare iubet. peragit prudentia partes,
Bellatrixque manus. donec vallante corona,
Et geminis hoſtile agmen concluditur alis.
Quid referam pugnæ faciem? Syrteſque repletas
Stragibus, & cœco cumulatas gurgite mortes?
An fluvijs refluos æſtus tardaſque carinas
Occultis hæſiſſe vadis? an flamma iuſſis
Coniurata Deum regalem exſcindere claſſem?
Singula miratur victor, miratur, & illud
Pro nobis pugnaſſe Deos, pelaguſque, polumque,
Nos ſatis, hoſtemque manu. Spes irrita cœpto
Mergitur, armatæque acies reuolutaque tela
Auctori nocuere ſui Rhamnuſia fallax
Intorſit, vertitque rotam. premit illa ruentem
In ſua fata ducem. diſperſas diſiicit alnos,
Diſiectaſque fugat. nunquam fluitantia latè
Largius Arctoos pavere cadauera piſces
Corporibus premitur Scaldis, obſtructaque paſſim
Oſtra concluſas remorantur fluminis vndas.
Hic clani, tranſennæ alibi, ceſiſque phaſeli
Remigibus per ſumma natant. hic lintea ruptis

Fu-

Funibus inſternunt fluctus. retinacula ſpernit
Anchora, & antennis iactantur ſuppara fractis.
Gaſp. Barlæus Heroic l. 1.

PORTVS MARIS.

EST in ſeceſſu longo locus. inſula portum
Efficit obiectu laterum, quibus omnis ab alto
Frangitur, inque ſinus ſcindit ſe ſe vnda reductos.
Hinc atque hinc vaſtæ rupes, geminique minantur
In cœlum ſcopuli: quorum ſub vertice late
Æquora tuta ſilent: tum ſiluis ſcena coruſcis
Deſuper, horrentique atrum nemus imminet vmbra,
Fronte ſub aduerſa ſcopulis pendentibus antrum:
Intus aquæ dulces, viuoque ſedilia ſaxo
Nympharum domus, hic feſſas non vincula naues
Vlla tenent, vnco non alligat anchora morſu.
Virg. l. 1. Æn.

Portus ab Eoo fluctu curuatur in arcum:
Obiectæ ſalſa ſpumant aſpergine cautes:
Ipſe latet, gemino dimittunt brachia muro
Turriti ſcopuli: refugitque è littore templum.
Idem l. 3. Æn.

Vrbs eſt Dictæis olim poſſeſſa colonis,
Hanc latus anguſtum iam ſe cogentis in arctum
Heſperiæ, tenuem producit in æquora linguam.
Hadriacus flexit, claudit quæ cornibus vndas.
Nec tamen hoc arctis immiſſum faucibus æquor
Portus erat, ſi non violentos inſula Coros
Exciperet ſaxis, lapſaſque refunderet vndas.
Hinc illinc montes ſcopuloſæ rupis aperto
Oppoſuit natura mari, flatuſque remouit,
Vt tremulo ſtarent contentæ fune carinæ.
Lucanus l. 5.

Vrbs in conſpectu montana cacumina velat
Tranquillo prætenta mari: ducentia portum
Cornua pacatas remouent Aquilonibus vndas,
Hic exarmatum terris cingentibus æquor
Clauditur, & placidam diſcit ſeruare quietem.
Claud. in Epigr.

Naufragium in portu.

SIc vbi cum plenis venere ſub oſtia velis,
Optatoſque vident portus ex æquore claſſes,
Cæca latent ſcopulis placido ſub gurgite ſaxa,
Subtenteque fretis rupes. ſubit inſcia pinus,
Impactamque vrgens roſtro pendente carinam;
Muricibus findit cæcis; furit æſtus, & vndæ

G 6 Nau-

Naufragio inſultant, ſparguntque per æquora merces.
Conclamant gazam miſeri, & vaga funera nautæ.
Surda ſilent vanis pulſata Capharea votis.
Aſperior ſæuit portus fortuna ſub ipſos,
Quo miſeranda magis, ſpeſque omnes gurgite mergit.
P. Ant. Millieus l. 15. Moyſ. Viat.

ANIMALIA AQVATICA.

Balæna.

TEr monſtrum caput erecta ceruice tetendit
Huc illuc voluens oculos; ter pandit hiatum
Immanem: terque & rictus, ter gutturis antrum.
Vndiuomum, ſpumantque rotati è pectore fluctus.
Hinc ſinuoſum vndis pelagus ſecat, æſtuat æquor
Fulmineo caudæ tractu, ſpumantiaque acto
Proſcindens vtero impellit rapida agmina aquarum.
Littora plangantur fluctu, & vagus intonat aer
Ac nigro circum horreſcunt maria vndique nimbo.
Iou. Pontanus l. 4. de Stell.

Maior at Oceano fertur Balæna patenti.
Et pauida elatum verberat aſtra caput.
Vidi ego collectas cum vertice mitteret vndas,
Et tumidum pleno funderet ore ſalum.
Tunc dabat immenſos cœlum ſine nubibus imbres,
Feruebat nimbis altior vnda ſuis.
Non ita præcipiti decurrit vortice torrens,
Aut ſuper effuſo deuorat arua lacu.
Illa velut diffundit aquas, & flumina largo
Fonte, ſed in præceps mox reditura vomit.
Ora duo ſumma pandit fera bellua fronte,
Diluuio ingenti facta cauerna paret.
Inde natans efflat nimbos ſublime refuſos,
Et gemino immerſas obruit amne rates.
P. Alex Donatus l. 3. el. 8. Itin. Neap.

En tibi reluctans fluctibus, ſpumas ciens
Toto videndam colle ſe tergi dedit
Balæna grandis (nauitæ has Orcas vocant,
Pari quaterna vaſtitate iugera
Æquare viſas, aut ſubinde excedere)
Subdiderat vtero branchias, caudam, caput. *Et infr.*
Tota illa motu ſuccuti; mox branchijs
Vtrinque lentis, inſtar alarum, è ſalo
Ductis in auras, eminere grandior,
Et pluere validam in exteros aſperginem,
Senſim illa montem capitis erumpens foras,
Pandit oculorum immane conceptaculum,
Vix metiendum triplici decempeda...

Tam

Tandemque celſos horridi oris fornices
Reſerare cepit oſcitans.
P. Ang. Ganzeus in lib. cui Tit. Pia. Hil.

Ecce autem populator adeſt, pelagique tyrannus
Fluctibus è medijs immani corpore Cetus,
Mons animatus. aquæ reuomens in nubila montes,
Viua vorago, voraginibus qui regia fundat
Tecta ſibi. populumque ſuum formidine mutum
Territat imperio, & iaculato verberat imbre.
Æquora diſturbat, ſpumaque albeſcere cana
Incuſſo terrore iubet: terriſque, marique
Nauibus, & regnis, ventiſque inſultat, & aſtris.
Huius ad aſpectum Cycladis per ſalſa natantis;
Saxa tremunt, ſcopulique, ſinu mare mugit ab imo,
Vndarumque globus concuſſus inhorret, & vrget
Humida in antra fugam, premiturq; premitq; procellas;
Per mundi delata metus fera bellua ſurgit,
Attolliteue toros, & longa haſtilia præfert
Dente ferox, armata vndis, atque ardua pinnis,
Ipſa ſibi turris, fremitu ſibi buccina belli,
Nare tonans gemina, ſibi fax, & bellicus ardor.
P. Car. de Luca l. 7. Laur. Dom.

Vnde immane trahit per plana liquentia dorſum
Monſtrum ingens, æquans, iugera mole nouem?
Arduus hic Cetus populoſum territat agmen,
Ventoſiſque tumens mole triumphat aquis.
Ore duo ex omni ſurgentes ordine dentes
Caucaſeam vincunt robore duritiem.
Gutturis ingentes quando diducit hiatus,
Marmora tota haurit, marmora tota vomit.
P. Laur. le Brun. Hex. die 5.

Delphini in mari ludentes.

VIdi etiam feſto delphinas ludere cætu,
Et celeres verſo ducere in orbe choros.
Ocyor haud illis volucris, contortaue neruis
Spicula, ferratis aut pila miſſa tubis
Cæruleam liquido venantur in æquore pubem,
Cognatumque genus guttura cruda vorant.
Sipiſces petiere fugam, naualia ſaltu
Vela ſuper delphin concita membra rotat.
Et potitur rapto gaudens; plauſuſque ſecuta
Squamea turba ſalit, ſimaque roſtra quatit.
P. Al. Donatus l. 3. el 8. Itin. Neap.

Concha marina.

SEd matutinis non lætior altera guttis
Pinguia gemmifero pendentibus oſtrea fœtu
Innutrit ſcopul s, leuibuſque natantia cruſtis.

Ince-

Inceduut patulæ numeroſo examine Conchæ
Seruantes, cœlo redeuntis ad oſtia lucis
Roſcida cum plorant morituram ſidera noctem,
Illacrymans Aurora nigræ cùm funere matris
Quamuis alba, gemit; tunc ora, ſinuſque fluenti
Rore maritales implent, & cortice clauſo
Gaudent maturos vtero grandeſcere partus.

P. Al. Donatus l. 1. car. 12.

Nempe ſerenato dum ponunt flamina ponto,
  Multa fluentiſonas cochlea verrit aquas.
Cochlea diues opum, qua non præſtantior vlla
  Attrahere ignotas ad ſua furta manus.
Imbricis intorti ſcatebroſo tegmine viuit,
  Diuitis, & paruo turbinis orbe latet.
Cui ſtria criſpato percurrit plurima dorſo,
  Atque iterum in ſe ſe reticulata redit,
In caput exiguus ſpiratum circuit ordo,
  Tortilis, & ſummo in vertice creſcit apex
Se ſe in mucronem conchylis cauda ſupinat,
  Intus in oblongam conduplicata tubam.

P. Vinc. Guiniſius eleg. 3.

En vt Erythræi tranquilla per alta profundi.
Cum roſeos primùm ſubiens Aurora iugales
Exigit humentes vmbras croceamque rubenti
Spargit ab axe diem, cum cœlo pura ſereno
Aura nitet, ſimulatque ſiium lætabilis anni
Hora fauens, gelidi lente exceptura liquores
Ætheris, extremas ponti ſe tollit in vndas,
Oſcitat, & blandi crebro mouet oris hiatu
Fœderis albentes auras, rorantibus aluum
Imbribus alma parat: liquido ſatiabitur hauſtu
Concha mari niueum generans è rore lapillum.
  Annotat æthra ſagax, & eburni conſcia partus:
Colligit ex aſtris ſolers ſudantibus imbres,
Miſcet & Auroræ ſuccos ſtillaſque nitentes
Aeris, & mixtum vario de flumine nectar
Eliquat, & conchæ ſitientis in ora, ſinumque
Inſtillat, bibit ambroſias hæc omnibus amnes
Niſibus, & ſuperis ſe proluit vuidà lymphis.
Ilicet acceptum gremio non inſcia rorem
Incaſſum fore, ni partum genitabile fulgur
Adiuuet æthereos ſe læta recludit in ignes.
Conſcius in tenues nebulas ſe contrahit æther.
Acribus irradiat flammis, vibrata per auras
Telæ rubent, vſu diſcunt clareſcere flammæ,
Fœcundoque leues gaudent proludere telo.
Spectat ouans, petit afflatum quò limpidus humor
Luceat, expectata ſinus in lumina pandit
Concha, mari niueum generans è rore lapillum.
  Cum ſatis in rutilum ſplendeſcere è viſa colorem
Fulgura, tum claræ blando ſinuamine flammæ

Lam-

Lambitur aluus hians, tactu mox vnda refulget
Innocuo, radiumque rapit, redamantis Olympi
Oſcula concha parens ſentit, puramque mariti
Fulguris alma fouet lucem, roremque fluentem
Comprimit, in callum durat: neu Solis iniqui
Decolor ex æſtu rubeat pellucidus humor,
Æquoris ima petit, grauidamque tumeſcit in aluum
Concha mari niueum generans è rore lapillum.
O lætus labor, ò pulchri miracula fœtus.
Conditur intactis feliciter ilibus humor
Fulgidus, exiguum cumulo ſe cogit in orbem.
Concreſcit liquor inde tenax, ſolidaque coactum
Materia dureſcit opus lapideſcere gaudet
Grando micans: adhibet magno officioſa labori
Artifices natura manus. auramque coruſcam
Miſcet aquæ, radijſque niuem, tornatque globoſam
In mundi ſpeciem, iuſtumque examine librat
Pondus, amore Deæ tanto, fœtuque ſuperbit
Concha mari niueum generans è rore lapillum.

P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Cernis vt vndanti refluant ad littora fluctu
Et pretioſa ferant rugoſis pondera conchis?
Aſpice quàm cœlum fœcundo rore maritat.
Diductos vt fœta ſinus ad ſidera pandat,
Vique maritales arridens Phoſphorus ignes
Præferat, & pleno ſtet pronuba Cynthia cornu.
Hæc verò quam concha parens enixa tumenti
Viſcere mox clauſi tumulauit mole ſepulchri,
Infelix, vix orta graui latet obruta fato.
At molli ſi colla fluat per læuia ſerto
In noua ſe lactis mirabitur æquora vectam
Et viua melius diſcet gemmaſcere concha.

P. Mar. Bettinus l. 1. Idyll. 2.

Nautilus piſcis.

IPſe maris rector miſeri ſolatia caſus
Inſtrumenta ratis ſquamoſo in corpore clauſit,
Ne formam amiſſam Tiphys quereretur, & artes.
Obliquo ſinuat dorſo ſe parua carina,
Parua quidem, ſed non magnis ceſſura carinis.
Curua gubernaculo tenui ſe cauda retorquet,
Irato gracilem cymbam quæ flectat in alto.
Fila tegunt vtrumque latus, remoſque miniſtrant,
Vt Polypus tumidum ſeno pede verberat æquor.
Pelliculæ vellum medio de corpore tollis.
Nautile, quo ventum captas, auramque ſecundam,
Natiuo attollens viuentia carbaſa malo.
Anchora dente tenax oris firmatur adunco,
Qua nulla eſt dubias remorari certior alnos
In portu, mediove mari; dat mobile roſtrum
Exilem proram, proræque ſimillima puppis

Pro-

Prominet extremo piſcis de corpore; curſus
Ceu clauo exiguæ moderatur acumine caudæ,
Cœtera ſe patitur rectorem Nautilus vnum,
Vnum ſe tenui vectorem admittit in alno;
Ipſe ſibi velum eſt, clauus, prora, anchora, puppis,
Ipſe rudens, remus, vector, nauta, omnia ſolus.
Ergo cum placidum ſenſit mare ſtare benignis
Sideribus, fundo ſenſim ſe tollit ab imo,
Exigua nauim piſcis ſub pelle latentem
Explicat, & Boreæ tandem ſecurus, & Auſtri
Laxat vela Notis, clauum regit ipſe magiſter,
Promittit graciles gracili de corpore tonſas,
Naufragij tutus natiua nauigat alno,
Et breuibus longas remis præuertere naues
Alitibus leuior gaudet, Parthique ſagitta.

P. Gilb. Ionnius in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Remora.

SCrutare Remoram, dum reciprocos æſtus
Rabiemque pelagi inſanientis irridet:
Dum mille remis, remigumque ſudantum
Validis lacertis, hirtus vnus exilis
Piſciculus obſtat: dum frementibus ventis
Roſtra & rudentes, anchoraſque rupturis
Hærens carinæ, quas lubet, moras figit;
Has & refigit, vt lubet mari, ventis,
Naui, atque nautis neſcijs vale dicens.
Mare, nauta, ventus, & carina mirantes
Ignota vincla tam repente laxari.

P. Angel. Garzaus lib. cui Tit. Pia. Hilar.

Sic vbi laxatis Ægea per æquora velis
Euolat vncta ratis; ſimul ac ſe parua biremi
Ingenti applicuit, laterique Echeneis adhæſit,
Tota carina ſtupet: quæque ante citatior Euro
Spumantes per aquas nauta plaudente volarat,
Tunc veluti aut ſcopulis illata morantibus hæret,
Aut illiſa vadis, miratur pigra magiſter
Æquora; nec quamuis centeno remige tundat
Nerea, vel totidem ſuſpendat carbaſa, captam
Exorata ſinunt ſufflamina currere puppim.

P. Iac. Bidermanus l. 1. Heroid.

Torpedo.

QVis non indomitam miræ Torpedinis artem
Audit, & emerito ſignatas nomine vires?
Illa quidem mollis, ſegnique obnixa natatu
Reptat, & attritis vix languida ſerpit arenis.
Sed latus armauit gelido natura veneno,
Et frigus quo cuncta rigent, armata medullis
Miſcuit; & proprias hyemes per viſcera duxit,

Natu-

Naturam iuuat ipſa dolis, & conſcia ſortis
Vtitur ingenio, longeque extenta per algas
Hac confiſa iacet: ſucceſſu læta reſurgit,
Et viuos impunè ferox depaſcitur artus.
Si quando veſtita cibis incautior æra
Hauſerit, & curuis frænari ſenſerit hamis;
Non fugit, aut vano conatur vellere morſu:
Sed propius nigræ iungit ſe callida ſetæ.
Et meminit captiua ſui, longèque per vndas
Pigra venenatis effundit flamina venis.
Per ſetam vis alta meat, fluctuſque relinquit
Abſentem victura virum: metuendus ab imis
Emicat horror aquis, & pendula fila ſecutus
Tranſit arundineos arcano frigore nodos
Victricemque ligat concreto ſanguine dextram.

Claudianus in Epigr.

Cancer.

OS tibi dentatum, caput eſt in cornua ductum
    Quatuor, armatis cornua torua minis.
Corneus hinc, atque hinc excurrit acumine contus
    Duplice, qui fœdo myſtace fingit acum.
Lucentes ſed nequam oculi, læuiſque tuentes,
    Hic boream obliquum vultibus, ille Notum,
Serrataque truces ſinuatæ forcipe chelæ:
    O digiti, ò pulchris brachia ducta thoris.
Tergora quid memorem? iam colla humeroſque ſuperbos
    Detraxit cunis Tethys auara tuis.
Tergora cruſtato ſemper thorace tumeſcunt,
    Qui ferruginea quàm bene ſorde micat!
His aluum tegis, atque trahis, rigidamque, ſcabramque
    Putiduliſque cauam ſordibus ingluuiem.
Octonis graderis pedibuſque: ne peſſimus octo,
    Ingenibus bipedum, quadrupedumque fores,
Et quiuis finit ſe cauda comata flagellis:
    His ventrem irato ſæpe tremore ferit.

P. Io. Biſſelius Æſt. l. 1. el. 14.

Varia piſcium genera.

SE rotat, & vitreis delphin laſciuit in vndis,
    Cum catulis coniux cærula pone ſubit.
Deformes refluo ſtertunt in gurgite phocæ,
    Terga rigent ſetis, vbera lacte tument,
Sæpia ſulcat aquas, ſe ſubductura periclo,
    Oraque de toto mugile ſo a latent.
Cornibus aduerſis pugnant ſub gurgite cancri
    Octipedes; Congrum fronte locuſta ferit.
Ipſe ſibi remex, vector, ſcapha, more Liburnæ
    Nautilus in ſumma velificatur aqua.
Flens Crocodile fugis; diſtentam ſanguine venam
    Niliacus iunci cuſpide tundit equus.

Hama-

Hamatas Scolopendra dapes, & viſcera ructu
Egerit, æra vides reddere ſola Lupum.
Pinna dolum meditans dum fugit ab æthere Concha,
Seminium baccæ nobilioris hiat.
Nec color vnus ineſt: hyacinthi purpura flammis,
Et Muræna tuo ſanguine tincta nites.
Pectine cæſariem Siren deducit eburno,
Pube tenus Virgo, cœtera piſcis habet.
Apud P. Laur. le Brun t. 1. eloq. Poet.

Piſces Fluuiales.

SQuameus herboſas Capito interlucet arenas,
Viſcere prætenero furtim congeſtus ariſtis,
Nec duraturus poſt bina trihoria menſis
Purpureiſque Salar ſtellatus tergora guttis:
Et nullo ſpinæ nociturus acumine Thedo.
Nec te puniceo rutilantem viſcere Salmo
Transierim, latæ cuius vaga verbera caudæ
Gurgite de medio ſummas referuntur in vndas,
Tu loricato ſquamoſus pectore, fronte
Lubricus, & dubiæ facturus fercula cœnæ
Tempora longarum fers incorruptæ morarum.
Præſignis maculis capitis, cui prodiga nutat
Aluus, optimatoque fluens abdomine venter.
Quæque per Illyricum, per ſtagna binominis Iſtri
Spumarum indicijs caperis Muſtela natantum:
Quis te naturæ pinxit color? atra ſuperne
Puncta notant tergum, qua lutea circuit Iris:
Lubrica cæruleus perducit tergora fucus.
Nec te delicias menſarum Perca ſilebo
Amnigenos inter piſces dignande marinis
Lucius obſcuras vlua, cœnoque lacunas
Obſidet, hic nullos menſarum lectus ad vſus
Feruet fumoſis olido nidore popinis.
Quis non, & virides vulgi ſolatia Tincas
Norit, & Alburnos prædam puerilibus hamis
Stridenteſque focis obſonia plebis Alauſas?
Tu quoque flumineas inter memorande cohortes
Gobio, non maior geminis ſine pollice palmis
Præpinguis, teres, ouipara congeſtior aluo.
Propexique iubas imitatus Gobio Barbi.
Nunc pecus æquoreum celebrabere magne Silure,
Quem velut Acteo perductum tergora oliuo
Amnicolam Delphina reor; ſic per freta magnum
Laberis, & longi vix corporis agmina ſoluis.
Auſonius in Idyll. cui Tit. Moſella.

Piſcatus.

PRotinus aut vnctis cælabam ſubdola cruſtis
Æra, vel armabam muricis induuijs,
Aut ego ſuffoſſo lumbricos colle legebam.
(Sunt

(Sunt hæc hamatis certa vorago dolis.)
Vermiculata ſimul ferro eſt inſerta ſagina,
Ilicet incauto facta ſagena gregi eſt;
Namque vbi vix tremulo piſcatrix pertica lino
Incidit, & placidis prona pependit aquis.
Certatim ſquamata cohors, maiorque, minorque
Adfuit: in paruum non gula parua cibum.
Gobius ante alios cauto prærodere morſu
Suetus, & aſſiduo ſollicitare loco:
Denique non cauto deceptus inhæſit hiatu.
Sic captum in ſiccam linea traxit humum.
Gobius vnus erat, ſed non tamen vnica cura:
Addita poſt prædam hanc præda ſecunda fuit.
Inde aliæ, atque aliæ; dein altera, & altera ducta eſt.
Fauit ad hoc nobis gurges, & ipſa dies.
Illa dies calido rutilabat flammea ſole.
Sole cape; ad ſolem ſquamea turba ſalit.
Tum quoque, vel quonis ſtatuatur tragula Phœbo.
Tragula flumineo non minus apta lucro.
Tu modo reticuli, circus, quod ligneus ambit,
Oſtia præcipiti fortiter obde vado.
Nec ſat's oppoſito eſt defigere flumine caſſem:
Quære operis ſocium ſubſidiumque tui.
Ille tuis, quicumque comes, mediuſque laborum eſt,
Supra te liquido ſtetque, iuuetque loco.
In dextra huic contus multa præfixus aluta:
Fac ſint in ſtagno, ſed ſine labe pedes.
Poſt vbi tempus erit, cum iam tibi tragula fixa eſt;
Turbet aquam pedibus, ſtipite turbet aquam.
Hic labor in linum tibi plenis agmina pinnis
Congeret, hinc diues, qui modo pauper eris.
P. Io: Biſſelius Ven. l. 2. el. 14.

Piſcatio Thymnorum.

.... ceu littora propter
Trinacrij lilybæa maris, Drepanumque calentem
Thynnorum populos, ciueſque Atlantidos vndæ
Callidus inuitat, ducitque per æquora Delphin
Subdola ieſtarus ludenti gaudia ſaltu.
Tum caua funiculis, intextaque limina merſi
Carceris ingreditur: ſequiturque, petitque latentem
Sponte pecus tacitum ſua per conclauia mortem.
Liber at exultat piſcoſa per atria Delphin,
Proditor ac tutis reddit ſe Doridos antris.
P. Alex. Donatus l. 12. Conſtan.

Nempè hac arte ſolet pingues in retia thynnos
Ducere piſcator, nec perdere pabula credit,
Artifice que dolos quibus in labyrinthia lina
Srrauit iter, rexitque vias, & veſtijt hamos:
Armataſque ſudes, præfixaque ſpicula contis
Diſpoſuit leuibus tranquilla per æquora cymbis,
Et

Et ſpatium ludo ſignatum ſubere cinxit.
Illi ex Oceano maria hæc in noſtra ruentes
Qua Gadit tenet Herculeis freta feruida metis,
Innumeram important, peregrina examina, gentem,
Intentanſque plagas, cæci ad ludibria, complent,
Æquoraque immerſa ſternunt, & littora præda.

P. Ant. Millieus MoyſV iad.l.16.

Sirenes.

DVlce malum pelago Siren, volucreſque puellæ,
Scyllæos inter fremitus, auidamque Charybdim
Muſica ſaxa fretis habitabant dulcia monſtra.
Blanda pericla maris: terror quoque gratus in vndis:
Delatis licet huc incumberet aura carinis,
Impleſſentque ſinus venti de puppe ferentes,
Figebat vox vna ratem: nec tendere certum
Delectabat iter reditus, odiumque iuuabat:
Nec dolor vllus erat, mortem dabat ipſa voluptas.

Claudianus in Epig.

Scylla, & Charybdis.

DExtrum Scylla latus, læuum implacata Charybdis
Obſidet, atque imo barathri ter gurgite vaſtos
Sorbet in abruptum fluctus, rurſuſque ſub auras
Erigit alternos, & ſidera verberat vnda
At Scyllam cœcis cohibet ſpelunca latebris
Ora exertantem, naues in ſaxa trahentem.
Prima hominis facies, & pulchro pectore virgo
Pube tenus, poſtrema immani corpore piſtris
Delphinum caudas vtero commiſſa luporum.

Virgilus l.3 Æn.

Scylla venit, mediaque tenus deſcenderat aluo:
Cum ſua fœdari latrantibus inguina monſtris
Aſpicit: ac primò non credens corporis illas
Eſſe ſui partes, refugitque abigitque, timetque
Ora proterua canum; ſed quos fugit, attrahit vnà
Et corpus quærens femorum, crurumque, pedumque
Cerbereos rictus pro partibus inuenit illis,
Statque canum rabies, ſubiectaque terga ferarum
Inguinibus truncis, vteroque extante coercet.

Ouidius l.14 met.

Scopulus.

EST procul in pelago ſaxum ſpumantia contra
Littora, quod tumidis ſub verſum tunditur olim
Fluctibus, hyberni condunt vbi ſidera Cori:
Tranquillo ſilet, immotaque attollitur vnda
Campus, & apricis ſtatio gratiſſima mergis.

Virgilius l.5. Æn.

Vt pelagi rupes, magno veniente fragore,
Quæ ſeſe multis circum latrantibus vndis
Mole tenet, ſcopuli nequicquam, & ſpumea circum
Saxa fremunt, laterique illiſa refunditur alga.
Idem l.17. Æn.

Vt medio quondam rupes annoſa profundo,
Quam Notus, & raucis Boreas euerberat alis,
Aſſultuque fremens circumtonat vnda minaci;
Illa ſolo fixis altè radicibus hærens
Alta repercuſſas iaculatur ad aſtra procella.
Apud P. Laur. le Brun to. 1. Eloq. Poet.

INSVLÆ.

Sicilia.

CVrio Sicanas tranſcendere iuſſus in vrbes,
Quà mare tellurem ſubitis aut obruit vndis,
Aut ſcidit, & medias fecit ſibi littora terras.
Vis illinc ingens pelagi, ſemperque laborant
Æquora; ne rupti repetant confinia montes.
Bellaque Sardoas etiam ſparguntur in oras.
Vtraque frugiferis eſt inſula nobilis aruis.
Lucanus l....

Auſoniæ pars magna iacet Trinacria tellus,
Vt ſemel expugnante Noto, & vaſtantibus vndis
Accepit freta cæruleo percuſſa tridente.
Namque per occultum cæca vi turbinis olim
Impactum pelagus laceratæ viſcera terræ
Diſiicit, & medio perrumpens aura profundo.
Cum populis pariter conuulſas tranſtulit vrbes.
Multa ſolo virtus, iam reddere ſemen aratris,
Iam montes vmbrare olea, dare nomina Baccho,
Cornipedemque citum lituis generaſſe ferendis,
Nectare Cecropias Hyblæo accendere ceras
Promptæ gens linguæ eſt, eadem cum bella cieret
Portus æquoreis ſueta inſignire trophæis.
Silius Italicus l.14.

.... Trinacria quondam
Italiæ pars vna fuit: ſed pontus, & æſtus
Mutauere ſitum: rupit confinia Nereus
Victor, & abſciſſos interluit æquore montes,
Nunc illam ſociæ raptam tellure triſulca
Opponit natura mari. caput inde Pachyni
Reſpicit Ionias protentis rupibus iras.
Hinc latrat Getula Thetis, Lilybæaque pulſat
Brachia conſurgens; hinc dedignata teneri
Concutit obiectum rabies Tyrrhena Pelorum.
Claudianus l.1. de raptu.

Sardinia.

HVmanæ ſpeciem plantæ ſe magna figurat
Inſula, Sardiniam veteres dixere coloni.
Diues ager frugum: Pænos, Italoſque petenti
Opportuna ſitu, quæ pars vicinior Afris
Plana ſolo, ratibus clemens. quæ reſpicit Arctou
Immitis, ſcopuloſa, procax, ſubitiſque ſonora
Fluctibus, inſanos infamat nauita montes.
Hinc hominum, pecudumque lues; hinc peſtifer aer
Sæuit, & excluſis regnant Aquilonibus Auſtri:
Quos vbi luctatis procul effugere carinis,
Per diuerſa ruunt ſinuoſa littora terræ.

Claudianus lib. de bello Gildon.

Creta.

ECce viden vaſtis vt Creta attollitur vndis,
Atque extenta vadis ſinuoſas pandit arenas?
Non ibi concipiunt iras, artemue nocendi,
Dira venenatis condunt animantia caudis.
Palmite ſed viridi rumidos pendere racemos
Arua dabunt, aruis non conceſſura Falernis,
Atque fluunt plenis generoſa Aruiſia labris,
Hic labyrinthæos tenebris, ac rupibus altis
Mons tegit errores, ſed enim ſuffoſſa cauernas
Saxa ſuis liquere locis, lapidoſaque tellus
Marmoreis egeſta iugis ſub monte latebras
Et cæco tulit orbe vias; ne Dædalus arte
Dædaleæque domus veſtigia falleret error.

P. Alex. Don. l. 2. c. 10.

Delos.

SAcra mari colitur medio gratiſſima tellus
Nereidum matri, & Neptuno Ægeo:
Quam pius Arcitenens oras, & littora circum
Errantem, Mycone celſa, Gyaroque reuinxit.
Immotamque cœli dedit, & contemnere ventos.

Virgilius l. 2. Æn.

F L V V I I.

Fluuij ortus, & incrementum.

COllibus in medijs vbi paruo abducta receſſu
Terras latet, ſalicumque leui prætexitur vmbra,
Saxa inter, frondeſque inter trepidantis aquai
Vena ſalit; credas ima ſub rupe latentem
Flere Deam, molleſque oculis euoluere guttas.
Sic vitreo ſcatet amne latex, ſic limpidus exit.

Et

Et iam riuus ag t ſe ſe, raucoque per herbam
Irſtrepitu : ſed enim luctantia ſaxa laborat
Soluere lympha leuis, nondum patet alueus olli.
Nondum nomen ineſt: donec ſucceſſibus aucta
Sponte ſuis, aut vicino de fonte minores
Excipiens ſcatebras, in magnum creſcere nomen
Geſtit, & obtenta dici iam Sequana ripa.
Iamque adeo plures coeunt e montibus vndæ.
In fluuium fluuij, iam torrens aduena magno
Influxit ſonitu: laxat ſua littora ſenſim
Amnis, & in geminum quandoque abrumpere ſe ſe
Cornu audet, terraſque breues amplectitur vndis,
Magna tamen ſciſſus patitur diſpendia vortex
Tenuit adhuc ſitiunt partitis fluctibus vndæ,
Vixque inopes vada nuda tegunt: non cymba, nec vlla
Nauigat hæſurus ſicco ſub flumine linter.
Quanquam haud iſta diu latuere: en gurgite pleno
Accelerant proni diuerſis partibus amnes,
Magnarumque vltro pendunt vectigal aquarum
Indigenæ paſſim fluuij; quin ipſe profundus
Matrona, quanquam iiſdem longè deuectus ab oris
Amne fluat iuſto multis grauis amnibus ipſe
Fluuiorum agnoſcit regem ſe ſeque minorem
Confeſſus, nomen tot per loca circumductum
Perdere regali non dedignatur in vnda.

Ex P. Laur. le Brun. to. 1. Eloq. Poet.

Aut cum ſonoro flumen illuuiem freto
Meditatur agris; vere ſeu primo trahens
Niuium rapinas; ſiue maioris vehens
Humoris incrementa, iam ponto imminens
Iam ſe tributo turgidum vndarum extulit
Vndique coacto: gracilis ad fontis caput
Vix gramen vnda rotat exili breue.

P. Bernar. Stephonius in Flau. ac. 2.

Fluuius auctus pluuijs, & tumens.

SIc vbi natiuo labens è vertice flumen
Obſtructum aggeribus ſiluarum, atque obice vaſto
Fluctibus indubitat tumidis, curſumque moratur.
Tum ſubit auxilio, & fraternum agit agmen aquarum
Iuppiter, inuergens pluuij maria ardua cœli,
Roboraque, & vallos, & aceruo culmine moles
Oppoſitas, ſiluæque globos proturbat inertes.
Dat via vi curſum, & ſonitu laxata fragoſo
Vnda ſuos iterat lapſus, modo neſcia labi.

P. Pulcharellus l. 2. Elog.

Non aliter peritura gemens frumenta colonus,
Qua fata flumineæ propter confinia ripæ
Hibernus demerſit aquis ſtagnantibus imber:
Dumque truces queritur cauros, & nubila plenis

Et

Exonerata Notis inimicaque meſſibus aſtra;
Turbidus ecce fragor creſcentem præuius amnem
Perſonat, ille ſuo iam pallidus ora pericło
Rupis in alta ſubit: fluuiuſque rapacibus vndis
Fertur, & ingenti nimborum mole iacentes
Cum ripis proſcindit agros, fluctuque voraci
Culta per vndantes voluit populata nouales.

P. Al. Donatus l. 7. Cenſt.

Vt cum præcipites ſummo de vertice montis
Ima petunt aucti pluuijs hyemalibus amnes,
Quos circumiectæ moles, & ſaxa retardant,
Triſte fremunt cauteſque albent aſpergine, & ingens
Voluitur hinc, atque hinc tumefacto gurgite vortex;
Impetus vndantum donec præruptus aquarum
Arctis incubuit clauſtris, & vi via latè
Perque humiles v.cos, obſtanteſque acta per agros.

Pet. Ang. Bargaus Sytiad. l. 5.

Ac velut infuſi campo de montibus amnes,
Quos rapidis dudum pluuij torrentibus Auſtri
Imbribus inflauere, ruunt, obiectaque curſu
Præcipitant ſaxa, & ſemper cumulantur eundo.
Longius, ingentique tegunt tandem omnia ponto.

P. Ant. Millieus Moyſ. Viat. l. 21.

Torrens.

...... aut rapidus montano flumine torrens
Sternit agros, ſternit ſata læta, boumque labores.
Præcipiteſque trahit ſiluas, ſtupet inſcius alto
Accipiens ſonitum ſaxi de vertice paſtor.

Virg. l. 2. Æn.

Haud ſecus, hiberno tumidus cum vortice torrens
Saxa rotat, voluitque nemus, ponteſque reuellit,
Frangitur obiectu ſcopuli, quærenſque meatum
Spumat, & illiſa montem circumtonat vnda.

Claudianus l. 1. in Ruff.

Aut velut Alpinis largo cum plurimus imbri
Iuppiter incubuit ſiluis, vel anhelitus Auſtri
Incanas hyemes, æternaque frigora ſoluit.
Mille ſonant hinc inde iugis vndantibus amnes,
Et ſiluas, & ſaxa ruunt; tum valle recepti
Stagnantes mergunt tumulos, & in æquore condunt.

P. Ant. Millieus l. 5. Moyſ. Viat.

Non ſecus ac præceps hiberno flumine torrens,
Cum tumidus latè, ac pluuijs hyemalibus auctus
Proruit aduerſas inſano vortice ſiluas,
Obſtanteſque trahit ripas, campoſque per omnes
Cum ſonitu ruit, & rapido rotat omnia fluctu.

Andr. Naugerius in Luſib.

Non

Non ſecus aduerſis cum montibus obuia torrens
Flumina præcipitat, fontanos montibus imbres
Hinc atque hinc animoſus agens: perque alta fragoſum
Pandit iter, vallemque petit, ſed in arua receptis
Mox veniens populator aquis, ceu cornua duplex
In ſe ſe obliquat geminuſque per infima vortex
Occurrit, premiturque premens, pulſuque repellit:
Aſſultant ſpumis latices, ſtagnoque reſiſtunt.

P. Alex. Donatus l. 12. Conſtan.

Non aliter lacrymis Hyadum pluuialibus auctus
Nubiferis prono montis de culmine valles
Deſuper & ſegetes, iunctiſque mapalia ſiluis
In mare præcipiti ſecum rotat agmine torrens.
Transfuga deſertos retrò deſpectat in agros
Paſtor, & attoniti lugent ſua damna coloni,
Flentque ſibi ereptas Dryades cum ſedibus vmbras.

Apud P. Laur. le Brun. to. 1. Eloq. Poet.

. . . . . Vndanti ſimilis ſub veris adulti
Tempora vi torrentis aquæ, cum liquitur omni
Nix hyberna iugo: non illam marginis alti
Naturalis obex tenuit, non ſaxa, trabeſve
Oppoſitæ, quin præcipiti trahat impete ſecum
Tecta, greges, armenta, viros, atque oppida; donec
Aggeribus tandem ruptis, ac ponte ſoluto
Liberior rapida paulum manſueſcat ab ira,
Camporumque vagum ſe ſe diffundit in æquor.

Ex eodem ibidem.

Fluuius exundans.

NOn ſic aggeribus ruptis cum ſpumeus amnis
Exijt, oppoſitaſque euicit gurgite moles,
Fertur in arua furens cumulo, campoſque per omnes
Cum ſtabulis armenta trahit.

Virgilius l. 2. Æn.

Nec ratione fluunt alia, ſtragemque propagant,
Quàm cum mollis aquæ fertur natura repente
Flumine abundanti, quod largis imbribus auget
Montibus ex altis magnus decurſus aquai
Fragmina conijciens ſiluarum, arbuſtaque tota
Nec validi poſſunt pontis venientis aquai
Vim ſubitam tolerare: ita magno turbidus imbri
Molibus incurrens validis cum viribus amnis
Dat ſonitu magno ſtragem, voluitque ſub vndis
Grandia ſaxa, ruit quà quidquid fluctibus obſtat.

Lucretius lib. 1.

Iamque Pyrenææ, quas nunquam ſoluere Titan
Eualuit, fluxere niues, fractoque madeſcunt
Saxa gelu: tum quæ ſolitis è fontibus exit,

Non habet vnda vias: tam largas alueus omnis
A ripis accepit aquas, iam naufraga campo
Cæſaris arma natant, impulſaque gurgite multo
Caſtra labant: alto reſtagnant flumina vallo.
Non pecorum raptus faciles, non pabula merſi
Vlla ferunt ſulci: tectarum errore viarum
Fallitur occultis ſparſus populator in agris:

Lucanus l. 4.

Iamque ſuper ripas vtroque extantior ibat
Aggere, iam medium modo qui ſuperauerat amnem
Hippomedon intactus aquis humeroſque, manuſque,
Miratur creuiſſe vadum, ſe ſeque minorem.
Hinc atque hinc tumidi fluctus, animoſaque ſurgit
Tempeſtas inſtar pelagi, cum pleiadas haurit,
Aut nigrum trepidis impingit Oriona nautis.
Non ſecus æquoreo iactat Theumeſius amnis
Hippomedonta ſalo, ſemperque vmbone ſiniſtro
Tollitur, & clypeum nigrante ſuperuenit æſtu
Spumeus aſſultans, fractaque refunditur vnda,
Et cumulo maiore redit, nec mole liquenti
Contentus, carpit putres ſeruantia ripas
Arbuſta, annoſaſque trabes, electaque fundo
Saxa rotat.

Statius l. 3. Theb.

Aut veluti pluuijs, riuiſque ſequacibus auctus
Tybris agit fluctus, & priſcum tranſijt alueum,
Oſtia cum contra Tiberina ſpiritus Auſtri
Perflat, & intrantem prohibet, retroque repellit.
Ille pedem referens agros oblimat inertes,
Et pontem inſultans ſtagnantem territat vrbem;
Et quà currus erat, remo ſert nauita lintrem.

P. Franc. Bencius l. 1. car.

Aut ipſe Heſperiæ fluuius regnator aquarum
Eridanus, cum monte niues fluxere ſolutæ,
Spumeus Oceano indignanti euoluitur æſtu.
Nec ſe ſe capit amne tumens, pontoque timendus
Fluctuat, irritatque ſolum popularibus vndis.

P. Bern. Stephonius in Hero. car. 5.

Tybris vt hinc ſe ſe præbens populariter vrbi
Ambitioſus aquas circùm ſua mœnia flectit
Sponte ſua lenis: placidarum pondus aquarum
In maris exonerat Tyrrhena per oſtia fauces.
Aut ſi vicina trahat è conualle rapinas
Sulphureis Nar albus aquis, cæleſtibus auctus
Imbribus, aut Fabaris, montes qui peruius ipſos
Exedit, aut pontes Anio indignatus, & ædes
Albuneæ: latè tumidus torrentibus vndis:
Licet illa prior facies læuiſſima fluctus
Vertitur, & fœdè conuoluens omnia vortex

Cum

Cum ſtabulis armenta trahit, ſiluaſque domoſque,
Spumeus, & veterum quatiens monumenta Quiritum
Oceanum irritat, maiori mole timendus.

Idem Her. car. 8.

Vidimus iratum Tuſco de littore Tybrim
In latus auerſas ferre retrorſus aquas.
Cum ſtabulis paſſim correpta armenta trahentem.
Mergentem, & ſegetes, cultaque læta vadis.
Æneadumque ædes ſternentem, & gurgite pontem
Ferre Palatinum, tectaque magna Ducum.
Ibat arenoſis iam percita fluctibus vnda,
Perque vias Vrbis plurima, perque domos.
Ducebatque rates, currus qua Roma fugacis
Puluere ſuſpenſas viderat ire rotas.
Larga ſubit furtim tacitæ ſub tempora noctis,
Et rapido mergit flumine lympha lares.

P. Tar. Gallutius l. 2. el. 19.

Sic cum valle caua ſcopulis hinc inde reuulſis
Procumbens medio curſu mons impedit amnem,
Aggere ſaxorum, & ſiluis obſtantibus vndæ
Aſſurgunt ſtagnante lacu, molemque ſuperſtant
Victrices: tum prona repens per ſaxa volutæ
Dant ſonitum, rapidiſque fremunt torrentibus inter
Luctantes ſcopulos, ſeque eiaculantur in auras
Stagna arctata vndis & iter ſibi ſpumea rumpunt
Per ſcatebras & mille ſecant ſola plana fluentis:
Præcipiti rapuere caſas, campumque ruina.

P. Ant. Millieus l. 7. Moyſ. Viat.

Ecce tibi ante alias Inſubribus orbita campis
Intulit errantem, quà formoſiſſimus vndas
Eridano Ticinus alit, Regique ſuperbo
Nobile cruentum ducit vectigal aquarum.
Imbre graues humeros, & non tractabile dorſum
Extulerat fluuius, ſolitoque tumentior æſtu
Alta coercebat ſpumantibus agmina labris.
Montanæ niuis, & liquefactam velleris vdi
Canitiem, teneraſque gelu ſoluente ruinas.

P. Vinc. Guiniſius car. 12.

Fluuius pontem excutiens.

Amnis vt incumbens longæui robora pontis
Aſſiduis oppugnat aquis, iam ſaxa fatiſcunt.
Emotæque trabes. tanto violentior ille
(Sæuit enim maiore ſalo) quaſſatque, trahitque
Molem ægram: nexus donec celer alueus omnes
Abſcidit, & curſu victor reſpirat aperto.

Statius l. 10. Theb.

Vix ea, cum cœcas ſubito digreſſus in auras
Flumen arenoſo tumefactum educere fundo
Tybrim exundantem, pontiſque abiegna tumultu
Spumifero quaſſare iubet. Vorat humida nutu
Pabula cœleſti fluuius, trabibuſque minatur
Et vinctas laxare potens, & frangere fluctu.
Ipſe procul fons, qui tenui lactencia rore
Labra rigat Tiberis, patefactis flumina laxis
Maior adulta parit; niuibuſque è rupe ſolutis,
Viſceribuſque cauis, & hiulcis culmine venis;
Pugnaces ſed enim iam formidabilis vndas
Tybris agit fœtus bello, totaque tumeſcens
Tempeſtate ruit: ſonituque, & vortice rauco
Iam quatit iliceam tremefacto pondere molem.
Ilicet impacto per ſumma reuoluitur æſtu,
Erectas quatiente trabes: perque ima refuſus
Fundamenta ſolo propellit, & hoſpita limo
Tigna mouet, cumuloſque vorat mordentis arenæ.
Ecce repercuſſæ violento flumine molis
Ima labant totiſque iterum certata procellis
Vlmea ſe validis ſoboles compacta procellis
Chaoniæque trabes ſcindunt, vaſtumque ruina
In lymphas ſubſedit onus compulſa fragore
Littora diſſultant: nubes it ſpumea cœlo.

P. Alex. Donatus l. 12. Conſt.

Concilium fluuiorum Latij.

NEc mora fit, iuſſi muſcoſa ſedilia complent:
   Officij præter publica verba ſilent.
Et niueis Clitumnus aquis miſſurus ad oras
   Romulidum quondam candida terga boum;
Et liquidi voluens graueolentes ſulphuris æſtus
   Albus: & abruptis Nar violentus aquis:
Et fremitu fingens Traſymenus amæna marino
   Littora, Troiugenum ſtrata cadaueribus:
Et Cluſina palus Tyberi grauis vnda: ſed illam
   Oppoſitis Petrus temperat obijcibus.
Et vetitam campis ſtagnare licentius alueo.
   Protinus egeſtis emoderatur aquis.
Huc coit, & Tibur, lapidoſis Albula ripis,
   Triſtior, & Naris gurgite peius olens:
Et paphias inter myrtos Digentia ſerpens,
   Qua tacitum gelido frigerat amne nemus:
Vndaque Blanduſiæ Venuſino ſueta ſuſurro
   Æmula Dircææ diſcere verba lyræ:
Vſticæque latex, vitreuſque Lucretilis humor,
   Mirus Acidalijs texere prata roſis,
Alliaque Æneadum faſtis damnata nefaſtis:
   Atque Acor: atque Acidæ gratus amator aquæ:
Et Fabaris tectorum opifex, & flumen Himellæ:
   Atque Almo adnatis glaucus arundinibus:

Popu-

Populeaque Vfens, texens vmbracula ſilua,
Amne nec audito murmura ſurda vehens:
Atque Anchiſiadæ fato veneranda Numici
Stagna Ducis, vulnus ſoſpes Iule tuum.
Nec bene dum Tyberi doctus manare ſecundus
Implacidis Anio præcipitatus aquis:
Regillique latus, & paruis culta Bouillis
Egerie, & ſaxis ſæpe retentus Aces.
Atque Albæ, atque æſtus Nemoris, Tepulæque Grauiſæ
Omnigeni nutrix floris, & Ancharia:
Et gelidæ Antemnæ, piſcoſa, & Fucinus vnda:
Et ſeptemgemino flumine Cutiliæ:
Iuliaque, & Glabra, & Virgo, atque Aurelia, & olim
Ælia nunc Felix, Claudiaque hauſta lacu:
Et centum ſine laude alij, ſine nomine fontes,
Humida plebs celebrant ſcrupea tecta Senis.
P. Ber. Stephonius el. 8.

Arnus.

ARnus quà liquidas euoluit in æquore moles
Tyrrhenos inter rex florentiſſimus amnes.
Ille tuis ſortitus aquas Tiberine gemellas,
Arida maternæ lacteſcit ad vbera rupis:
Fontibus epotis mox, & currentibus vndis
Paſcitur, & fluuios per ſaxa, per arua rapaci
Latior ore vorat, det amico vt pabula ponto.
P. Alex. Donatus l. 9. Conſt.

Atheſis.

SVccedit, tumidaque ſuam ſe mole per vrbem
Fert Atheſis, fugiens maternas paruulus Alpes.
Ille fluit ſitiens vndas, tenuique laceſſit
Alliſus ſcopulis ingloria murmura cornu.
Inde Tridentinos præterfluit accola muros,
Et fruitur ſtagnis per florea prata quietis;
Tum rigidos auſus celſa inter culmina montes
Tentare, incedit ſtrepitu violentus aquarum
Saxa per, & valles, reſonanſque ferocibus vndis
Veronam medius ripis abſcindit amœnis.
Idem l. 1. Conſt.

Danubius, & Rhenus.

PRominet Hercyniæ confinis Rhætia ſiluæ,
Quæ ſe Danubij iactat Rhenique parentem,
Vtraque Romuleo prætendens flumina regno.
Primo fonte breues, alto mox gurgite regnant,
Et fluuios cogunt vnda coeunte minores
In nomen tranſire ſuum, te Cimbria Thetis
Diuiſum bifido conſumit Rhene meatu.
Thracia quinque vadis Iſtrum vorat Amphitrite.

Prorupit, & præter fluentis
Regna procul, populoſque luſit
Errore lymphæ; degeneres ſimul
Ripaque, & immenſi hoſpitio aluei
Dignatus amnes, atque aquoſum
Immodico bibit ore cœlum:
Siluiſque, & aruis latius imperans
Ripam euagantis ſeditionibus
Metatur vndæ, iam natari
Difficilis, nimiuſque campi,
Venti pauentem non bene ſuſtinet
Dorſo phaſellum: lætior arduas
Subire bellantum carinas,
Et galeis, clypeiſque longè
Clarus videri; donec Iapygas
Amnes auari fluctibus Adriæ
Submiſit, & maiore ponto
Veliuolum dedit ire Martem.

P. Caſ. Sarbieuius l. 3 Ode 28.

Euphrates, & Tygris.

QVaque caput rapido tollit cum Tigride magnus
Euphrates, quos non diuerſis fontibus edit
Perſis, & incertum tellus ſi miſceat amnes,
Quod potius ſit nomen aquis, ſed ſparſus in agros
Fertilis Euphrates Phariæ vice fungitur vndæ.
At Tigrim ſubito tellus abſorbet hiatu,
Occultoſque tegit curſus, rurſuſque renatum
Fonte nouo flumen pelagi non denegat vndis.

Lucanus lib. 3.

Mincius.

CAſtra locat, nullis oriens quà fontibus exit
Mincius; at placidè ſtagnis emiſſa, paternis
Liquida Benaci ſoboles, per aprica quietis
Innutritur aquis, teneraue in arundine creſcit,
Murmura flexilibus cogens fluuialia ripis.

P. Alex. Donatus l. 6. Conſtan.

Moſella.

SAlue amnis laudate agris, laudate colonis
Dignata imperio debent cui mœnia Belgæ.
Amnis odorifero iuga vitea conſite Baccho
Conſite gramineas amnis viridiſſime ripas.
Vt fluuios, vitreoſque lacus imitare profundo
Et riuos trepido potes æquiparare meatu,
Et liquido gelidos fontes præcellere potu.
Tu placidis prolapſus aquis, nec murmura venti
Vlla, nec occultis pateris luctamina ſaxi,
Non ſuperante vado rapidos reparare meatus

Cogeris, extantes medio non æquore terras
Interceptus habes, iuſti ne demat honorem
Nominis, excluſum ſi diuidat inſula flumen.
Tu neque limigeris ripam prætexeris vluis,
Nec piger immundo perfundis littora cæno,
Sicca in primores ſpargis veſtigia lymphas
Spectaris vitreo per læuia terga profundo,
Secreti nihil amnis habes: vtque almus aperto
Panditur intuitu liquidis obtutibus aer;
Sic demerſa procul durante per intima viſu
Cernimus, arcanique patet penetrale fluenti,
Cum vada lene meant, liquidarum, & lapſus aquarum
Prodit cærulea diſperſas luce figuras.
Vſque ſub ingenuis agitatæ fontibus herbæ
Vibrantes patiuntur æquas, lucetque, latetque
Calculus, & viridem diſtinguit glarea muſcum.

Auſonius in Moſella.

Nilus.

NAm quæ Pellæi gens fortunata Canopi
Accolit effuſo ſtagnantem flumine Nilum,
Et circum pictis vehitur ſub rura phaſelis,
Quaque pharetratæ vicinia Perſidis vrget,
Et viridem Ægyptum nigra fœcundat arena,
Et diuerſa ruens ſeptem diſcurrit in ora
Vſque coloratis amnis deuexus ab Indis.

Virgilius l.4. Georg.

Qualis vbi auerſi ſecretus pabula cœli
Nilus, & Eoas magno bibit ore pruinas,
Scindit fontis opes, ſeptemque parentibus aruis
In mare fert hyemes, penitus ceſſere fugatæ
Nereides, dulcique timent occurrere ponto.

Statius l. 8. Theb.

Felix qui Pharias proſcindit vomere terras.
Nubila non ſperat tenebris condentia cœlum.
Nec grauiter flantes pluuiali frigore Coros
Inuocat, aut arcum variata luce rubentem.
Ægyptus ſine nube ferax, imbreſque ſerenos
Sola tenet, ſecura poli, non indiga venti.
Gaudet aquis, quas ipſa vehit, Niloque redundat.
Qui rapido tractu medijs elapſus ab Auſtris,
Flammiferæ patiens Zonæ, Cancrique calentis
Fluctibus ignotis noſtrum procurrit in orbem,
Secreto de fonte cadens, qui ſemper inani
Quærendus ratione latet: nec contigit vlli
Hoc vidiſſe caput. fertur ſine teſte creatus,
Flumina profundens alieni conſcia cœli.
Inde vago lapſu Libyam diſperſus in omnem
Æthiopum per mille ruit migrantia regna.
Cumque die Titana Canis flagrantior armat,

Nilo

Nilo bruma venit, contraria tempora mundo.
Effluit Ægeo ſtagnantior, acrior alto
Ionio, ſeſeque patentibus explicat aruis.
Fluctuat omnis ager; remis ſonuere nouales,
Sæpius æſtiuo iaceat cum forte ſopore
Cernit cum ſtabulis armenta natantia paſtor.
Claudianus in Epigr.

Rhodanus.

AGgeribus caput Alpinis, & rupe niuali
Proſilit in Celtas, ingentemque extrahit amnem
Spumanti Rhodanus proſcindens gurgite campos
Ac properè in pontum lato ruit incitus alueo.
Auget opes ſtanti ſimilis, tacitoque liquore
Mixtus Arar, quem gurgitibus complexus anhelis
Cunctantem immergit pelago, raptumque per arua
Ferre vetat patrium vicina ad littora nomen.
Sil. Italicus l. 3.

Tiberis.

ILli glauca nitent hirſuto lumina vultu,
Cæruleis inſecta notis, reddentia patrem
Oceanum; criſpo denſantur gramine colla
Vertice luxuriat toto crinalis arundo;
Quam neque fas Zephyris frangi, nec ſole peruſtam
Æſtiuo candore mori; ſed viuida frondet
Æquæuum complexa caput; taurina leuantur
Cornua, temporibus raucos ſudantia riuos
Diſtillant per pectus aquæ: frons hiſpida manat
Imbribus; in liquidos fontes ſe barba repectit.
Claudianus in Paneg. de Prob. Conſ.

Ticinus.

CÆrulas Ticinus aquas, & ſtagna vadoſo
Perſpicuus ſeruat ſcrutari neſcia fundo,
Ac nitidum viridi lentè trahit amne liquorem.
Vix credas labi; ripis tam mitis opacis
Argutos inter volucrum certamina cantus
Somniferam ducit lucenti gurgite lympham.
Sil. Italicus.

Lacus.

HAud procul Ætnæis lacus eſt à mænibus altus
Nomine Perguſa, non illo plura Cayſter
Carmina cygnorum labentibus audit in vndis
Silua coronat aquas cingens latus omne, ſuiſque
Frondibus, vt velo phœbeos ſummouet ignes.
Frigora dant rami, varios humus humida flores.
Ouidius l. 5. met.

Ecce etenim ouatum fecerunt Naiades orbem,
Orbem immerſum, altum, fundoque, labroque capace:
Ingens namque lacus medio diſtenditur alueo
Vtrinque expatians, modicum dein flexa ſub arcum
Cornua metarum tranſuerſo littore cogit.
Leuior hic glacie, & criſtallo læuior omni
Lympha quieta ſilet, non flatu mobilis vllo,
Non criſpata ſinus, niſi quando loquacibus vrnis
Improuiſum actæ fundo de gurgitis imo
Aſſiliunt laticum venæ, lapſuque ſonanti
Maternum plangunt alueum: tum murmure longo
Vnda gemit, ſe ſeque in plures circlnat vndas.

Apud P. Laur. le Brun. t. 1. eloq. Poet.

Riuus.

HAud procul hinc ſincerus aquæ ſe murmure rauco
Fons agit: humenti Nympham ſub fonte latentem
Flere putes, molleſque oculis euoluere guttas.
Tum ſe expreſſarum paſſim diuortia aquarum
Agglomerant, quà rupit iter per cæca viarum
Spiramenta latex: collectus cogitur humor
Rupe ſuper ambæſa, riuumque orditur: at ille
In vallem elapſus fugienti vortice fertur
Lubricus, multaque viam furatur arena. *Et inf.*
Non tamen hæ riuum illecebræ, non blanda fugacem
Vincla tenent; quà forma loci decliuior, illac
Præcipitat, iamque in modicos aſſurgere fluctus
Audet, & imbelli iam ſaxa laceſſere pulſu:
Iam ripæ intentare minas, & littora circùm
Ne quicquam obrepere, & ſpumis aſpergere truncos,
Sed fruſtra patriamque domum, cognataque rura
Riue fugis: premit vnda vndam ſerieque perenni
Stas ſimul, atque fugis: fluis, & ſimul alter, & idem
Ipſe tui fugitiuus, & in te alienus, & hoſpes:
Et quo præcipitem voluis procliuis vndam
Vnda magis ſua terga premit, fluctuque ſequaci
Iugis inexhauſtos fons ſufficit vſque liquores.

Ex P. Laur. le Brun. to. 1. Eloq. Poet.

Mons vbi vicinus nutu clemente ſupinus
Inclinat ſe ſe in valles, argenteus humor
Liquitur, & curſum in bibula molitur arena,
Pauper aquæ riuus, quem rupes arida nudas
Effuſum in ſilice ægrè connixa profudit
Illum adeo vndarum tenuem ſub luminis auras
Ire pudet, nondum ſe ſe committere valli
Nondum audet tolerare diem, namque ipſa pauentes
Atque verecundos, fecit penuria fluctus.
At quando tenues enixa rupe ſub auras
Ire datum eſt, vrgentque viam decliuia montis,
Ille vado alliſus per ſaxa, per obuia quæque
Hærendo ſe inopem excuſat: vix vallis euntem

In...

Incitat, aut pronis momenta liquoribus addit.
Si lapis, aut lapſus pendenti ex arbore ramus
Obijcitur, molles ſi radix herbida fibras
Egerit, at fundo ſi calculus hæſerit imo:
Ille moras circum geſtit fluitantibus vndis
Et trahere, & varios vitro ſibi tendere nexus.
Exin furtiuos ſe per deuoluere calles
Multipliceſque iterum reditus, certaſque viarum
Ordiri ambages, inopes prætendere fluctus
Errore atque mora: tum ſicubi forte per herbam
Pallet egens animæ muſcus, ſe gramen in imum
Et mille in ramos, ſe mille per ora refuſus
Multifido inſinuat lapſu: iuuat vſque morari,
Atque ſub obſcuris conſumere cautibus æuum.

Idem ibidem.

Fons.

ASpice depreſſis ſonitu, quæ perſtrepit aruis
Vnda cauum ſtagnans habitat ſecreta per antrum,
Saxaque lucentes irrorant tophina guttæ,
Et ſcaber humeſcit conuexo tegmine pumex.
Hinc iterum ſalientis aquæ collecta perrenant
Murmura, & in tenues colludit fiſtula lymphas.
In medio fontana ſedent, & marmora miris
Viua modis potant latices, atque ora quietis.
Contemplantur aquis, velantque ingentia muſco
Membra, neque aſſidua releuant aſpergine vultus.

P. Alex Don. l. 2. c. 5.

Multiplices aquarum luſus.

FOns ſonat in medio, ſemperque virentia muſco
Saxa irrorat aquis; prærupto ſcrupea dorſo
Imminet à tergo rupes: aqua culmine ſummo
Emicat, inde cadens vario liquidiſſima cliuo
Scinditur, & fontis ſubiecto conditur alueo,
Hinc atque hinc emiſſa cauis ceu pugnet in auras
Euolat vnda tubis: plumbo bibitura latenti
Ora decem iaculantur aquas: pars læua minatur,
Pars obuerſa fremit vitreos ſinuatur in arcus
Lympha fugax, ſeſeque vrget, ſeſeque volentem
Implicat, aeriaque diu teſtudine pendet.
Quid dicam, media quà tollitur apſide turbo
Spumeus, extremam ſeu marginat imbribus oram
Seu cadit irrorans, magnoque recondita ſubter
Æſtuat vnda lacu, tunditque coercita muros?
Quid dicam occulto feriunt quà ſpicula plumbo
Anguſtoque aditu ſe lympha erumpit, & ora
Seu ferit, aut ſubito pulſat veſtigia nimbo:
Ardua ſeu cœlum repetit, rurſumque perennes
Fontibus illabens renouat colliſa querelas?
Quaque pluit tenuis riuis rorantibus humor,

Et ſuper exeſo curuatus pumice fornix
Senſim inſtillat aquas ? Sed enim mox flumina largo
Ebibit alta ſinu, totoque è vertice nimbos
Agglomerat: ruit in præceps, & viſcera ab alto
Egerit, inferiorque ſuo fons æquore inundat.

Idem ibidem.

Ceu quondam ignatus ſeptis florentibus hoſpes
Spectatum ſubit imbriferi miracula fontis,
Pendentemque ſuper cameris pluuialibus vndam:
Illa canis tegit inſidias occulta doloſis,
Fiſtula nec latices aperit, nec murmura fundit.
Aſt vbi compoſitis conclauia picta lapillis
Muſcoſos propterque lacus, & fraude tumentes
Turba coit; tunc flumineis armata ſagittis
Limpha repente ferox ſurgit: tunc ſpicula cæcis
Proſiliunt iaculata tubis, percuſſaque terga
Clamantum, fronteſque, oculoſque liquentia figunt.
Deſuper vndat hyems nimbis, abſortaque ſubter
Horreſcunt iaculis: ferit vndique miſſilis humor,
Vndique tempeſtas aditus denſiſſima claudit:
Vulneraque ingeminant: pro ſanguine depluit imber
Spumeus amne natat fons, & mutatus in amnem

P. Al. Donatus l. 7. Conſt.

Machina hydraulica ad attrahendam aquam.

QVid prius hic mirer? molemne aduectaque plauſtris
Rudera, & oppletos auidæ telluris hiatus?
An latera, & geminas ſcalarum in fornice cryptas
Naiadum ſedem? tortis vbi limpidus humor
Exit epiſtomijs, mediæque in margine menſæ
Mille refert varias tubulo variante figuras,
Atque repentinis adſtantes proluit vndis.
Maiora occurrunt nam ſi petis vnde profuſo
Vbere tot ſcateant fluctus, cum proxima nullis
Terra fluat riuis ſurgunt in flumine pilæ
Parque moleſtrinis domus eſt, quæ gurgite ab imo
Surſum tollit aquas, & quos natura negauit
Arte facit fontes. ſtat hydraulica machina longis
Nexa trabes ſignis, hinc ſiphon plumbeus amni
Mergitur, in quo arctis compagibus embolus hæret:
Qui velut occulta promuſcide flumina libat,
Et vitreos latices auidis pulmonibus haurit,
Dumque rotam voluit fluuius, moleſque viciſſim
Depreſſa erigitur; gemit axis, & impete prono
Inferioris aquæ liquor ipſe inuitus inanem
Per tubulum aſſurgit, ſublataque opercula rurſus
Deſcendunt, reditumque negant. ſic aere ſupra
Extracto, clauſiſque infra, ne defluat humor
Ductibus, vnda intus quaſi anhela fauce laborans,

Cogi-

Cogitur alta ſequi, ſummumque aſcendere culmen,
Penè oblita ſui, & natiui ponderis expers
His excepta locis, plumboque incluſa capaci
Multifidas riguo per tecta ſuperba meatu
Diſtribuit venas, atque omnes irrigat hortos.
Apud P. Laur. le Brun. to. 1. El. Poet.

Organum hydraulicum. Vide infra Tit. Muſica.

TERRA.

PRincipio terram, ne non æqualis ab omni
Parte foret, & magni ſpeciem glomerauit in orbis.
Tum freta diffudit, rapidiſque tumeſcere ventis
Iuſſit, & ambitæ circumdare littora terræ.
Addidit, & fontes, & ſtagna immenſa, lacuſque
Fluminaque obliquis cinxit decliuia ripis,
Quæ diuerſa locis partim ſorbentur ab ipſis,
In mare p ouen iunt partim, campoque recepta
Liberioris aquæ, pro ripis littora pulſant.
Iuſſit, & extendi campos, ſubſiſtere valles,
Fronde tegi ſiluas, lapidoſos ſurgere montes:
Vtque duæ dextra cœlum, totidemque ſiniſtra
Parte ſecant zonæ, quinta eſt ardentior illis:
Sic onus incluſum numero diſtinxit eodem
Cura Dei, totidem plagæ tellure premuntur:
Quarum quæ media eſt, non eſt habitabilis æſtu:
Nix tegit alta duas: totidem inter vtramque locauit,
Temperiemque dedit miſta cum frigore flamma.
Ouidius l. 1. met.

Terra pilæ ſimilis nullo fulcimine nixa,
Aere ſubiecto tam graue pendet onus.
Ipſa volubilitas libratum ſuſtinet orbem:
Quique premat partes, àngulus omnis abeſt.
Cumque ſit in media rerum regione locata,
Et tangat nullum pluſue, minuſve latus,
Ni conuexa foret, parti vicinior eſſet,
Nec medium terræ mundus haberet onus.
Et quantum à ſummis tantùm ſeceſſit ab imis
Terra: quod vt fiat, forma rotunda facit.
Idem l. 6. Faſt.

Tu ſua tellurem collectam in pondera circum
Sponte ſuo ſubnixam oneri, fixuque perenni
Pendentem ab ſe ſe nullo fundamine libras,
Seu nobis natale ſolum, ſeu penſilis vltro
Naturæ momentum ingens, nec mobile pondus.
Illam inter vario florentes germine campos
Extollentem altis montana cacumina ſiluis,
Viſceraque abruptis pandentem effoſſa barathris,
Neptuno fœtam eſſe iubes, & fonte profundo.
P. Pulchrarellus l. 1. car. 1.

Su-

Suſtinet hanc ſcenam tellus ſtabilita polari
Axe ſuper, quamquam, & ſimilis iam iamque ruenti,
Pendulaque expectat caſum; radicibus hæret
Ipſa ſuis, atque indefeſſo vertice montes
Inconcuſſa gerit; fundataque mole ſua ſtat,
Haud virtutis egens alienæ, haud indiga fulcri,
Aſt oneris ſuper ipſa ſui libramine nitens
Ardua ponderibus ſuperaddita pondera ridet,
Et ſtans perpetui ſternit fundamina motus.

P. Laur. le Brun. in lib. Eccleſ.

Terremotus.

CVm ſubito cœco terra mugitu fremens
Concuſſa cœcos traxit ex imo ſinus:
Mouere ſiluæ capita, & excelſum nemus
Fragore vaſto tonuit, & lucus ſacer,
Idæa ruptis ſaxa ceciderunt iugis.
Nec ſola tellus tremuit, & pontus ſuum
Adeſſe Achillem ſenſit, aç ſtrauit vada.
Tunc ſciſſa tellus aperit immenſos ſpecus,
Et hiatus Erebi pervium ad ſuperos iter
Tellure fracta præbet, ac tumulum leuat.

Seneca in Troade ac. 2. ſcen. 2.

Cum ſubitus per ſaxa fragor, motique repente
Horrendum colles, & ſumma cacumina totis
Intremuere iugis: nutant in vertice ſiluæ
Pinifero, fractæque ruunt ſuper agmina rupes.
Immugit penitus conuulſis ima cauernis
Diſſiliens tellus, nec parvos rumpit hiatus:
Atque vmbras latè Stygias immenſa vorago
Faucibus oſtendit patulis, maneſque profundi
Antiquum expauere diem: lacus ater in altos
Sublatus montes, & ſede excuſſus avita
Lauit Thyrrenas ignota aſpergine ſiluas.

Sil. Italicus lib. 6.

Hinc ille, & motu faciliſque, & viribus acer
Spiritus, atque imas habilis penetrare cauernas,
Et rurſum violentus, atroxque erumpere, clauſtriſque
Incluſus fremit, & multus vacua atria verſat.
Ergo incerta ferens raptim veſtigia anhelus
Spiritus incurſat nunc huc, nunc pereitus illuc,
Exploratque aditum inſiſtens, & ſingula tentat,
Si quà forte queat victis erumpere clauſtris.
Interea tremit ingentem factura ruinam
Terra ſuis quatiens latas cum ciuibus vrbes:
Diſſiliunt auulſa iugis immania ſaxa.
Procumbunt turres, ſternuntur funditus arces,
Excidium vt magni iam iam timeatur olympi.

Iou. Pontanus in met.

Tunc

Tunc etiam tellus, ſeu ſpiritus ima rebellis
Libramenta ſoli quateret: ſeu funeris atri
Indignata nefas, puerilis, & vlta cruoris
Queſtu incendentes riuos, tremefacta ruinas
Moliri, & ſolidos rerum diſcerpere nexus.
Iam nutare domus motiſque ſonantia tectis
Culmina: tum ſubito murorum excuſſa tumultu
Marmora collidi.

P. Alex. Donatus l. 6. Conſt.

Non ſecus abrupta tellus compage profundos
Si mouit tremefacta ſinus, atque alta domorum
Tecta impulſa labant, agitataque terga fragoſis
Inclinat montana iugis; fluitantia ſubter
Qui ſola, iamque ſuo nutantem pondere mundum
Aduertit, iam iamque hauſtum, iam credit hiantem
Seque dehiſcenti raptum deſcendere campo;
Implorat clamore fugam, cui ſubijcit alas
Terror; at immotis idem ſua funera plantis,
Venturæque gemit motumque moramque ruinæ.

Idem l. 12. Conſt.

.... latebras ſoluit telluris opacæ
Sede ſua Virgo Byzanti protinus vrbem
Sedibus auulſi clauſi quatit impete venti:
Arcus, templa, arces proprio ſub pondere nutant:
Mœnia fracta tremunt: fit & ipſa cuniculus ardens
Frigida formido, dum quaſſat marmora: pendent
Ardua concuſſis radicibus eruta tecta
Luctus vbique horret: dum ſtagnant lumina fletu
Flumina ſiccantur: fontes trepidantibus vndis
Incœptos reuocant curſus, atque arida fraudant
Labra: monet ciues iam deſperare ſalutem
Terribili ſonitu tellus, ſubitiſque dehiſcens
Motibus inuiſum pandit laxata ſepulcrum.

P. Car. de Luca l. 11. Laur. Dom.

Repentinus terra hiatus.

HÆc ſimul; & bullire ſolum, ſubterque moueri,
Incipit, vndanteſque ſuper voluuntur arenæ;
Fluctuat, elatoque tumet velut æquore campus;
Franguntur valido eliſi iam murmure fluctus,
Incluſique tonant abrupto carcere venti.
Fit via vi; diræque faces Phlegetontis ab æſtu
Erupere; vomunt atram ſpiracula nubem.
Auditæque canes cœcis vlulare cauernis,
Cornuaque Eumenidum vaſto exaudita profundo,
Iam terra ſcindente ſinus, abrupta repente
Ingenti, ſubterque reos, diſcedit hiatu,
Et vaſtas aperit fauces, pallentia iam hauſit
Sontibus ora pauor, glaciataque pectora terror.
Iamque vlulant titubante ſolo, & ſalientibus altè

Sce-

Scennarum, excuſſiſque ſolo vibrante tabernis.
Cuncta ruunt; & ſub pedibus patefacta vorago
Tecta viroſque rapit.

P. Ant. Millieus Moyſ. Viat. l. 17.

Terræ ſiccitas.

PRotinus Inachios haurit ſitis arida campos;
Diffugere vndæ, ſqualbent fonteſque, lacuſque,
Et caua feruenti dureſcunt flumina limo
Ægra ſolo macies, tenerique ab origine culmi
Inclinata ſeges; decep um margine ripæ
Stat pecus, atque omnes quærunt armenta natatus.
Aret Lerca nocens, aret Lyrcæus, & ingens
Inachus, aduolueuſque natantia ſaxa Charadrus.

Statius l. 4. Theb.

Sæuit, & vltores accendens Cynthius æſtus
In tua damna furit; cumque altum effertur in orbem
Hæret in inuiſam fingens fera lumina terram,
Sanguineoque rubet vultu; quoque ocyus omnem
Ebibat humorem cancrum tenet vſque calentem,
Feruidaque æſtiferi aſſiduus premit ora leonis.
E tepido ſi quando ſinu circumflua Thetis
Exhalat tenues nebulas. torrentibus aſtris
Non coeunt nubes, nec inania vellera pendent.
Fontibus exhauſtis Nymphæ latuere ſub antris,
Languor, & abſumptos igni piger alligat amnes;
Iamque putris tellus nulla radice tenetur,
Puluere iam ſegetes, Bacchus iam puluere manat,
Aridaque inſano coquitur vindemia Phœbo.
Talis, & arboribus ſerpit ſitus; horrida frondes
Exurit macies, radixque immortua arenis
Almos pallenti trunco non ſufficit imbres.

Apud P. Laur. le Brun 40. l. eloq. Poet.

Vide ſupra Tit. Æſtas.

Quatuor Terræ partes matronarum ſpecie.

...... rapidis Europa curilibus ibat
In Solymas Regina plagas, iuga regia currus
Fert auis alituum princeps ſociata Leoni.
Alis illa, iubis ferit hic refluentibus auras.
Auguſtæ non gemma comis, non fulgurat aurum,
Non vernant flores; ſed fictæ lumine turres
Et caſtella ardent..
Africa pernices ſuſpendit in aere bigas
Quas geminæ vectant humero ancillante leænæ
Nuda trucem velant Elephantis crania frontem:
Ardent in nigra ramoſa corallia dextra:
Ore iacit nebulas; nebula ſed clarius extant
Gaudia, Sollicitat bijugos per inane camelos

Et

Et lacrymis Aſia irrorat mœſtiſſima nubes.
Serta comas frœnant, violis ſed pallida: veſtis
Non margaritis candet, flagratque pyropis:
Vnica gemma coruſcantes carbunculus vmbras
Exhibet ad Dominæ luctum, pompamque doloris,
Extinguunt quoque thura diem caligine ſacra.
Aduentat iaculis, quę ſepit America crines,
Texit, & innumeris volucrum ſibi ſyrmata pennis.
Non modo ſanguineis oculis, non pectore cœdes
Expira Matrona ferox; ſed temperat ignes
Imbre voluptatis, rutilatque in fulgure riſus.
P. Car. de Luca l. 10. Laur. Dom.

Aſia.

QVa celer, & rectis deſcendens Marſya ripis
Errantem Mæandron adit, miſtuſque refertur,
Paſſaque ab auriferis tellus exire metallis
Pactolon; qua culta ſecat non vilior Hermus.
Iliacæ quoque ſigna manus, perituraque caſtra
Ominibus petiere ſuis: nec fabula Troiæ
Continuit, phrygijque ferens ſe Cœſar Iuli.
Accedunt Syriæ populi: deſertus Orontes,
Et felix, ſic fama, Ninos: ventoſa Damaſcus,
Gazaque, & arbuſto palmarum diues Idume,
Et Tyros inſtabilis, pretioſaque murice Sidon.
Deſeritur Taurique Nemus, Perſæaque Tarſos
Coryciumque patens exeſis rupibus antrum.
Mallos, & externæ reſonant naualibus Ægæ,
Itque Cilix iuſta iam non pirata carina
Quà colitur Ganges, toto qui ſolus in orbe
Oſtia naſcenti contraria ſoluere phœbo
Audet, & aduerſum fluctus impellit in Eurum.
Quaque ferens rapidum diuiſo gurgite fontem
Vaſtis Indus aquis miſtum non ſentit Hydaſpen.
Quique bibunt tenera dulces ab arundine ſuccos,
Et qui tingentes croceo medicamine crinem
Fluxa coloratis aſtringunt carbaſa gemmis.
Quique ſuas ſtruxere pyras, viuique calentes
Conſcendere rogos. pariter venere feroces
Cappadoces, duri populus nunc cultor Amani,
Armeniuſque tenens voluentem ſaxa Niphatem.
Ignotum vobis Arabes veniſtis in orbem
Vmbras mirati nemorum non ire ſiniſtras.
Lucanus lib. 3.

Ergo omnes lex vna mouet ſua nomina mittunt
Qui montes Aurora tuos, regna illa feracis
Armeniæ, qui conualles, atque alta Niphatæ
Saxa tenent, longè pictis gens nota pharetris,
Gens fines luſtrare ſuos non ſegnis, & arcu,
Quà vagus Euphrates, qui devius exit Araxes.
Cenſetur Tauri paſſim, cenſetur Amani

In-

Incola prædatorque Cilix, & Iſaurica quiſquis
Rura domat: quicunque tuas Pamphylia ſiluas,
Quique Lycaoniam felicia iugera, quique
Flauentem curuis Lyciam perrumpit aratris.
Iam clari bello Leleges, populique propinqui
Iuſſa obeunt: gens quæque ſuo dat nomina ritu:
Qui Ceramon, bimaremque Guidon, quique alta tuentur
Mœnia, diſpoſitis vbi circumſepta columnis
Tollit ſe niuei moles operoſa ſepulcri.
Barbara quam rapto poſuit Regina marito,
Et quos Mæandri toties ludente recurſu
Vnda rigat tunc ipſe ſuo mox amne Cayſter,
Herboſo niveos dum margine paſcit olores.
Quoſque metalliferis veniens Pactolus ab antris
Circuit, & rutila non parcior Hermus arena
Myſorum manus omnis, Apollineæque Celenæ,
Idaque, Rhotæ que arces, celebrataque muſis
Pergama, Sigæumque iugum, Priameia quondam
Regna armis, ducibuſque ducum nunc nota ſepulcris
His & Bithinæ claſſes, & Pontica latè
Accedit regio, paret ſcopuloſa Carambis
Parendi ſtudio feruet ſimul alta Sinope,
Feruet Halys: quiſquis immenſis procul omnibus auctus
Cappadocum medios populos diſcriminat Iris,
Thermodoonque Halybeſque attritaque ſaxa Promethei.

Sannazarius l. 2. de partu.

Europa.

PRæterea quà ſe Thracum Mauortia tellus
Pandit, & algentem Rhodope procurrit in Æmum
Qua Macedum per ſaxa ruit torrentibus vndis
Axius, vmbroſæque tegunt Halyachmona ripæ;
Quaque iacet diris omen Pharſalia bellis,
Et bis Romana ferales clade Philippi:
Conueniunt populi certatim, & iuſſa faceſſunt.
Tum latus Epiri, quà formidabile nautis
Attollunt ſummo caput Acroceraunia cœlo,
Vrget opus iamque Alcinoi dat regia cenſum,
Illyricæque manus, impacatique Liburni,
Littoraque Ionio paſſim pulſata profundo.
Deſcripſere ſuos, quamuis non axe ſub vno,
Hinc Rhenus pater indigenas, hinc latior vndis
Danubius: qui ſiluarum per vaſta volutus
Paſcere non populos, non lambere deſinit vrbes,
Donec ad optatam rapido venit agmine Peucen.
Quin & proceras ſcrutatur Gallia ſiluas,
Gallia Cœſareis Latio dignata triumphis:
Quam Rhodanus, qua findit Arar, quam permeat ingens
Sequana, piſcoſoque interluit amne Garumna.
Tum quas piniferis gentes prærupta Pyrene
Rupibus Herculeas proſpectat ad vſque columnas,

Co-

Cogit Anas, cogit ripa formoſus vtraque
Duria, & albenti Bætis præcinctus oliua,
Auratamque Tagus voluens ſub gurgite arenam,
Quique ſuo terras inſignit nomine Iberus.
Sannazzarius l.2. de partu.

Africa.

ÆOlijs candens auſtris, & lampade phœbi
Æſtiferos Lybiæ torquetur ſubdita Cancro,
Aut ingens Aſiæ latus, aut pars tertia terris.
Terminus huic roſeos amnis Lageus ad ortus
Septeno impellens tumefactum gurgite pontum.
At qua diuerſas clementior aſpicit Arctos
Herculeo dirimente freto, diducta propinquis
Europes videt arua iugis: vltra obſidet æquor
Nec patitur nomen proferri longius Atlas.
Sed quà ſe campis ſqualentibus Africa tendit,
Serpentum largo coquitur fœcunda veneno.
Felix quà pingues mitis plaga temperat agros
Nec Cerere Ennæa, Phario nec victa colono
Hic paſſim exultant Numidæ, gens inſcia frœni.
Sil. Italicus l.1.

Parte alia vaſtas circumuocat Africa vires:
Getuli. Maurique duces rimantur opaci
Atlantis nemora, & diſperſa mapalia ſiluis.
Maſſylum quicumque domos, quicumque repoſtos
Heſperidum lucos, munitaque montibus arua
Incolit, & ramis natiuum decutit aurum.
Et qui vertentes immania ſaxa iuuencos
Flectit arans: qua deuictæ Charthaginis arces
Procubuere, iacentque infauſto in littore turres,
Iamque Macas idem ardor habet: venere volentes
Barcæi, venere ſuis Naſamones ab aruis:
Poſtremò Pſylli, Garamanticaque arua tenentes:
Quique Cyrenæas ſuſpendunt vomere glebas,
Laudataſque legunt ſuccis præſtantibus herbas:
Maryaricas qui latè oras: qui paſcua ſeruant
Ægypti, Meroeſque, ſacer quos Nilus inundat.
Sanazzarius l.2. de partu.

Aſpice quàm lętis iactet ſe ſe Afrrca ſatis
Illam ingens, curuis Nereus amplectitur vlnis,
Ceu cuſtos, totamque videt: ni faucibus obſtet
Vna Pharos, geminumque ſolo diſcriminet æquor.
Ridet cultus ager: facili ſata crepita ſurgunt
Fœnore: magnanimi celebrant deſerta leones
Et dites ſtrident ebora inter candida ſilua.
Heſperidum hęc fuluos genuit terra aurea ramos,
Heſperidumque Atlanta patrem, qui vertice magno
Arduus in miſeras cœlum deſcendere gentes
Non ſinit, aut tectis ſordeſcere ſidera terris.

Hic

Hic tepidus lauit naſcentem Pallada Triton,
Hic & fatidicus medijs in ſyrtibus Ammon
Haud ſitit, & multa velat ſua cornua ſilua.
Nos Pater Armipotens, nos & Iunonia ſeruant
Numina, nec montes ſpernit Deus ales auitos.
Io: Barclaius Argen. l. 4.

REGIONES, PROVINCIÆ, REGNA.

Italia.

SEd neque Medorum Siluæ ditiſſima terra,
Nec pulcher Ganges, atque ditiſſima terra,
Laudibus Italiæ certent non Bactra, neque Indi,
Totaque thuriferis Panchaia pinguis arenis.
Hæc loca non tauri ſpirantes naribus ignem
Inuertere, ſatis immanis dentibus hydri:
Nec galeis, denſiſque virum ſeges horruit haſtis:
Sed grauidæ fruges, & Bacchi Maſſicus humor
Impleuere; tenent oleęque, armentaque læta.
Hinc bellator equus campo ſe ſe arduus infert:
Hinc albi Clitumne greges, & maxima taurus
Victima, ſæpe tuo perfuſi flumine ſacro
Romanos ad templa Deum duxere triumphos.
Hic ver aſſiduum, atque alienis menſibus æſtas:
Bis grauidæ pecudes, bis pomis vtilis arbos:
At rabidæ tigres abſunt, & ſæua leonum
Semina: nec miſeros fallunt aconita legentes:
Nec rapit immenſos orbes per humum neque tanto
Squameus in ſpiram tractu ſe colligit anguis.
Adde tot egregias vrbes, operumque laborem,
Tot congeſta manu præruptis oppida ſaxis,
Fluminaque antiquos ſubter labentia muros.
An mare, quod ſupra, memorem, quodque alluit infra
Anne lacus tantos? te Lari maxime, teque
Fluctibus, & fremitu aſſurgens Benace marino?
An memorem portus? Lucrinoque addita clauſtra?
Atque indignatum magnis ſtridoribus æquor?
Iulia qua ponto longè ſonat vnda refuſo.
Tyrrhenuſque fretis immittitur æſtus Auernis.
Hęc eadem argenti riuos, æriſque metalla
Oſtendit venis, atque auro plurima fluxit.
Hæc genus acre virum, Marſos, pubemque Sabellam,
Aſſuetumque malo Ligurem, Volſcoſque verutos,
Extulit: hæc Decios, Marios magnoſque Camillos,
Scipiadas duros bello, & te maximè Cæſar,
Qui nunc extremis Aſiæ iam victor in oris
Imbellem auertis Romanis arcibus Indum.
Virg. l. 2. Georg.

Hęc

Hæc placuit belli ſedes: hinc ſumma mouentis
Hoſtis in occurſum ſparſas extendere partes,
Vmbroſis mediam quà collibus Apenninus
Erigit Italiam: nullo qua vertice tellus
Altius intumit, propiuſque acceſſit Olympo.
Mons inter geminas medius ſe porrigit vndas
Inferni, Superique maris, colleſque coercens,
Hinc Tyrrhena vado frangentes æquora Piſæ.
Illinc Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon.
Pontibus hic vaſtis immenſos concipit amnes,
Fluminaque in gemini ſpargit diuortia ponti,
In læuum cecidere latus veloxque Metaurus,
Cruſtumiumque rapax, & iunctus Sapis Iſauro,
Sennaque, & Hadriacas qui verberat Aufidus vndas.
Quoque magis nullum tellus ſe ſoluit in amnem
Eridanus, fractas deuoluit in æquora ſiluas.
Dexteriora petens montis decliuia Tybrim
Vnda facit, Rhutubamque cauum: delabitur inde
Vulturnuſque celer, nocturnæque editor auræ
Sarnus, & vmbroſæ Liris per regna Maricæ
Veſtinis impulſus aquis, radenſque Salerni
Culta Siler, nullaſque vado qui Macra moratus
Alnos vicinę percurrit in ęquora Lunę.
Longior educto quà ſurgit in aera dorſo,
Gallica rura videt, deuexaſque aſpicit Alpes.
Tunc vmbris, Marſiſque ferax, domituſque Sabello
Vomere, piniferis amplexus rupibus omnes
Indigenas Latij populos, non deſerit ante
Heſperiam, quam cum Scylleis clauditur vndis,
Extenditque ſuas in templa Lacinia rupes
Longior Italia, donec confinia pontus
Solueret incumbens, terraſque repelleret ęquor.

Lucanus l. 2.

Sic læto fœcunda ſinu parit Itala fruges
  Terra, nec externis ſupplicat vna plagis.
Illi pomiferis pugnet non altera ſiluis,
  Nulla pares Cereris munere iactet agros
Quis mihi ſepoſitos laudat procul orbe Britannos?
  Quæque per arctoas exit ariſta plagas?
Mollibus Heſperię quis fingit nomina lanis,
  Quas dat arenoſo paſta capella ſolo?
Hic pecus, hic matura ſeges, pręſſuſque racemis
  Effluit ambroſio dulcior amne liquor.
Menſibus hybernis tepidę dant paſcua valles,
  Æſtiuo repetit culmina Sole pecus.
Aſpice fœcundor montis ſine vertice campos,
  Latior Alpinas qua Padus vrget aquas.
Gallia quà gentes ſeponit flaua Togatas.
  Et Longobardos flexit Alanus equos.
Aſpice felici quà ſe Campania tractu
  Explicat, & tepidis littora curua fretis
Alta maritales ibi Populus implicat vuas,

At-

Atque replet dulces penſilis vua cados.
Cerne vbi ſe campis attollit Roma latinis
Et domini illabens Tybridis vnda fluit.
Culta Ceres grauidis flaueſcit aceruis:
Roriferis habitant mitia poma iugis.
Aſpice montoſis quà ſurgit Hetruria terris,
Et regio ſenis orbibus vna patet
Vndique naſcentes miraberis arbore fruges,
Caudice & è bifero poma ſecunda leges.

P. Alex. Donatus l. 3. el. 5.

Hiſpania.

QVid dignum memorare tuis Hiſpania terris
Vox humana valet? primo lauat æquore Solem
India tu feſſos exacta luce iugales
Proluis, inque tuo reſpirant ſidera fluctu.
Diues equis, frugum facilis, pretioſa metallis,
Principibus fœcunda pijs, tibi ſæcula debent
Traianum, ſeries his fontibus Ælia fluxit.
Namque aliæ gentes, quas fœdere Roma recepit,
Aut armis domuit, varios aptantur in vſus
Imperij, Phariæ ſegetes, & Punica meſſis
Caſtrorum deuota cibo; dat Gallia robur
Milites: Illyricis ſudant equitatibus alę.
Sola nouum latijs vectigal Iberia rebus
Contulit, Auguſtos. fruges, æraria, miles
Vndique conueniunt, totoque ex orbe leguntur:
Hęc generat, qui cuncta regant.

Claudianus de Serena.

Hiſpanis Auguſta plagis, venerata per orbem
Aula ingens, Regumque altrix, decorumque creatrix:
Cui Sol nocte iubar deponit, & aurea frontis
Lumina credit aquis veniens captiuus Iberis:
Heſperus occiduis oriens cui lotus in vndis
Pronus adorantes inclinat ab æthere currus.
Quid memoras geminos effundere iura per axes?
Et patere tuis vtroque ab littore gentes
Legibus? incaſſum nitidi congeſta metalli
Pondera, torrentique ſolo gemmantia ſaxa
Fundit ab auriferis pretioſa Peruuia terris,
Iam tibi fruſtra oriens, & diuitis India ponti
Roſcida fœcunda referat conchylia partu.

P. Alex. Donatus l. 2. car. 16.

Hiſpania cum regionibus illi ſubiectis.

HOrum igitur famulo ſubeant veſtigia greſſu
Regna, nec ad mœſtam tœdeat ire pyram,
Cantabria ante omnes ſeſe vehat ardua vultu,
Cui teretes tollant mœnia multa ſudes

Ex-

Explicet inde gradus genitrix Aragonia Regum,
Et ſtipata ſuis vrbibus agmen agat.
Cæſaris Auguſti tellus flaueſcat in auro,
Oſcaque, Sertorij cæde cruentus ager
Nec procul ingentes auguſtæ Bilbilis arces,
Quas Salo mentitis cingat ahenus aquis.
Inde ſecuturos glomeret Catalaunia greſſus,
Et pullo mæſtam Syrmate vertat humum.
Quam circum auratas ſuſtollat in aere turres
Barcino, & irriguis diues Ilerda vadis.
Ficta ſit, at veros imitetur Tarraco muros,
Tarraco, Scipiadæ quam coluere Duces.
Augeat inceſſu celebrent Gallæcia pompam.
Queque ſuam niueis nomen inuſſis equis.
Hic celſam attollat formoſa Valentia frontem,
Murciaque & pingui ſparſa Granata ſolo.
Nec procul abſtineat longos Bethuria tractus,
Nec Tarteſſiacus quæ loca Bœtis arat.
Quidquid Atlantea protenditur Amphitrite,
Et Luſitano regna ſuperba ſalo.
Tu quoque gemmatis Peruvia diues arenis
Hic eris, atque auro ſculpta ferere tuo.
Non deſit medio quę torrida ſubiacet axi
Sparſa Philippinis inſula multa plagis.
Tirrhenique maris Regina Neapolis adſit
Syrenaſque ſuas ad pia buſta vehat.
Singula quid memorem? reliquis iam rebus abundat,
Auſtriacum numero ſed caret imperium.
Summa ſequar. Caſtella ſuas ferat vtraque ſedes,
Vltima cenſendi lege, dolore prior,
Hic placidi colles, & Oleti mœnia Vallis,
Regum erat; at veris regia ſemper erit.
Seu tu grande forum Sophię Salmantica, ſeu tu
Complutum ſimili merce beata domus.
Et Toletano Romana colonia cliuo,
Quam ſuus aurato circuit amne Tagus.
Carpetana mihi claudat iam Mantua pompam,
Cœteraque hic ſupra fercula creſpat apex.

P. Vinc. Guiniſius eleg. 3.

Paradiſus Terreſtris.

Est locus Eoo mundi ſeruatus in axe
Secretis natura ſuis: vbi Solis ab ortu
Vicinos naſcens Aurora repercutit Indos.
Lucus inacceſſa cunctis mortalibus arce
Permanet æterno concluſus limite: poſtquam hinc
Decidit expulſus primęui criminis auctor.
Non hic alterni ſuccedit temporis vnquam
Bruma, nec æſtiui redeunt poſt frigora ſoles.
Hic ver aſſiduum cœli clementia ſeruat,
Turbidus Auſter abeſt, ſemperque ſub aere ſudo

Nu-

Nubila diffugiunt iugi ceſſura ſereno.
Perpetuò viret omne ſolum, terræque nitentis
Blanda nitet facies, ſtant ſemper collibus herbæ,
Arboribuſque comæ: quæ cum ſe flore frequenti
Diffundunt, celeri ſolidant ſua germina ſucco:
Nam quidquid nobis toto nunc naſcitur anno,
Menſtrua maturo dant illi tempora fructu.
Lilia perlucent nullo flaccentia ſole
Nec tactus violat violas, roſeumque ruborem
Seruans perpetuo ſuffundit gratia vultu.
Sic cum deſit hyems, nec torrida ferueat æſtas,
Fructibus Autumnus, ver floribus occupat annum.
Alc. Auitus lib. I.

Ampla per Eoos protenditur area colles,
  Area pomiferis vndique ſepta iugis.
Intus opima petent rigui viridaria campi,
  Omnia diuina culta vireta manu.
Ipſa locum toto ſi quærat in orbe voluptas
  Non alium toto malit in orbe locum.
Ver ibi perpetuis pubentia floribus arua
  Pingit, habentque ſuas omnia prata roſas,
Et viola tellus, thymbraque, thymoque, crocoque
  Fragrat, & hoc totus gramine vernat ager,
Pars folio monſtrat candentia lilia pando,
  Tegmine pars croceo, purpureoque rubet.
Anguus ingenuo prætexitur omnis acantho,
  Vlicinumque omnis planta amaranthon habet.
Quid memorem celſas poſito quincunce cupreſſus,
  Lignaque famoſas inter odora cedros?
Sunt ibi pampineis implexæ frondibus vlmi.
  Et grauido gemmas palmite Vitis agit.
Regia laurus ibi eſt, & amans ſua littora myrtus,
  Adſitaque eſt ceraſo malus, oliua pyro
Fertile vbique ſolum, & læto nemus vbere quidquid
  Parturit, aut mel eſt, aut bona mellis habet.
Omnibus vna tamen procerior eminet albos,
  Quæ folijs totam ſubter opacat humum.
Pomaque confertim vitalibus aurea ramis,
  Miro neſcio quo tincta ſapore parit
Æternam guſtata iubent renouare iuuentam,
  Corripiat feſſos ne qua ſenecta pedes.
Nullum à morte malum, neque lenti tædia morbi,
  Fortunæque nihil triſte timere ſinunt.
Prætereo genus omne dapes, inarata ferebant
  Arua ſuas fruges, arbor inempla ſuas.
His inerant omnes, quos vellent ora ſapores:
  Sedebantque datam quique, dabantque famem.
Hac ego ter felix Regina vagabar in aula,
  Omniſque imperio paruit aula meo.
Certabant placidæ veſtigia lambere tigres,
  Et leo demiſſis ſubdere colla iubis.
Ad nutum volucres, & turba canora vocatæ

Inſedere meas, nec timuere manus.
Cum volui venere grues, venere palumbes,
Venit ab ipſe ſuis cygnus, & anſer aquis.
Pſittacon optabam noſtro ore audire loquentem,
Audieram noſtro pſittacon ore loqui
Votum erat vmbroſas aliquas percurrere valles:
Ad votum vmbroſæ copia vallis erat:
Spirabant zephyri, dominæque fauere iubenti
Certabant ſtudijs ventus, & aura ſuis.
Et Soles aderant, ſed nulli in ſole calores:
Et ſine conſueto florida bruma gelu.
Denique quidquid erat quod amari poſſet, habebam,
Et procul aſpectu, quidquid obeſſet, erat.
P. Iac. Bidermanus Heroid. el. 3.

Speculemur hortum: cuius in medio ſinu
Fatale par mortalium,
Ducebat hilares Sponſa cum Sponſo dies
Coſtæ mariti filia.
Nemus illud, in quo degere ætatem Deus
Vtrique iucundam dedit;
Manabat omni gaudiorum copia,
Nullas vices pauentium.
Irrigua tellus quatuor fontes bibit,
Fœcunditatis oſtia.
Glebam feracem non colonus ſarculis,
Non ſauciabat vomere:
Sed Zephyrus vnci dentis integerrimam
Præuenit almo flamine.
Suaue ſponte roſcidis ſiluæ comis
Riſere, campi floribus.
Hic illa Noſtra, & ille Noſter hoſpites
Vixere ſani corporum.
Vixere nullis febrium, vel aeris
Iniurijs obnoxij.
Calx ambulantum quidquid attigit, roſa
Vel mollius roſa fuit.
Acceſſit inſons grex adulantum, latus
Herile circumſtantium.
Miſcebat æther alitum ſymphoniam,
Sicut vides in æthere.
Quoties Ænon multiplex de populo
Ad carmen inuitauerit?
Quoties ocellis Pauo coram cernuis
Et ponè, & ante luſerit?
Et vt referret laudis aliquod præmium
Caudæ explicarit ſyrmata?
Aſtrauit vngues hic leæna ſupplices,
Hinc prona taurus cornua:
Maculoſa pellem tigris inde, & languidam
Barrus niger proboſcidem.
P. Iac. Balde Ode Partic. 64.

Campus erat: campo quot habet natura colores
Sparſerat. ipſa ſibi ver faciebat humus.
Fons ſacer in medio: fonti manantia longe
Flumina, bis geminis flumina ſciſſa vijs.
Ripa viret muſco: campus viret: herbidus omni
Parte color, ſi non ipſa ruberet humus.
Creditur hic concors vna iacuiſſe ſub vmbra
(Hæc pax illius temporis) agna lupo
Creditur hic ſerpens, & nondum lethifer hydrus
Nexibus, aut morſu nil nocuiſſe ſuo.
Non hic herba nocens, non radix vlla legenti
Obfuit: ignotum toxica nomen erant:

P. Iac. Vuallius eleg. 1. el 5.

. . . . Hic area mundi
Pulchra pater ſuperum labor, & ſecreta voluptas,
Orbis amor, qualem non vnquam Theſſala Tempe,
Non Baiæ videre locum, non florida tellus
Phæacum, aut Afris exculta ſororibus arua
Heſperidum, vel quę ſuſpendit in aere fruges
Alta ſuas Babylon, rariſque Semiramis auſis.
Hic ver perpetuum caput inuiolabile nimbis
Exerit, & flores vltro protrudit apricos
Improba nubiferę procul inconſtantia brumæ,
Et peccans Autumnus abeſt; ſe longius Æſtas
Explicat, & culmis turgens Cerealibus vſque
Luxuriat, totuſque fluit ſub menſibus annus.
Non rigidis armenta iugis, non taurus aratro
Ingemit, aut ſulco attritus ſplendeſcere vomer
Sæuit, & iratę dentem defigere terræ.
Non inuita grani purgatur vinea caſtro,
Conuelliţque labor glebam; ſe ſponte relaxat
Vis geniuſque loci, & duros exoſa labores
Veſta ſinus faciles aperit, non incubat herbis
Tempeſtas, Boreæque furor, ſed amœnior aura
Per noua laſciuo diſcurrit prata volatu,
Cunctaque mulcenti fœcundat gramina flatu.
Omne ſolo lolium, ſteriliſque abſcedat auena.
Nec vitium natura facit, ſed prouida caſus
Præuenit, & nullo fœtum deformat abortu.
Non glaciem gelidaſque niues, friguſque minatur
Sarmaticum trux Vrſa ſatis, teneramque pruinas
Exurunt acres Cererem non diluit illam
Imber, & infeſto truculentior afflat Orion
Sidere, vel rabido pertorret Sirius aſtro.
Inconcuſſa ſalus habitat: nec lurida morbi
Corpora, & occultæ vexant animalia flammæ,
Et lethi genus omne, & fracta ætate ſenectus.
Purior inuiſis purgatus ſordibus aer,
Et propria bonitate nitet. non ſquallidus humor
Pallenti liueſcit aqua, nec fulmina ſparſo
Igne nocent, tonitroque boant conuexa ſeuero,
Aut trepidans vibratur humus, tumet omnis in herbam,

Et

Et ſibimet blanditur ager, nec triſte venenum
Parturit; & prauis ſtillantia toxica ramis
Non viroſa truces lambunt aconita dracones,
Non clam puniceis vſquam permixta vireſcit
Dira cicuta roſis ſpinis paliurus acutis
Exulat, & pungens tribulus. non vipera morſu
Enecat, & ſæuo metuendus ſcorpius ictu.
Nulla ſibi cæci fœdere cubilia talpæ,
Nulla trahunt lento cochleæ veſtigia greſſu,
Nulla ruinoſos intexit aranea poſtes,
Aut malus horrificis immugit bubo tenebris.
Cymbia lacte fluunt, ſudant opobalſama frondes,
Thuraque, tunc nondum ſacris accenſa Deorum.
Spumant mella fauis, criſpantia vellera & armos
Lanigeræ mirantur oues. ros iugiter hortum
Irrigat, & nulla premitur caligine pulcher. *Et inf.*
Ne mihi Phocæos colles, Heliconaque ſacrum,
Aut Aganippæas obiectet Græcia ripas.
Hic nemus Elyſium eſt, ſtatio gratiſſima vitæ,
Plena voluptatum domus, opportuna bonorum
Regia, tuta quies, nullus pauor, optima rerum
Et mundi facies, & pleno copia cornu.
Gaſp. Barlæus Heroic. I.

Qua Paleſtinum Damaſcus porrigi campum verat
Atque odoram Sole diues torrido glebam coquit
Æmulum beatus aſtris hortus inſertat caput,
Protoplaſti prima ſedes, operis immenſi canon,
Improbo cuimen ſeuerum mons in acceſſu locat,
Et paratis inuidentes deſpicit latè plagas.
Sempiternos vernus iſtic condidit lares tepor:
Nòn pruinis horret Eurus, non minaces Africus
Turbinat violens procellas, patrijve Eteſiæ.
Aura frondes ſed tepente mitis implet ſpiritu,
Mutuoque ſibilantes ludere impulſu iubet.
Quis Deus picti loquatur floreas gazas ſoli?
Thureęque dona meſſis, & madores myrrhinos,
Cinnamaque, balſamique lacrymoſos codice;
Sponte laurus, ſponte myrtus ſpargitur per areas,
Vile candent lilieta, dat locus pretium roſis.
Quidquid & Pæſtana ſuaue nutricant cacumina,
Et ſuperba quidquid Hybla plebe de florum tumet,
Geſtit hic meruiſſe naſci, ſitque calari ambitus,
Surgit in palmeta lucus, liberaque indagine
Claudit humanum peritas ire ſub iugum feras:
Quæque ſulcant vngue terram, quæque pennis æthera.
Lotus vlmum, loton ilex, ilicem cedrus premit,
Ordines frangit cupreſſus, & decet pluſquam ordines.
Non coacta, non ſubacta virgo tellus parturit,
Sed colonum te Fauoni prima primum ſuſcipit,
Et marito ſeminoſos rore fœcundat ſinus.
Has ope, non ore taurus ſeruat igniuomo ferox,
Inquieti nec draconis pervigil cuſtodia;

Sed lacerto fulminatrix digna Cherubino regi
Exulem romphæa terris arcet Adamum ſuis.
P.Lud.Cellotius in Parn.Poet.Soc.Ieſu.

Regionis amænitas & vbertas.

VNdique picta oculis, hortorum aſſultat imago,
Quos Zephiri, & Pomona colant, quos ardua vallo
Protegat aprico clauſos munimine ſepes:
Tempeſtiua ſuper deriuent nubila rores:
Et foueat molli Titant mitiſſimus aſtro;
Omnia quæ magno compenſat fœnore tellus.
Talis viſa viris facies ſubiecta per agros
Villarum, nemorumque decus, ſegetumque manipli
Surgentes cumulis inſtructas mergite metas.
Pomiferis circum porrecta vmbracula ſiluis;
Tum vitrei laticum riui, & viridantia ſtrata
Pratorum, ac roſeo ſtillantes nectare tophi:
Vitibus vmbrati colles, & dulce renidens
Saxa per, & rupes tumidis vindemia botris.
Lœta boum paſſim ſpiſſis armenta cateruis,
Lanigerique greges errant; quibus vbera largo
Lacte fluunt.
P.Ant.Millieus l.15.Moyſ.Viat.

Circum beatis imperat campis Ceres,
Latèque rura poſſidet:
Et arua flauo meſſium fluctu tument,
Motuque culmorum natant.
Innube rarus inquinat cœlum vapor,
Aut tenſa nimbis vellera:
Aut è Boreis bella ventorum plagis,
Raucuſque ſiluarum fragor
Auditur vſquam: non proteruis inſonant
Exercitati Syrtibus
Euris & Auſtris contumaces Africi,
Et perduellibus Notis.
Tantum ſerenus Veſper, & tenerrima
Eteſiarum flamina;
Albique ſoles, & ſerena lucidis
Aſpirat aura montibus:
Puramque cœlo prouehunt horæ facem,
Et Phœbus horarum pater
Peculiari luce colles irrigat,
Pronaque perfundit die.
P.Cam.Sarbienius l.Epod. Ode 1.

Regio horrida, & inuia.

MIlle bis æterna protenditur arbore leucas,
Vmbroſus totus, nec cerealis ager.
Nec mirum haud alia ſeccatur ſilua ſecuti,
Quàm qua tempus edax omnia falce metit.

Qua

Qua parte aſpicio ſiluæ, mihi ſilua malorum eſt,
Sorſque mihi trunco durior arboreo.
Æterni horrificant brumæ intractabilis imbres,
Marmoreoque rigent vincta fluenta gelu.
Sunt, & inacceſſi phœbo, phœbæque receſſus,
Suntque ſepulcrales in mea tecta niues.
Silua catenatis denſatur opaca vepretis,
Et negat obſtructas illaqueata vias.
Nulla viatoris trito paret orbita greſſu,
Nec leue ſignato calle notatur iter.
Flexilis incuruos ſinuant labyrinthius in orbes,
Sum Theſeus, ſed quæ prouida Gnoſſis erit?
Vix tot vorticibus conſtat Mæandricus amnis,
Herculeum vix tot flexibus errat iter.
Vix tot inexpliciti Cretea volumina ſepti:
Quemque ſuus præceps terror, & error agit.
Neſcio num fluuijs vouear lapſura, vel antris;
Tot loca deluſo ſuut peragrata pede.
Nix albet, quocumque oculos intendere conor,
Quoque pedem, aut dextram figere, ſpina riget.
Non labyrinthæi tot habent fallacia luci,
Silua quot ambiguos curua, recurua dolos.

P. Laur. le Brun. Franc. l. 1. el. 3.

Regio niuibus, & glacie obſita.

TRes niue marmorei frigent conſtante Decembres,
Æquales aperit lubrica teſta vias.
In pontem pontus glaciali fornice ceſſit,
Et lacus à liquidis ſtat ſolidatus aquis.
Mentitur durum concreta fronte metallum
Nereus, & rigido ferrea terga vado.
Iuſtius haud vnquam dictum de marmore marmor,
Æquoris aut nomen iuſtius æquor habet.
Nix infra durata pedes, & ſpina fatigat,
Deſuper inte ctam denſa pruina caput.
Cuncta rigent, cuncta albeſcunt, dubiumque relinquunt
Num mage dura gelu, num magis alba niue,
Quæque prius cymbam, nunc accipit hoſpita plauſtrum
Vnda negatque vndas conglaciata ſuas.
Sæpe ſonat glacies agitatu pendula crine,
Sæpe gelu mentum candidiore nitet.
Sectilis ad potum ferienda bipennibus vnda,
Et putei duris effodiuntur aquis.
Terra latet niuibus, denſa latet arbore cœlum,
Non oculo cœlum, non pede tango ſolum.
Terra latet, riget vnda: vnus iuuat ignis, & æthra
Si fumo & ramis ignis & æthra iuuant.

Idem ibidem el. 4.

Regio deſerta, & inculta.

EXul ibi aeriam ſelegerat aduena rupem,
Cuius in inſana pars natat ima Theti.
Ardua lunato frons deſpicit æquora ſaxo.
Pendulaque iligno murmure ſilua fremit;
Reſtat adhuc hodie fruticantis inhoſpita ſedes
Verticis, & ſterili pumice fultus apex.
Nulla ibi ſepoſitæ Cerealia pabula vitæ,
Non ſeges, aut flauis ſpicea virga comis.
Non glans, non acidis vindemia falſa labruſcis,
Non ſpuria inuitis edita mora rubis.
Non ſaltem oſtrino tacitè ſerpentia luxu
Præbebant facilem deuia fraga dapem.
Caua ſed è ſcabris enata abſinthia tophis
Protulerant Scythicæ fertilitatis opes.
Rara per exeſas errabat cochlea cautes.
Viſcoſo ſignans lurida ſaxa gradu.

P. Io. Liſſelius Ver. l. 1. el. 5.

Terra ſterilitas.

IMproba cunctarum rerum comitatur egeſtas:
Spem mentitus ager toto non horrea luſtro
Impleuit; ſteriles dominantur lappulæ in aruis,
Et lolium nocuo perfundens membra ſopore.
Non ver purpureum redolentia gramina promit,
Aut florum pleno diffundit copia cornu:
Inuidet autumnus tranſacti temporis auras,
Pomaque, nec ſummo ſpumat vindemia labro.
Arida nequicquam placidos dum poſtulat imbres,
Torretur nimium phœbo, rimiſque fatiſcit,
Inque vicem immani pulſatur grandine tellus.
Flumina quin etiam totas vndantia ripas
Aggeribus ruptis, inimico vortice campis
Contigit abripere immenſum ſudata colonis
Semina, & interdum falces pertæſa recuruas
Strauerunt ſegetem, fundo quæ putruit vdo.
Altior & medijs piſcis diffluit ariſtis.

Philomatus in muſ. Iuuen. car. 12.

VRBES, ET OPPIDA.

Roma.

EN huius nate auſpicijs illa inclyta Roma
Imperium terris, animos æquabit olympo,
Septemque vna ſibi muro circumdabit arces:
Felix prole virum; qualis Berecynthia mater
Inuehitur curru phrygias turrita per vrbes.

Læta

Læta Deum partu, centum complexa nepotes
Omnes cœlicolas, omnes ſupera alta tenentes,
Virgilus l.6. Æn.

Proximè Dijs conſul, tantæ qui proſpicis vrbi.
Qua nihil in terris complectitur altius æther:
Cuius nec ſpatium viſus, nec corda decorem,
Nec laudem vox vlla capit: quæ luce metalli
Æmula vicinis faſtigia conſerit aſtris.
Quæ ſeptem ſcopulis zonas imitatur olympi,
Armorum, legumque parens: quæ fundit in omnes
Imperium, primique dedit cunabula iuris.
Hęc eſt exiguis quę finibus orta, tetendit
In geminos axes, paruaque à ſede profecta
Diſperſit cum Sole manus: hæc obuia fatis
Innumeras vno gereret cum tempore pugnas,
Hiſpanas caperet, Siculas ſubmitteret vrbes,
Et Gallium terris proſterneret, æquore Pœnum,
Nunquam ſuccubuit damnis, & territa nullo
Vulnere, poſt Cannas maior, Trebiamque fremebat.
Et cum iam premerent flammæ murumque feriret
Hoſtis, in extremos aciem mittebat Iberos
Nec ſtetit Oceano, remiſque ingreſſa profundum,
Vincendos alio quęſiuit in orbe Britannos.
Hæc eſt, in gremium victos quę ſola recepit.
Humanumque genus communi nomine fouit
Matris non dominæ ritu, ciueſque vocauit
Quos domuit, nexuque pio longinqua reuinxit.
Claudianus l.3. de laud. Stilic.

Atque adeo grauida imperijs Roma illa ſuperba,
Apenninivagi quę propter Tybridis vndam
Ingentes populos frænat pulcherrima rerum,
Submittet faſces, & quas regit orbis habenas.
Illic relligio, centum illic maxima templa,
Centum aræ tibi fumantes, centumque miniſtri,
Quique viris latè, atque ipſis dec iura Sacerdos
Regibus, & ſummo te in terris reddat honore.
Illa malis ſemper melior ſe tollet ad aſtra,
Nec niſi ſubiecto paſſim ſibi deſinet orbe.
Hie. Vida l.2. Chriſt.

Roma virum, rerumque potens, quæ culmina cœlo
Fers propior, propiorque Erebo veſtigia figis,
Et manibus totum geminis complecteris orbem,
Æterno impoſita in ſaxo, quod vincere nunquam
Vis queat inferna, aut propria de ſede mouere:
Ipſa licet certent tot monſtra immania ſummis
Expugnare odijs, certentque euertere ab imo.
Vrbs vna ante alias fortunatiſſima, & vna
Ante alias vrbes Superum gratiſſima Regi:
Cui quondam placitum bello, & victricibus armis
Per populos vt iura dares, nunc denique pulſis

Vt tenebris larga perfundes omnia luce
Clara ſerenatis præparandas lumina terris.
Vrbs ſacra, cui quamuis immenſi terminus æui
Nullus erit, niſi cum mundum conſidere in ignes
Ipſe dabit genitor, corpuſque immane reſolui.
P.Franc.Bencius l.1. car.

Ecce parit geminos: ſtat Roma auctoribus illis,
Parua quidem, ſed mox aſtra datura ſuis.
Nempe feret faſces ſupra Garamantes, & Indos,
Et trans æquoreas regna locabit aquas
Diſperget cum Sole manus, quà Lucifer ortus
Explicat, & feſſos qua mare condit equos.
Quà cadit in pelagus ſepteno gurgite Nilus,
Quà rigido tellus ſquallet operta gelu.
Excipiet gremio populos mitiſſima victos,
Vincendaſque alio quæret in orbe plagas.
Nec damnis ſuccumbet iners, aut cædibus vllis,
Maior ab exitio ſemper itura ſuo.
In terris Gallum proſternet, in æquore Pœnum,
Et Siculos vno tempore vertet agros.
Poſt Cannas, Trebiamque fremet maioribus auſis,
Infremet & caſus poſt Thraſymene tuos. *Et inf.*
Nunc hominum terras, vrbeſque exoſa iacentes,
Concutit infernas voce potente domos.
Ipſa aperit cœli poſtes, ipſa erogat aſtra,
Arbitrio mundum temperat ipſa ſuo.
Imperium ſine fine tenet, ſemperque tenebit,
Terminus Auſonię nec ditionis erit.
P.Tarq.Gallutius l.2. el.13.

Aſpice Romulidum genitrix, quæ collibus alta
Tolleris, & cœlo cognatas ſubrigis arces
Tu Regum, legumque parens, quæ Romula tantum
Suſpicis, externas mirari neſcia laudes;
Ingenti maior fama, cœloque ſecunda:
Aurea victrices cuius dum gloria bigas
Inſtruit, ad currum telluris colla, mariſque
Illigat, & toto latè ſpatiatur in orbe.
Cœleſtis domus imperij, pietatis aſylum,
Iuris apex, cortina Dei, quam conſulit Indus,
Vt decreta ferat dubijs oracula rebus.
Aug.Maſcardus l.1. Sil.car.3.

Roma habitu bellatricis.

IPſa triumphatis quæ poſſidet æthera regnis
Aſſilit, innuptæ ritus imitata Mineruæ.
Nam neque cæſariem crinali ſtringere cultu,
Colla nec ornatu patitur mollire retorto.
Dextrum nuda latus, niueos exerta lacertos,
Audacem retegit mammam, luxumque coercens
Mordet gemma ſinum; nodus qui ſubleuat enſem

Al-

Album puniceo pectus diſcriminat oſtro
Miſcetur decori virtus, pulcherque ſeuero
Armatur terrore pudor, galeæque minaci
Flaua cruentarum prætenditur vmbra iubarum;
Et formidato clypeus Titana laceſſit
Lumine, quem tota variarat Mulciber arte.
Claudianus in Paneg. Prob. & Olybr.

Neapolis.

EST & magnanimum heroum, ſceptriſque potentum
Alma Ducum genitrix Campano in littore Siren,
Dives opum, Regumque ſatu fœcunda ſuperbo.
Gens apprima ferax generoſæ laudis, & altum
Pectus, inexhauſtumque animis, auſuque decoro.
At placidi mores, & vis nativa fugaces
Illecebris captare animos, interque merendum
Et prior officijs, & amorem æterna tueri,
Illic deuexo vergens ad littora cliuo
Partenope baccata iugis, & colle theatri
Pomifero, muros altè lunata ſupinat.
P. Pulcharellus l. 1c. ar. 7.

Mediolanum.

ET Mediolani mira omnia, copia rerum,
Innumeræ cultæque domus, facunda virorum
Ingenia antiqui mores; tum duplice muro
Amplificata loci ſpecies, populique voluptas
Circus & incluſi moles cuneata theatri
Templa palatinæque arces, opulenſque moneta,
Et regio herculei celebris ſub honore lauacri
Cunctaque marmoreis ornata periſtyla ſignis,
Mœniaque in valli formam circumdata limbo.
Omnia quæ magnis operum velut æmula formis
Excellunt, nec iuncta premit vicinia Romæ.
Auſonius in Catal. Vrb.

Verona.

NObilis & Tuſcis quondam fundata colonis
Fertilibus Verona ſedet ditiſſima campis?
Veraque gens tyrrhena ſuo de nomine fecit
Nomina; cum dominos ducens Hetruria faſces
Eridanum propter duodenas conderet vrbes,
Venturis iactura domos, ac mœnia Gallis.
A tergo tumet in colles, conuexaque dorſo
Terra iugum viridi demittit in æquora cliuo
Ad pluuios conuerſa Notos non largius vſquam
Gramine veſtitur, fruticeſque & florea latè
Seu virgulta roſis campus, ſeu pingit acanthis.
Pæonis idem virgulta virentia ſuccis
Educat, & cupida morbo depellere frondes,

Vrbs monti ſubiecta iacet, domibuſque ſuperbis
Sublimè erigitur, ſeu deprimit æqua minores:
Flaminijque manus cauea dimenſa patenti
Amphitheatra locat ludis compoſta cruentis.
Hic quoque marmoreis aperitur ſcena theatris
Sæpe Thyeſteas menſis imitata Mycenas,
Ipſa triumphales ſaxis candentibus arcus,
E ſpolijs, tituliſque ducum ſuſpendit opimis:
Tollit & alta Deum ſolidis delubra columnis,
Atque Atheſim grauat impoſiti quater agger pontis.

P. Alex. Donatus l. 1. Conſt.

Seræ.

TV quoque Romanæ tyrrhena colonia gentis
(Seu pater Auguſtus, ſeu te diſcordibus annis
Libera Roma tulit, geminus nam marmore viuit
Romulus) imploras victorem, & mœnia pandis.
Cernere erat ternis ſurgentem collibus vrbem,
Mœniaque extremos cuneare triangula fines.
In medio fora curua iacent, numeroſus in aſtra
Se turris commiſcet apex. ſtant alta domorum
Limina: tum plenis humor ſe lucidus antris
Egerit, inque lacus camera impendente recumbit.
Templorumque decus, Diuumque operoſa perennant
Tecta, neque accenſi ceſſant altaribus ignes.
At faciles generoſa viros in bella ſuperbus
Siue rapit Mauors: poſita ſiue ægide Pallas
Pacifera agitare docet ſapientior artes.

P. Alex. Donatus l. 6. Conſt.

Mantuæ.

FElix Mantua, ciuitatum ocelle
Quam Mars Pallade certat vſque, & vſque
Claram reddere gentibus, probiſque
Ornare ingenijs virorum, & armis
Te frugum facilis, potenſque rerum
Tellus, te celebrem facit virente
Qui ripa, calamiſque flexuoſus
Leni flumine Mincius ſuſurrat:
Et qui te lacus intrat, aduenisque
Dites mercibus inuehit carinas.
Quid palatia culta, quid Deorum
Templa, quid memorem vias, & vrbis
Moles nubibus arduis propinquas?
Pax ſecura loco, quieſque nullis
Turbata exilijs, frequenſque rerum
Semper copia, & artium bonarum.

M. Ant. Flaminius l. 1. car.

PA-

Patauium.

VRbs quam vetuſto vectus ab Ilio
Poſt fata Troum triſtia, poſt graues
Tot patriæ exhauſtos iniquo
Tempore, tot pelago labores:
Ducente demum Pallade, qua rapax
Cultos per agros Medoacus fluit,
Dijs fretus Antenor ſecundis
Condidit Euganeis in oris.
Tu nuper & flos & decus vrbium
Quaſcunque tellus Itala continet:
Magnas tot artes, tot virorum
Ingenia & ſtudia vna alebas.
Te ſepticornis Danubij accola
Te fulua potant flumina qui Tagi
Longeque ſemoti Britanni
Cultum animi ad capiendum adibant.
Andr. Naugerius in luſib.

Peruſia.

FInibus Hetruſcis, eademque in finibus Vmbris
Antiqua exſurgit colleſque erecta per altos
Vrbs auguſta caput radijs Peruſina coronat,
Quippe abſciſſa velut radiantem cuſpidat orbem,
Stellaque coniferam diſcriminat aurea lucem:
Sic ea, productis per longa ſuburbia muris
Dorſum accliue leuat veteri quod mænia ſaxo
Interiora tegunt, ſeruantque minantia cœlo
Vertice inæquali, gradibuſque ſimillima tecta.
Ipſa per ingentes ſuſpenſis molibus arcus
Nexuit aerios colles, geminoque parauit
Strata foro: aut celſis propiorem pulſat olympum
Turribus: aut clathris, teretiſque vt carcere ferri
Occludit ſalientis aquas, & marmora fontis.
Quid dicam impoſitas arces, & ſtructile vallum?
Durat vbi aggeribus nunquam violanda ſolutis
Compages operum: ſeu procurrentia roſtris
Mœnia producunt clauſos firmiſſima fines:
Tormentiſque ſonant, atque ære minantia clauſtra;
Saxa vnde, & rigidæ cautes, ferroque trabali
Spicula torquentur: vinclis ac pondere vaſto
Librамenta fremunt, meditataque tela ruinas,
Baliſtæque graues ſua per caſtella tonantes.
Tuque Vrbs, florenti cui ſe pendentia cliuo
Molliter acclinant late iuga: proſpicis alto
Culmine vitiferos vuis flaueſcere colles,
Veſtitos olea colles, & pinguibus aruis
Purpureos baccæ viridi certare racemos:
P. Alex. Donatus l. 7. Conſt.

Burdigala.

CLaudit Aquitanas extremis finibus oras
Burdigala & claros ſeruat tutiſſima ciues
Vndarum ingenti quam circum mole Garumna
Voluitur, & rapido fertur latiſſimus amne.
Vrbs equidem (quamquam pelagi ſpumantia longè
Littora & vndoſas Aquilonibus aſpicit iras,
Atque inter'ectis pontum ſecludit arenis)
Æquora vbi aut ventis, Lunæue impulſa proteruis
Cornibus, atque imis iterum defuſa cauernis
Limpha recurrenti conuerſa reciprocat æſtu,
Aereijs ſpectat ſubiectas mœnibus vndas.
It pelagus; ventoque fremens, ſpumiſque recandens
Obſtantes pulſat ſcopulos, terræque ruinas
Horrificis meditatur aquis: tum littora frangens
Saxa ſuperiectos propellit in ardua fluctus,
Et dominam muris alliſam verberat vrbem;
Illa reuertentes ridet ſecura tumultus.
Nec minus & geminæ perituris hoſtibus arces
Obijciunt ſe ſe: ſtant propugnacula circum
Et flammas ærata vomit baliſta tonantes.
Quid dicam auguſtos proceres, lectiſſima patrum
Concilia, & populi turmas, ſeu clara ſuperbis
Atria porticibus, ſeu tecta minantia cœlo?

P Al. Donatus l. 1. car. 9.

Burdegala eſt natale ſolum, clementia cœli
Mitis, vbi eſt riguæ larga indulgentia terræ:
Ver longum, brumæque breues, iuga frondea ſubſunt,
Feruent æquoreos imitata fluenta meatus.
Quadrua murorum ſpecies, ſic turribus altis
Ardua, vt aerias intrent faſtigia nubes,
Diſpoſitu latas nomen ſeruare plateas.
Tum reſpondentes directa in compita portas,
Per mediumque vrbis fontani fluminis alueum,
Quem pater Oceanus refluo cum impleuerit æſtu.
Allabi totum ſpectabis claſſibus æquor.
Quid memorem Pario contectum marmore fontem
Euripi feruere freto? quanta vnda profundi?
Quantus in amne tumor, quanto ruit agmine preceps.

Auſonius in Catal. Vrb.

Hieroſolyma.

COlle ſuper gemino ſurgit, verùm impare dorſo
Vrbs Solyma, & ternos circumdedit aggere muros.
Vallis erat media acclinem ſe collis vterque
Frontibus aduerſis in quam deuexus agebat.
Altior ille iugo, magni tecta ampla Syonis
Suſtinet, ac refugis pugnantes nubibus arces
Inferior tenet Acra locum decliuibus aruis.

Quem

Quem contra aſſurgens ſecluſum vallibus imis
Eduxit natura iugum: ſed molibus altis
Erexere locum Reges, perque ardua montis
Rupeſque abruptas, magno patet area templo
Nubiferis erecta tholis. ferit aera moles,
Qualem non nigra Ægyptus, non corniger Hammon,
Aut iuuenum vidit lacrymis celebratus Oſiris.
Ipſa Ducum moles iam dedignata ſuperbas
Roma, nec æquato faſtigia vertice ponit.
Haud alijs tuto credant ſe ſe arcibus vrbes,
Tot circumpoſitis ſtant propugnacula muris,
Tantaque ſe facies aperit, numeroſa columnas
Tecta premunt, geminis ſe ſe vaſta atria cingunt
Porticibus, duplicique ſuper ſtat fornice pondus.
Huc Libanus virides truncos, huc cedrina ſiluæ
Robora demiſit, ſuffoſſo ibi multa Syene
Ceruitur, & patrio viduati marmore montes.
Interior non ſaxa domus, non marmora tollit;
Auro cuncta nitent, & conueſtita metallis
Stant ignota procul ſuperum ſacraria Regi.
Nec deſunt vrbi latices, nam valle profunda
Murmurat amne liquor, fontem ſonat vnda Siloam.
Quin etiam effoſſas alta tellure cauernas
Imber alit, liquiduſque latet ſub montibus humor.
Et qua ſurgentem renouat Sol aureus ortum
Iordanes habitat ripas fugitiuus amœnas
Occiduus quà condit equos, ſpumantia fluctu
Æquora miſcentur medias cingentia terras:
Nubila quà pennis Auſter meditatur & imbres,
Bethlemiæ ſedes, magnique habitacula partus:
Quaque tonat Boreas, veteris ſtetit ara Bethelis
Semotæque procul terra Samaritide gentes.

P. Al. Donatus l. 1. car. 2.

Oliſyppo.

QVinque ſuperba iugis ſurgit, totidemque feraces
Conualles Olyſippo grauat; latiſſimus vndas
Explicat, & muros liquido Tagus alluit auro,
Ne paueat merſas altis de turribus vmbras.
Quaque procul victos tuto videt aggere Mauros
Regia ſuſtollit veterum penetralia Regum.
Marmora quo libycæ quondam defecta Syenes,
Quò phrygius, niueuſque ſilex, miſtæque rubenti
Oebalio virides venerunt vertice rupes,
Pulcher & aurato defluxit gurgite Ganges.
Hic & marmoreis faſtigia nixa columnis
Occurrunt cœlo; procul inclinatus Atlantis
Cæliferi miratur apex, conditque remiſſo
Pondere; ſublimes incumbunt ſidera in arces.
Nec deſunt aliæ Nomadum de marmore moles,
Editaque in nubes quadrato culmina ſaxo.
Seu Diuum aſſurgunt aris delubra ſuperbis:

Sine

Siue thorus ſternunt miſeris, & ditia tecta
Pauper habet: ſeu Legatis regalia pandunt
Limina: fæcundis ſeu meſſibus horrea complent:
Aut vicina madent vaſto Prætoria fluctu
Hic etiam (magnæ tantus decor additur vrbi)
Ciuibus auratas pandunt venientibus ædes:
Ciuiliſque domus gemmis collucet Eois.

Idem l. x. e. 8.

Praga.

COllibus aduerſis, ſubterque in valle patenti
Praga ſedet, medias flauæ quà turbidus vndas
Multa vs obliquo diducit flumine ripas,
Maioremque petit, quem fluctibus augeat Albim
Ille ſecat muros, Pragæque trinominis vrbem.
Hæc vetus, illa Noua eſt, hæc Parua exurgit in arcem:
Et campos circum virides, & vallis amœnæ
Arborei fætus vmbræque, & aprica Boemos
Impleuere cados grauidis vineta racemis.
At contra imparili ſurgentes culmine colles
Scinduntur fluuio, madet ille, & ſcrupea lymphis
Terga lauans, veterum dorſo male ſuſtinet arces.
Semirutas: æquos extendit vertice campos.
Alter, & accliuis Paruæ ſupereminet vrbi.
Hic ſedes, & ſtructa maneut firmiſſima Regum,
Pergama, & aurifero camerata palatia luxu,
Florentaſque horti, maturaque Citria ramis,
Veſtiturque ſolum, teneris aut ſcribitur herbis.
Diues, & hic Vito ſedes, & Principe templo
Gaudet humus, ſacris & limina clauſa puellis.
Subter at exiguæ conſidunt ciuica Pragæ
Tecta, & arenoſis longo ſtant ordine ripis:
Tenditur ad Veterem quadrato hinc editus vrbem
Ponſque bis octonos ſaxo porrectus in arcus
Quatuor audet iter iunctis aperire quadrigis.
Tum fronte in gemina ſublimi vertice turres
Excubijs adſunt vigiles, ne fluctuet amnis,
Ne ſuperet nimbis, fugit ille exterritus altis
Mollibus, alliſuſque fremit, queriturque morari
Spumeus: inde fugæ ſparſas citus aduocat vndas,
Praga Vetus dextræ tenuit planiſſima vallis.
Et nexis circum tumulis ſe tecta coronant.
Virginis hic magnæ ſedes, & Curia, templo
Stabit, & impoſitas Sapientia culta per artes,
Muſarumque domus, veterique inſtructa paratu
Hoſpitio facilis membris languentibus ædes,
Hic Patribus videas Prætoria celſa coactis
Cuſtodemque loci minitantem ad ſidera turrim.

Vrbs munitiſſima.

NOn opus hanc veterum, nec moles ſtructa tuetur,
Humanuſque labor facilis licet ardua tollat,

Cede-

Cedere, vel bellis, vel cuncta mouentibus annis.
Sed munimen habet nullo quaſſabile ferro
Naturam ſedemque loci, nam clauſa profundo
Vndique præcipiti, ſcopuliſque vomentibus æquor.
Exiguo debet, quod non eſt inſula, colli.
Terribiles ratibus ſuſtentant mœnia cautes,
Ioniumque furens rapido cum tollitur Auſtro
Templa, domeſque quatit, ſpumatque in culmina pontus.

Lucanus l. 6.

Perpetuis latè ſurgunt horrentia pinnis
Mœnia, turritoque laceſſunt culmine cœlum.
Hinc atque hinc valido ſtant propugnacula ſaxo
Forcipis, aut mediæ ſpeciem referentia lunæ.
Præcip tes circum foſſæ ſuccedere muro
Admiſſis prohibent vndis: pars maxima ſolo
Tuta ſitu eſt: campos ſtagnans oblimat inertes
Eluuies vaſtis tantum opportuna Salinis;
Tranſmittique negans, greſſum male fida tenaci
Implicat hærentem cœno, atque vligine pingui.
Cætera quæ pluuios geminis vrbs turribus auſtros
Excipit, alterno remeans interfluit æſtu
Neptunus pater, & venientem ſubmouet hoſtem.

Apud P. Laur. le Brun. t. 1. eloq. Poet.

DOMVS, PALATIVM,

Domus pulcherrima, & ampliſſima.

Digna Deæ ſedes, nitidis nec ſordet ab aſtris.
Hic libycus, phygiuſque ſilex, hic dura Laconum
Saxa virent, hic flexus Onyx, & concolor alto
Vena mari rupeſque nitent, queis purpura ſæpè
Oebalis, & Tyrij moderator liuet aheni.
Pendent innumeris faſtigia nixa columnis,
Robora Dalmatico lucent variata metallo.

Statius l. ſil. in Epith. Stell.

Quid primum, mediumue canam quo fine quieſcam?
Auratane trabes, an Mauros vndique poſtes,
An picturata lucentia marmora vena
Mirer? an emiſſas per cuncta cubilia lymphas?
An quæ graminea ſuſcepta crepidine fumant
Balnea, & impoſitum ripis algentibus ignem?
Quaque vaporiferis junctus fornacibus amnis
Ridet anhelantes vicino flumine Nymphas?
Vidi artes veterumque manus, varijſque metalla
Viua modis; labor eſt auri memorare figuras,
Aut ebur, aut dignas digitis contingere gemmas.
Quidquid & argento primum, vel in ære Myronis
Luſit, & enormes manus eſt experta coloſſos.
Dum vagor aſpectu, viſuſque per omnia duco,

Calcabam nec opinus opes; nam ſplendor ab alto
Defluus, & nitidum referentes aera teſtæ
Monſtrauere ſolum, varias vbi picta per artes
Gaudet humus, ſuberantque nouis aſarota figuris.
Idem ibid. in Tiburs. Vopiſci.

Idem vbi inexpleto laſſaueris ebria viſu
Lumina, quà ſpatio concluditur area certo,
Et Tiburtino tollit ſe regia ſaxo,
Siſte pedem, & tanti ſpeciem circumſpice tecti,
Diſpoſitumque manu artifici admirare laborem.
Nam velut in medijs complexibus amphitheatri
Ingentis ſedet alta domus, vultuque ſuperbo
Quatuor oſtentat totidem quadrantibus ora
Frontibus, & pariles reſerans æquata feneſtras,
Ipſa tuas miratur opes, numeratque decores.
Quos lapidum limbis circumcingentibus ordo
Parietibus ſpatiatus agit, fingitque recurrens
Flexibus, innumeras non vna lege figuras.
Nec te diſparibus diſcrimen agentia formis,
Suſpicere excelſi pigeat faſtigia tecti
Quod ſe ſe in conum attenuans gracileſcit acuto
Culmine, & in ſpeculam procurrens deſinit altam:
Subiectos licet vnde hortos, licet vnde propinquas
Cæſareas thermas, & adhuc ſpirantia faſtum
Mirari veteris deiecta cadauera Romæ.
Aur. Vrſus in Her. Exquil.

In arce ſumma Pelopeæ pars eſt domus
Conuerſa ad Auſtros; cuius extremum latus
Æquale monti creſcit, atque vrbem premit,
Et contumacem regibus populum ſuis
Habet ſubiectum: fulget hic turbæ capax
Immane tectum, cuius auratas trabes
Varijs columnæ nobiles maculis ferunt:
Poſt iſta vulgo nota, quæ populi colunt,
In multa diues ſpatia diſcedit domus.
Arcana in imo regia receſſu iacet
Alta vetuſtum valle compeſcens nemus
Penetrale regni.
Seneca in Thyeſ. act. 4.

Statuuntur ecce regio ſumptu domus
Ingentis inſtar vrbis amplexæ ambitum.
Atria columnis fulta millenis ſedent:
Immane viſu, celſa murorum minis
Moles in auras arduum exertat caput.
Excluſa iactis maria cæmentis retro
Abiere: pontus ſine contracto breuis
Denſis natatur piſcibus: ponto incubans
Vndas opacat penſilis ſuris nemus
Digeſta laxis ſpatia porticibus, ſequi
(Per tot remenſum retro reſponſus fugit

Pene-

Penetrale ſedis intimum) aſpectus nequit.
Variata ſaxo tecta Tænario calent
Strepitu clientum: turba famulantum terit
Achate limen lubricum inuiſæ domus.
Prætexta gemmis aula populorum capax
Explicat auara dona longinqui maris:
Pictæ lacunar aureum tollunt trabes:
Certata paries bella Gangaridum indicat.
Hic vel ſuperbis ſplendet aulæis nitor,
Vel fila tendit varia belluatus labor,
Seu quem Sophenæ ſiue quem Phryges trahunt.
Elephante texto culmen auratum albicat:
Conchyliata veſte puluinar ſacrum
Geniale ridet: barbaro luxu domus
Hilareſcit omnis: ſpirat effigies ducum
Folle aut Lyſippi ducta, vel cęlo Scopæ.

P. Stephonius in Flau. ac. 3. ſc. 2.

Parietibus ſtabant, opibuſque ingentibus ædes,
(Nunc vbi regales abeunt in nubila moles)
Tecta ferebatur populus quæ regia quondam
Struxiſſe, imperij poſtquam Cumana remouit
Arbitria, & dominas vrbis tractauit habenas.
Marmoreis ibi vaſta nitent cœnacula cruſtis,
Aut ſolidis lapidum glebis, Phrygiiſque columnis
Ardua tolluntur: cameris ſuſpenſa relucent
Conuexo cryſtalla gelu: ſed clarius aurum
Confertis trabibus laqueatas induit aulas.

P. Alex. Donatus l. 10. Conſt.

Stant vbi ſublimes tectis regalibus ædes,
Et ſtabili aſſurgunt auguſta palatia ſaxo,
Vaſta patent, ſectiſque Phrygum de rupe coronant
Atria millenis ſe circumducta columnis,
Immaneſque aulæ ſolido laqueata metallo
Culmina ſuſpendunt; trabibuſque inſertus eburnis
Fulgor, & è cameris ardet radiantibus aurum.
Ipſa volubilibus ſtellis cænacula cœlo
Æmula verſantur roſeis vberrima nimbis;
Parietibuſque ſuos miſcent peregrina colores
Marmora, compoſitis interlucentia gemmis
Nec modo terga niger, maculaſque niuoſus achates,
Aut nebuloſus onyx, ſpiriſque illuſus ophites
Scinditur in cruſtas tabuliſque tenacibus ambit:
Saxea ſed totis calcantur fragmina glebis,
Liminaque, & poſtes gaudent animare ſuper bos.

Idem l. 2. Conſt.

O ſuperi, quales iubet ille aſſurgere moles?
Sidera tacturas iam prope, iamque putes.
Præcipue fuluo radiant ibi tecta metallo,
Quæ triplici Parius circuit arte lapis.

Por-

Porticus auratis libratur trina columnis:
Veſtit odoratam cedrus, eburque domum.
Ducta pauimentum pingunt aſarota: ſuperbis,
Et pede calcari ſe ſtomachatur Onyx.
Penſilet diſtinguit Nereia bacca lacunar,
Inque tholo partem multa Smaragdus habet.
Heliadum cruſta paries, & Iaſpide poſtes.
Ipſaque Erythræa ianua luce rubet,
Aula tamen luxu magis vna triumphat Eoo,
Qua ſcio regna nihil pulchrius vlla vident.
Regis ibi ſolium gradibus ſublime coruſcis;
Incertum, pretio præſtet, an arte labor.
Materies ebur eſt, ſed eo flaueſcit ab auro,
Quod rotat occiduo diues arena Tago.
Bis ternos locus ipſe gradus, biſſena leonum
Hinc atque hinc ſpectat ſigna minora latus.
Aurea defendunt ſolium conopæa; coronant
Aurea cælato contabulata ſinu.
Præterea tanti qua copia deficit auri,
Altera gemmarum copia ſarcit opus.
Chryſoliti trudunt ſmaragdos, adamantas iaſpis,
Hæc ametyſton, & hæc pars hyacinthon habet.
Quocumque aſpicias, gemmæ omnia, & omnia gemmæ:
Nullus ibi argenti, nullus ibi æris honor.
Nam quid ego centum ſimili conclauia luxu,
Quid ſimili ſtructos mille nitore toros?
Quid tripodas memorem, pleniſque triclinia menſis?
Quid pretio centum ſigmata facta pari?
Cimbia miſcendo locus aurea ſeruat Iaccho,
Seruat ad innumeras aurea vaſa dapes.
Et parili fulgent lanceſque, orbeſque metallo,
Et gabatæ, & menſis cetera digna ſuis.

P. Iac. Bidermanus l. 2. Heroid. ep. 3.

Atria panduntur maculoſis lucida ſaxis,
Tercentumque nitet ſolidis effulta columnis:
Porticus, ac medios faſtigia iactat in Euros.
Interiora magis gemmiſque, auroque coruſcant.
Cuncta adeo tabulis laqueata teguntur eburnis,
Splendidaque irradiant, ſpernuntque triclinia noctem.
Tum ſuper aeriis cælum verſatile flores
Deijcit, vnguentiſque fluens argentea latè
Fiſtula multiplices myrrhas, Arabumque liquores
Fundit, odorato nardoſque, & balſama nimbo.

P. Al. Donatus l. 1. c. 4.

Domus ſubterranea.

EGeſta quippe innumeris tellure cauernis
Impendet Tyberinus ager, ſtant cœca viarum
Strata, neque obſcuris deſunt regionibus vrbes.
Recta modò, ambiguo refluens modò ſemita flexu
Curuat in ambages, atque indepreſſa locorum.

Incer-

Incertas errore vias (ceu Dædalus error
Arua olim Dictæa premit)modò laxat opertas
Terra domos, vdiſque latens habitacula tophis
Aut teſtudineus, camera ſuſpenditur orbis.
P. Al. Donatus l. 2 car. 1.

Domus regia Solis.

Regia Solis erat ſublimibus alta columnis,
Clara micante auro, flammaſque imitante pyropo
Cuius ebur nitidum faſtigia ſumma tegebat;
Argenti bifores radiabant lumine valuæ.
Materiam ſuperabat opus, nam Mulciber illic
Æquora cælarat medias cingentia terras
Terrarumque orbem, cœlumque quod imminet orbi.
In ſolio Phœbus claris lucente Smaragdis,
A dextra, læuaque dies & menſis & annus,
Sæculaque, & poſitæ ſpatijs æqualibus Horæ.
Ouidius l. 2. met.

Domus Martis.

Hic ſteriles delubra notat Mauortia ſiluas
Horreſcitque tuens: vbi mille furoribus illi
Cingitur aduerſo domus immanſueta ſub Æmo.
Ferrea compago laterum. ferro arcta teruntur
Limina, ferratis incumbunt tecta columnis.
Læditur aduerſum phœbi iubar: ipſaque ſedem
Lux timet & dirus contriſtat ſidera fulgor.
Digna loco ſtatio. primis ſalit impetus amens
E foribus, cœcumque nefas, iræque rubentes,
Exangueſque metus, occultiſque enſibus adſtant
Inſidiæ, geminumque tenens diſcordia ferrum
Innumeris ſtrepit aula minis, triſtiſſima virtus
Stat medio, lætuſque furor, vultuque cruento
Mors armata ſedet. bellorum ſolus in aris
Sanguis, & incenſis qui raptus ab vrbibus ignis.
Terrarum exuuiæ circum, & faſtigia templi
Captæ inſignibant gentes, cœlataque ferro
Fragmina portarum, bellatriceſque carinæ,
Et vacui currus, protritaque curribus ora.
Statius l. 7.

Domus Famæ.

Orbe locus medio eſt inter terraſque fretumque,
Cœleſteſque plagas triplicis confinia mundi;
Vnde quod eſt vſquam, quamuis regionibus abſit.
Inſpicitur, penetratque cauas vox omnis ad aures.
Fama tenet ſummaque domum ſibi legit in arce:
Innumeroſque aditus, ac mille foramina tectis
Addidit, & nullis incluſit limina portis.

Nocte

Nocte dieque patet, tota eſt ex ære ſonanti.
Tota fremit, voceſque refert, iteratque quod audit.
Nulla quies intus, nullaque ſilentia parte.
Nec tamen eſt clamor, ſed paruæ murmura vocis,
Qualia de pelagi, ſi quis procul audiat, vndis
Eſſe ſolent: qualemve ſonum, cum Iuppiter atras
Increpuit nubes, extrema tonitrua reddunt.
Atria turba tenet, veniunt leue vulgus, euntque,
Mixtaque cum veris paſſim commenta vagantur
Millia rumorum confuſaque verba volutant.
E quibus hi vacuas implent ſermonibus aures.
Hi narrata ferunt alio, menſuraque ficti
Creſcit, & auditis aliquid nouus adijcit auctor.
Illic Credulitas, illic temerarius Error,
Vanaque Lætitia eſt, conſternatique Timores,
Seditioque recens, dubioque auctore Suſurri.
Ipſa quid in cœlo rerum, pelagoque geratur,
Et tellure videt, totumque inquirit in orbem.

Ouidius l. 12. met.

Domus Inuidiæ.

PRotinus Inuidiæ nigro ſquallentia tabo
Tecta petit. domus eſt imis in vallibus antri
Abdita, ſole carens, nec vlli peruia vento.
Triſtis, & ignaui pleniſſima frigoris, & quæ
Igne vacet ſemper, caligine ſemper abundet.

Ouidius l. 2. met.

Domus Fidei.

EST locus (Aligeri diuina ſuburbia dicunt)
Ætheris ante fores, primoque in limine, gemmis
Ebrius obſcuris; ſed opaco lumine vincit
Gemma diem, ſolemque parit, dum concipit vmbras
Multus ibi atrato ridet carbunculus ore,
Lucis & igneſcunt ſcintillæ, dulcis & horror:
Emicat è nigro maieſtas candida vultu,
Et velut ex icto ſalit ignea lympha lapillo
Cum tonitru qui rumpit humum cælumque requirit.
Editus è tenebris olli ſe luce maritat,
Miſcet & ardores Amethyſtus, ſcilicet ima
Viſcera telluris, rupes, obſtacula, montes
Perrumpit generoſa fides, & in æthera fertur.
Vtraque gemma lares hinc fabricat, vtraque ſignat
Illuſtres fidei nebulas, & lumen amoris.

P. Car. de Luca l. Dom. Laur.

TEMPLVM.

Templum vetus Hieroſolymitanum.

QVem contra aſſurgens ſecluſum vallibus imis
Eduxit natura iugum, ſed molibus altis
Erexere locum Reges, perque ardua montis
Rupeſque abruptas magno patet area templo
Nubiferis erecta tholis: ferit aera moles,
Qualem non nigra Ægyptus, non corniger Hammon,
Aut iuuenum vidit lacrymis celebratus Oſiris.
Haud alijs credant tuto ſe ſe arcibus vrbes,
Tot circumpoſitis ſtant propugnacula muris,
Tantaque ſe facies aperit: numeroſa columnas
Tecta premunt, geminis ſe ſe vaſta atria cingunt
Porticibus, duplicique ſuper ſtat fornice pondus
Huc Libanus v irides truncos, huc cedrina ſiluæ
Robora demiſit: ſuffoſſo i bi multa Syene
Cernitur, & patrio viduati marmore montes,
Interior non ſaxa domus, non marmora tollit:
Auro cuncta nitent, & conueſtita metallis
Stant ignota procul ſuperum ſacraria Regi.

P. Al. Donatus l. 1. c. 2.

Tectum auguſtum, ingens, centum eſt ſublime columnis
Quo nihil in toto pulchrius orbe viget.
Exteriora lapis Pario de marmore veſtit,
Et Scythica reddit candidiora niue.
Singula ſaxa queunt totidem miracula dici:
Nam ſpeciem magni ſingula montis habent.
Qui molem artifices potuere attollere tantam?
Aut ſatis eſſe operi quæ valuere manus?
Ære rigent portæ, quanta bis dena gigantum
Brachia moliri vecte gemente ſolent.
Laxa patent intus plus ſenis atria campis;
Pro totidem credas vrbibus eſſe locum.
Cincta periſtylijs ſunt atria ſingula trinis;
Suſpendit triplices ſubdita pila tholos.
Subtus opes regnis, & regibus admirandæ,
Fabrica quas nullo viderat vlla loco.
Ara tenet medium, Cyprio quæ fuſa metallo
Surrigitur, moli vix ſatis vna ſuæ.
Nemo illam pecudum numeratus imbuit extis;
Sed lauat immenſo prodigus amne cruor.
Non procul hac ara labrum ſtagnantibus vndis
Tergora biſſenum preſſat ahena boum;
At pars delubri memoretur vt altera, non ſunt,
Parcite. nec calami iam, neque verba mihi.
Veſtibulo in primo gemina ſtant mole columnæ
Arte pares ambæ, materieque pares.

Æra

Æra recedentes ſolidant infuſa medullas,
Aurea conſpicuum lamina veſtit opus
Aurum eſt ima baſis, puro caput eminet auro,
Aurea cum ſpiris ſunt anaglypta ſuis.
Perque toros aurum ſupraque infraque vagatur:
Inque ſtrias audax influit inque ſtriges.
Ipſa pauimenti ſeries diſtinguitur auro;
Aurataeque meant per tabulata trabes.
Et paries aurum eſt, aurum eſt cum cardine limen;
Incluſæque auro ſunt radiante fores.
Quæque inibi donis cumulata perennibus ara
Sentit odoratos thure calere focos.
Quæque ſuas animant face candelabra lucernas,
Quæque vaporata fumat acerra prece.
Quæque alios ibi vaſa loci ſeruantur in vſus,
Diuitis auri ingens omnia pondus habent.
P. Iac. Bidermanus l. 2. Heroid. ep. 2.

Templum Virginis Lauretanæ.

TEmplum ingens, ſublime tholo, poſitumque latinis
Certatim Patribus, & non ſuperabile donis
Sæcula mirantur: prohibetque opulentia fines,
Atque auri argentique modum compoſta per aras
Clara figuratis tot ſpirant ſigna metallis:
Plena tot ingeſtas claudunt æraria gemmas:
Luminaque aduectæ clathris conduntur erythræ.
Cunctarum tu diues opum, ſed nomine Diuæ
Præfulges opulenta magis venerabilis ædes,
Inſculptis (Parium nec ded gnabere marmor)
Et circumpoſitis tua viuere ſaxa figuris.
Interior ſed quanta nites? ſeu paſcit oliuo
Immortale iubar, numeroſaque lampas in auro,
Argentove tibi aduigilat: ſiue aurea pendent
Cornua parietibus: Dominam ſiue ante coruſcant
Innumeras ſimulacra faces, Superique volantes
Argento ſolidi, lucemque imitante metallo,
Et cælante fores, ſanctæque armaria cellæ.
P. Alex. Donatus l. 7. Conſt.

Templum conde, lares, quod Virginis ambiat vlnis,
Ditis & impoſitum capiti ſub mole furentis
Terreat immenſis nigra tartara fundamentis,
Sit ſedes formæ miranda tricorporis ære
Ianua ſuſpenſo triplex gemat. æraque ſignis
Spirent innumeris, artis portenta perennis,
Alba Paros faciem conſumptis montibus ornet
Culta manu artificis, ductuque cohæreat vno.
Iſtria conſpiret templi mage turgida vultu,
Natiuo quam celſa iugo ſuffulta ſuperbis
Limina ſtent gradibus, quibus orbis inhæreat omnis,
Dum moles aditus per ſubdita marmora quætit.
Interior ſpatio ſe proferat area magno;
Hinc

Hinc inde extructis extendens brachia muris
Ædis in amplexum, quam circumplectitur; arcet
Annulus vt gemmam, cœleſtis vt orbita Solem.
Stent circum immanes niueo ſub fornice pilæ,
Fulta quibus teſtudo ingens, cameræque minores
Ad latus immineant, alis vmbrantibus aras
Summa ibi ſe moles cœlo inſerat, aſtraque pulſet
Sublimi conuexa iugo, laxata per auras,
In medium porrecta globum, turritaque ſurgat.
Hinc coeat tholus exiguus, paruoque ſuperſtans
Vertice, quo lumen vitrea de nube refundat
Vicina ebibitam ſolis de luce lucernam
Dum peregrina tholi proſpectat turba minoris
Flexa genu, venerata Pharum, ſpeculamque ſalutis,
Primas inde faces è Virginis hauriat æde
Prima tributa ferat lacrymarum: incendia diſcat.
Iam vicina pati, flammiſque aſſueſcat amoris.
P. Car. de Lucal. 2. Dom. Laur.

Sacellum B. V. Exquilinum.

HIc Paulus ſedes, ſtructiſque operatus in aris
Virgineæ matri donum immortale ſacrauit,
Exquilijque nouo gemuerunt pondere colles.
In primis annoſa cadit, longèque ruinas
Dat conuulſa domus lateque effoſſa dehiſcunt
Iugera; congeſtis iam fundamenta laborant
Molibus: aſſurgit paries, ac ſidera lambit. *Et inf.*
Aſt introgreſſæ mirantur marmora gentes,
Plurima quæ Ligures Lunenſibus eruta venis,
Quæque metalliferis ſuccidit Iberia campis,
Quæque olim priſcis Roma intulit aurea templis
Externis aduecta plagis; ſeu Sinnade ſaxa
Interſtincta Phryges maculis miſere cruentis
Canitiem criſpa, Ægyptus: liuentia Lesbos:
Picturata Lybes; guttataque Thebais auro:
Alba, Paros: maculoſa, Chios: variata, Caryſtos;
Verſicolorque Thaſos: rorataque murice Sidon,
Et Tyros, & Nilus Tyrios imitata rubores:
Atraque Lucullo, & ſcenis celebrata latinis;
Et duri Oebalio viridantia monte Lacones.
Angue coloratus vt ſentem paſcit Ophites:
Vngue notatus Onyx: ſpiris Alabaſtra recuruis.
Virgatique vndant ſinuata volumine fluctus.
Biſgemino locus, interior componitur arcu,
Pendenteſque ligat quater angulus; eni cat ingens
Et cameratus apex vaſto ſuperimminet orbe.
Ergo vbi conuerſo ſtridentes cardine poſtes
Suſpenſo ære gemunt maculoſo tegmine veſtit
Marmor ab Hiſpanis exciſum montibus; illi
Sanguineos variat ceu glarea miſta colores:
Purpura ceu clamydem texto diſcriminat auro,
Sic veſtiri omnes cruſtis lucentibus antas,

Et

Et paribus ſacros ſpatijs obducere muros,
Ludenteſque intus rerum mirabere formas:
Quantus Epyſtilio decor eſt! quod ductilis ornat
Inter & Inſertos ter cingit faſcia talos,
Marginat & baccis torquata nitentibus ora.
Læuis at induitur lapides ſublime virentes
Zophorus, & nigris, maculiſque interplicat albis:
Ac ſuper extantes attollit fronte coronas.
P. Al. Donatus l. 2. car. 4.

Templum Nominis Ieſu Romæ.

VRbe fere in media locus eſt, quà peruia cliuo
Deſuper occiduos ſpectant Capitolia ſoles:
Hic & Alexander puero noua templa Tonanti
Æternumque imponit opus, tamque ardua fulco
Fundamenta notant, altiſque egeſta cauernis
Diſſilit, & vaſta prorupta voragine tellus. *Et inf.*
Talis in immenſum patuit ſpecus, altaque circum
Subſedere ſoli ſpatia, atque ampliſſima longo
Limite præcipites interiacet area foſſas
Illius in ſpeciem bifidi qua robore trunci
Crux erecta pari ſuſpendit brachia ligno.
Iamque ſolum vincit paries, iamqne alta leuabant
Pondera diſpoſitæ muris candentibus antes:
Et procurrenti ſublata coronide ſaxa:
Summa operis, vaſtoque ſuper tectoria dorſo
Creta lacunabat curuato coctilis arcu.
Sed quà biſgeminus conuertitur angulus, altè
Et procul obiectas circumligat aggere pilas:
Surgit in aerios lapidoſa cyclade campos
Cœlo æquatus apex, & decreſcentia patuo
Anguſtat ſublime tholi latiſſima cyclo.
Roma pauet molem, & vaſtus ſuperimminet orbis.
At medios aditus, camerataque limina templi.
Obſedere fores geminæ: teſtudine ſumma
Marmora picta notant dominos altaria flores:
Prima vbi Virginei ſignantur nomina partus,
Et circum ſecti vulnus puerile Tonantis.
Stat contra Soli facies obuerſa cadenti
Et Tiburtinas conſumpſit candida rupes.
Ille fores ter ſecta aperit; ter nobilis indo
Robore ferratos occludit ianua poſtes.
P. Alex. Donatus l. 2. c. 6.

Templum Vaticanum S. Petri.

QVin etiam exactis poſt addita ſecula ſeclis
Templa iterum rediuiua locat, molemque futuram
Senenſis mouet arte faber: qua nulla per orbem
Sine ætas ſpectaſſe prior, ſeu poſtera ſeris
Maiorem memorabit auis ſtructura vetuſtis
Deſeritur laudata viris: non tecta columnis

Incum-

Incumbunt, non auratis fabricata figuris
Alta metallifero radiant laquearia ſecto.
Nuſquam intermiſſo diſtenditur area muro,
Talis & ampla iacet, qualem crux palmite ſecto
Quadrifida auguſtum diſcinderet ilice ſignum.
Longior hæc, breuiore ſolo pars altera contrà
Occurrit, geminoque aperit duo brachia campo.
Hic immenſa tholi ſpatia, atque altiſſima viſu
Culmina ſuccedit templi caput; apſide curua
Extremus ſinuatur apex, teretique reflexum
Hinc atque hinc vtrumque latus ſe margine claudit.
Hactenus ædificant, centumque extructa per annos
Vota hominum tardat moles. vbi Iulia templi
Effudere altis ſe fundamenta cauernis,
Latius Hetruſci regno creuere Leonis,
Tibur & egeſtos gaudebat ponere montes.
Paule tuo, longum quod non ſperaſſet in æuum
Roma reſeruabat ſignandum nomine templum.
Ipſe iubes iuſtis componi partibus ædem,
Et vacua integris decurrere corpora muris.
Marmoreæ aſſurgunt duplicato margine pilæ,
Senaque conuexos ſinuatur cella per arcus:
Quæque ſuo contenta tholo. nec victa fatiſcat
Tiburtina graues attollunt ſaxa columnas.
Hinc opulenta patent medio ſacraria templo,
Hinc miſcere modos, plenoque choreumata cantu
Atque implere licet ſecretam vocibus aulam
Panditur ante fores, magnique ante oſtia templi
Porticus, inſerto quæ circum plurima ſaxo
Candicat, & vaſtæ obfirmant latera ardua turres,
Tum ſuper effulget camerati marmoris aurum;
Cognatoque ſimul viuunt in fornice vultus.
Quinque aditus, totidem templo ſtant ordine portæ:
Limina bis denæ circum obſedere columnæ.
Nec cunctis eadem facies. his vnda tumeſcit
Cærulea: his tenui diſtinguitur area gyro:
His maculoſa lapis gaudet diſtinguere terga
Inde vbi ſe toto frons candida marmore veſtit,
Tiburis octonas maiori male columnas
Format ebur, vaſtique ſuper faſtigia templi.
P. Al. Donatus l. 2 car. 14.

ARCES, ÆDIFICIA PVBLICA.

Arx.

ARx erat aſcenſu præceps, & calle ſupino
Ardua, qua ſummo propior non altera cœlo,
Huc iter anguſto dubium via tramite monſtrat
Nunquam concurſu deſerta, nec ordine longo

K Va-

Vadentum, & ſumma certatim ex arce tuentum:
At ſummas centena domos altiſſima cingunt
Mœnia, cumque ſuis totidem pomæria portis.
Altum, horrendum, ingens, nec fixu immobile culmen
Scanditur: hinc longè tranſmiſſum ad regia pontem
Limina traijciunt.

P. Pulcharellus l. 1. car. 8.

Vaſta patet moles, defenſaque mœnibus altis
Circumdat foſſis vigilem cuſtodibus vndam:
Stantque ſuper magnam validis compagibus vrbem
Ferrati poſtes, & inexuperabile vallum.
Altera non inter ſe tantum ſuſtulit arces
Arx Italas, tanto non vertice ſidera tangit.
Ardua compoſitis tot propugnacula ſaxis
Ære tonant: ſtragem rabido ſic turbine torquent
Clauſus ab elato ſic fulminat aggere miles.
Panditur ante arcem, vaſtis & finibus ingens
Area ciuiles longè diſterminat ædes.

P. Al. Donatus l. 1. c. 15.

Arx in littore maris.

Stabat & æquoreo munita in littore moles
Ingenio defenſa loci ſinus æquoris altus
Curuato flexu prælabitur: Iccius olim
Vt perhibent, portus, tutum nauale carinis
Obiectu bimaris dorſi, & flauentis arenæ.
Hinc arx alta, ingens vaſtum procurrit in æquor,
Mille trabes illam ſolido de robore, mille
Ferrati firmant vectes: vnam omnia contra
Vela Batauorum quondam, dum littora noſtra
Nequicquam armatæ claſſis cinxere corona.

P. Iac. Vuallius Heroi. l. 1.

Arx S. Angeli Romæ.

Aelius Hadriaco notus cognomine Cæſar
Se Mauſoleo hoc texit, & arce ſuos.
Aliger aerio gladium pro culmine vibrans
Angelico totum nomine ſignat opus.
Nomine quod ſignat, re quondam fertur, & acri
Egregius cuſtos aſſeruiſſe manu.
Mœnia ſi videas, immania mœnia dices:
Si turrim, pinnas Troadas eſſe putes.
Infima ſi cernas ſi propugnacula ſumma
His quondam credas delituiſſe Iouem:
Iuppiter hic certe tumidos vitare Gigantas
Hos potuit Memphi præpoſuiſſe ſpecus.
Ni timor obſtiterat, ni ficti fabula belli
Arce ſub hac vera nil latet abſque fuga.
Caſtelli caput eſt, medio quæ machina ſurgit
Vertice, quam Tiberis dixeris eſſe Pharon.

Area

Area planitiem ſupremi exporrigit orbis,
Quam lapidum iactu vix ſuperare queas.
P. Io. Biſſelius Vern. l. 3. el. 17.

Agger in mari excitatus.

REſtabat pelagus: pelagi qui protinus omnem
Intercludat opem, cæptis audacibus agger
Ducitur, alternis pariter dum peruius horis
Arte laborantum ſubigi, nec iuſſa recuſat
Vincla ſinus Gemina propior quà ſurgit ab acta.
It cæmentitio noua per fundamina ſulco
In mare procurrens, fracti temeraria ſaxi
Congeries, ſpatioque vadum diſcriminat æquo
Maceriam ſuperimpoſitus loricat vtrinque
Calce lapis multa, nucleoque ſtatuminat aptò
Structilis in ſpeciem cliui: decreſcit eundo
Caſtiganſque leui murus faſtigia ductu,
Aſcenſum pelago facilem reclinat ituro.
At medium via quà ſpatio diducta relicto
Interuallat opus; multo depreſſa labore
Subſidit, ſcopulique vicem ſortita nocentis,
Plurima ſe fundo ratis interfuſa vadoſo
Porrigit in latas ſubſtrata pericula chelas.
Præterea totum conſertis puppibus æquor
Nexilis obtendit ſilua, & religata quaterno
Fune catenati fluitat per marmora ponti.
Aggeris hæc dorſum magni poſtrema tuetur:
Vincta tegit frontem tranſuerſis ſublica tignis.
Et fiſtucato reduces terit objice fluctus,
Incurſuſque freti primos, tot ſurgere clauſtra
Miratur refluens, & gurgite turbidus hæret
Vndipotens: fractiſque ſibi decreſcere regnum
Indignatus aquis, magno ſtridore morantes
Increpat, & totas violentior aduocat iras.
Apud P. Laur. le Brun. to. 2. Eloq. Poet. in Par.

Agger in aduerſas ab vtraque crepidine terras
Latior, ad ſummum paulatim anguſtior exit
Hic primum erectæque trabes, nudique per alueum
Gurgitis impactæ, cum ſe maris vada referret
Æſtibus alternis, mox ferri robore multo
Innectunt tabulata ſuper; caua deinde ſoluto
Saxorum aggeſtu, vaſtiſque molaribus implent.
Nec vincire opus eſt: multo nam turbida cœno
Glarea, & eiectæ voluuntur ab æquore ſordes
Hic trabibus, ſaxiſque tenax vbi limus adhæſit,
Calce magis, ferroue ligat. non illa reclinans
Perpetuum dorſum ſpumantibus objicit vndis:
Sed medio coitura freto dant brachia ſtagnis
Interrupta viam. qua ne tranſcurrere lembi
Subſidio clauſis poſſint, & fallere furto,
Hinc atque hinc denſæ claudunt diuortia puppes.

At medio in ſpatio geminus quà deficit agger,
Ac totidem in pontum conuerſis cornibus exit
Longa operum ſeries variorum, hic machina textis
Roboribus, ferroque, clauiſque trabalibus hæret
Obiectura moras hoſti, æratuſque catenæ
Et ratibus ſuſpenſus obex currentia in altum
Cornua committit.

Apud eumdem ibid.

Amphiteatrum vulgò Coloſſeum.

EXquilias inter, læuique Palatia montis
Amphitheatra ſedent, ſpatijſque extructa recuruis
Veſpaſiæ monimenta manus, quibus eruta longè
Tiburtina ſuo decreuit marmore rupes.
Nituntur triplices pilis immanibus arcus,
Et ſinuata ſuper teretis curuamina molis
Iungunt aerios obliquo fornice muros.
Interior ſectis compages ſaxea quadris
Attollit ſublime gradus, caueæque refertos
Per cuneos ineunt diſcreta ſedilia ciues.
Carbaſa tenduntur, prohibentque vmbracula ſolem
Stellanteſque bibunt pendentia vela nitores.

P. Al. Donatus l. 2. car 4.

Moles Theatralis feſtis luminibus ornata.

SVrgit ad innumeros moles compactilis ignes
Curuatos patefacta ſinus; diductaque latè
Vaſta theatrali conuertit cornua flexu.
Inferiora nitent pictis albentia ſaxis,
Sublatiſque ſuper candent ſtructura columnis,
Illis compoſiti loculis ſinuantibus arcus
Incumbunt; licet ora virum, Diuumque tueri,
Aurea candentes inter ſimulacra cylindros.
In ſummo niueis operum faſtigia pendent.
Nixa columellis, medioque acroteria ſigno,
Inſcribuntque ſacras numeroſa ellychnia formas.
Veſtitur quæ ſole dies? quæ lumine tanto
Ignea tempeſtas? gremio, quæ viſa flagrantes
Tot cœlo nox ferre globos? ſtant ordine longo
Cunctaque diſpoſitæ circumque, infraque, ſupraque
Compleuere faces: tremulis it cerea flammis
Semita multiplices tum linea viſa per ignes
Paſcere lycnuchis teretes ardentibus orbes
In medio parua qua ſe teſtudine moles
Obliquat, ſtructique gradus latera ardua cingunt
Regia Solis alit ſua ſidera. ſidera flammis
Innumeris ardent, thalamoque elatus ab alto
Aurea Rex velis condit cerealibus ora.

P. Alex. Donatus l. 2. c. 6.

Turris Babel, Vide Tit. Architectura.

Labyrinthus.

VT quondam Creta fertur labyrinthus in alta
Parietibus textum cœcis iter, ancipitemque
Mille vijs habuiſſe dolum, quà ſigna ſequendi
Falleret indeprenſus, & irremeabilis error.
Virgilius l. 5. Æn.

Dædalus ingenio fabræ celeberrimus artis
Ponit opus, turbatque notas, & limina flexu
Ducit in errorem variarum ambage viarum.
Non ſecus ac liquidis phrygius Mæander in vndis
Ludit, & ambiguo lapſu refluitque, fluitque
Occurrenſque ſibi venturas aſpicit vndas
Et nunc ad fontes, nunc ad mare verſus apertum
Incertas exercet aquas: ita Dædalus implet
Innumeras errore vias. vixque ipſe reuerti
Ad limen potuit: tanta eſt fallacia tecti.
Ouidius l. 8. met.

VILLÆ.

Vide Statium l. 1. ſil. in Tiburtino Manlij, & l. 2. in Surrentino.

BAiana noſtri villa, Baſſe, Fauſtini
Non otioſis ordinata myrtetis,
Viduaque platano, tonſilique buxeto
Ingrata lati ſpatia detinet campi,
Sed rure vero, barbaroque lætatur.
Hic farcta premitur angulo Ceres omni
Et multa fragrat teſta ſenibus Autumnis.
Hic poſt Nouembres imminente iam bruma
Seras putator horridus refert vuas
Truces in alta valle mugiunt tauri.
Vitulusque inermi fronte prurit in pugnam.
Vagatur omnis turba ſordidæ cortis,
Argutus anſer, gemmeique pauones,
Nomenque debet quæ rubentibus pennis.
Et picta perdix, Numidicæque guttatæ,
Et impiorum Phaſiana Colchorum,
Rhodias ſuperbi fœminas premunt Galli.
Sonantque turres plauſibus columbarum.
Auidi ſequuntur villicæ ſinum porci.
Matremque plenam mollis agnus expectat.
Non perdit oleum lubricus palæſtrita
Sed tendit auidis rete ſubdolum turdis
Tremulaue captum linea trahit piſcem,
Aut impeditam caſibus refert damam.
Martialis l. 4. Epig. 58.

Maieſtas proh quanta loci! proh mitibus auris
Quanta colit virides gratia iuncta ſinus.
Stat longè ſinuoſus apex, conuexaque montis
Crinibus arboreis alta corona viret.
Villaque deſcendit nemorali conſita cliuo:
Hinc atque hinc frondens obſidet vmbra latus.
In medio ſurgunt regalis culmina tecti
Et Boreæ ſpectant ſed magis alba niues.
Aſt infra gemino ſuſpenditur aggere tellus,
Parietibuſque duplex area nixa patet.
Sparſa vbi per muros miniatæ arbuſcula teſtæ,
Et proles tenero termite picta rubet.
Hinc inde aſſultans fontana remurmurat vnda:
Concha quieturas plena recondit aquas.
Inferiora iacent vario pomaria ſulco,
Et fœtu Autumnus verſicolore rubet.

Vide reliqua apud P. Al. Donat. l. 3. accuratiſſimè deſcripta.

O Arientinæ ſedes placidiſſima Villæ
Curarum domino portus amice tuo,
Sapina quam propter tacitis leniſſima lymphis
Profluit vt riguo gaudeat omne ſolum.
Hic vbi odorata laurus ſe ſe explicat vmbra,
Et virides mollis ventilat aura comas.
Ver vbi perpetuum gemmantia prata colore
Pingit, & arguto gutture cantat auis.
Cantat auis circum omne nemus, ſiluæque loquuntur,
Et facilis vario flore renidet humus.
Hinc eadem in collem protento vertice ſurgit,
Porrigit hinc lato pectore planitiem.
Hinc tendit ſpatioſa manus, & plurima cœli
Accipiens grata munera ſeruat ope.
Hic ſmylax calices, hedera illic læta corymbos
Extulit, hic Cilices promicuere croci.
Et frutices ludunt varia ſub imagine formæ,
Incertaſque ineunt herbida texta vias.
Hic baccas oleæ propius geſſere feraces,
Rideat vt feris fructibus annus iners.
Nec procul aſpicias ſilueſtrem pampinus vuam
Qui tegit, erranti cùm petit alta gradu
Illa viden longè Cypariſſi brachia tollit
In metæ faciem conſpiciendus apex.
Hinc piceæ, pinuſque vigent, affixaque ramis
Pondera non vmbra luxuriante ferunt.

P. Franc. Bencius l. 3. el. 3.

Quà viuis premit, ac pellit freta mortua ſiluis
Engaddæa cauo vallis amœna ſitu:
Ampla ſuburbani ſpectanda cacumine ſaltus
Turrigeroque virens culmine villa ſtetit,

Fir-

Firmarant ſolidos Aſphaltica glutina muros ;
Ambierat tutos foſſa præalta lares,
Arcis in inuidiam ſurgebant ruſtica tecta,
Munditieſque rudi docta nitebat humo.
Ad dextram quà mite iugum Maſadæa leuarunt
Confraga, & aprico iugera colle tument.
Multa racemifero pendebat vinea dorſo,
Vinea Iudæos tingere læta cados
Rubra Palæſtina intrans vindemia cellas
Aut hoc, aut nullo dulcius acta lacu eſt.
Ad læuam mites baccis lætantur oliuæ,
Grataque lactentem ficus opacat humum.
At riguis vbi procumbit reſupina roſetis
Planities; æquo ſtantque vireta ſitu:
Diſpoſito quincunce comæ, ramique flagello
Verberat, vmbroſum flaccida palma ſolum.
Et prope palmiferos ſudant Phœnicia campos
Balſama, mitratas vngere digna comas,
Vallis at oppoſito ſub monte, timentia ſole
Triticа flauebant, Niliacumque ſatum.
Vallis in extremo peregrini piſcis alumna.
Traduce fulgebant ſtagna ſerena lacu.
Imbribus vndabant ciſternæ, fontibus horti,
Arboribus ſiluæ, pignore meſſis agri.
Autumno pomi turgebant, nectare vites,
Torcular muſto, ſpumea cella mero.
In ſtabulis iuga firma boues, in ouilibus agni,
Et bellator ibi, & ſtabat arator equus.
Cumque nothis Aſini mulis, caper atque capellæ,
Ac nido multo fœta columba Syro.

P. Io: Biſſelius Æſtiu. l. 1. el. 13.

Quà de collibus vuidis ſuperbam
Spectant Telegoni vireta Romam,
Hic omnes ego Gratias perennem
Cum Muſis puto collocaſſe ſedem.
Non illis plaga præferatur illa
Quæ Permeſſide temperatur vnda:
Non Cyrrhæ iuga, non gemella ſeſe
Tentent culmina comparare Nyſæ.
Et Campania poſſit ipſa victas
Horum delicijs putare Baias.
Hic cœli facies ſerena nullis
Turbat nubibus ora, Sirioſque
Blando frigore temperat calores
Hic regnant zephyri iubetque ſæuas
Ventorum (licet Æolus repugnet).
Totis cædere finibus procellas.
Hic ver aſſiduos virente pingit
Et florum, & fruticum colore campos:
Et prontum Bromius fluente ſemper
Autumnum videt, ebriumque prælo.
O qualis nemorumque, frondiumque

Illic ſpargitur vmbra! perque laurus
Quanto murmure ludit aura! perque
Proceras fragor ambulat cupreſſos?
Vix lucos mihi diuites, & hortos.
Et myrto tenera, breuique buxo
Prætextas vacat areas, toroſque
Conſertis numerare cum roſetis:
Sed pomis ibi pendulis grauatos
Mirari iuuat hinc & inde ramos.
O miracula fontium: quot artes,
Quot luſus temere iocantis vndæ!
Non illos Thetis ipſa, Tethyoſque
Quotquot ſunt, fueruntque, eruntque Neptes
Omnes omnibus æmulentur vndis.
Hac ima, viden? imber è cauerna
Quanto ſe leuet impetu grauique
Sub terræ impatiens ſinu Thyphœus
Quantis faucibus hiſcat, vt refuſas
In cœlum iaculetur vſque lymphas?
Erumpit fragor improbus. minari
Titanas ſuperis, & arma ruptis
Inſtaurare putes reſumpta vinclis:
Iuſſoſque Æolia furente circum
Ventos ſtridere, murmurare nubes,
Et rupes tremere, & crepare cautes,
Et cœlum fremere, & tumultuoſos
Mixta grandine prouocare nimbos,
Et confundere turbines, & auctis
Iam iám fulmina parturire flammis.

Vide reliqua apud P. Iac. Bidermanum l. 1. ſil. 1.

Hortus erat Charitum ſtatio, cultiſſimus herbis,
Conſitus arboribus, dominantis regia Floræ,
Aulaque Pomonæ. vario circumſona lapſu
Rorabat lacrymis ridentes ruris ocellos,
Et labyrintheo ſerpebat lymphula flexu.
Textilibus nigra ſcena vmbris vernabat, aquarum
Murmure vocalis folijſque, auibuſque diſerta.
Pars villæ ſaxo pendebat nixa ſupino
Vnde aqua terribili ſtrepitu bacchata fremebat,
Inque tubos ibat diſcreta, & fluminis ictu
Tentabat cytharæ numeros, ſed pollice nullo:
Aonidum lituos ſimulabat, barbita phœbi
At grauis Autumno pars altera, cincta racemis,
Potabat ſolis radios camerata per arcus
Fingebant cedri, & virides topiaria lauri;
Attonſo myrtus fabricabat vertice muros,
Et latera vmbrabat ramis frondentibus ilex.
Tortilis in vultus animantum buxus, amœna
Pinxerat ira apros, animauerat ora leonum,
Iucundoque furore lupos, aquilaſque volucres.
Non ala, ſed fronde.

P. Car. de Luca l. 20. Laur. Dom.

Hortus, ſiue locus florens.

CHloris odorato deuecta per aera curru
Spargit humi varios, fertur quacunque colores!
Quaque mouet greſſus ſurgunt violæque, roſæque.
Corycijque croci, atque immortales amaranthi,
Candida nec niueis ceſſura liguſtra pruinis,
Ipſe etiam Charites ſocio ſimul agmine fundunt
Certatim illa thymum, Roremque & molle Cyperon.
Hæc caſias calthaſque, hæc & Vaccinia nigra,
Narciſſi & lacrymas, Hyacinthi & nobile gramen,
Et thymbram, & quos nunc tellus fert Dædala flores.
Iou. Pontanus l. 1. de ſtellis.

Namque vbi ſe geminas ædes protendit in alas,
Areolæ hinc atque hinc vernant gemmantibus herbis,
Totque fouent gremio flores quot littora conchas:
Non alio florum diſcrimine ridet agellus,
Quam picta innumeris Cythereia concha lapillis.
Ille tibi Cyanum, tortum tibi pandit acanthum.
Et breue Cherepulum, & ſolem quæ ſpectat amantem
Semper amans Malachen: teque ò pulcherrime Adoni
Nunc flos, at quondam iuuenilis gloria pubis:
Quique ſuis gemitus folijs inſcripſit, & hia,
Phœbe tuum vulnus, tua pignora cara Hyacintum.
Nec minus aſperſi natiuo ſanguine flores
Murice collucent immortales amaranthi.
Et crocus, & Smylax & quæ ſuffuſa cruore
Alba prius, Veneri rutilo roſa purpurat oſtro.
Quid referam vt ſuaues prætexat amaracus vmbras,
Vt Panaces flauo ſcintillet lumine, ſucco
Gratior, vt minio violæ tingantur, & albo
Flore puellares imitetur regia vultus
Parthenice, gelidumque bibant violaria fontem?
Tu quoque virginibus donum memorabile Caltha
Lutea flammeola pingis viridaria gemma,
Tuque puer Narciſſe olim male creditus vndis,
Et quæ nocturnis fragrat magis Heſperus oris
Flammeaque, & ternis imitata coloribus Irim
Iris, & omne genus violæ, quibus ora leonis
Adde feri, floremque Iouis, quodque emicat auro
Abrotonum, atque omni gemmantem tempore Picrim,
Et miſcenda albo vacinia nigra liguſtro.
Aur. Vrſius in Hor. Exquil.

Hic etiam tenui creſcunt violaria ſucco
Et circum teneros pariunt lætiſſima fœtus.
Tu puras Narciſſe niues, aut lutea colla
In tepidæ credis concordia frigora brumæ.
Frigora nec metuis hyacinthe noxia, magnis
Quæ tibi concilias opibus: ſic pulcher in auro,
Pulcher & argento, vitreis aut concolor vndis.

Te mille in facies, & nomina mille coloras.
Hic & Pæſtanis certans Anemona roſetis,
Cui tumido collecta caput ſeu purpura nodo,
Seu nix alba tegit roſeo circumdata limbo.
Explicat & varios eadem pulcherrima cultus.
Vos quoque liquiſtis iam credita montibus imas
Liſia conualles, viridique hærentia culmo
Lacteolos puro calices afflaſtis odore.
Quin & formoſæ Tulipæ (quibus inuidet iris
Grandia inexhauſtis diſtincta coloribus ora)
Omnigeno pictos ſimulant in ceſpite flores.
Nobilior liquidas implebis odoribus auras
Cariophylle omnes ludens imitate colores.
Ipſe quoque ignotus qui Mexica rura tenebas
Pulchrior in ſeptis vernat Granadillus amœnis:
Ille ſuper folia auguſti candentia floris
Spinea contexit lento diademate ſerta,
Cuſpidis ac ternas acies, & vulnera ſignat
Argumentum ingens, morientis ſigna Tonantis.

P. Alex. Donatus l. 2. car. 5.

Illinc iocoſo penſiles ſuſpendio
Irridet aura floſculos;
Vernanſque ſocias inter hyacinthus roſas
Criſpante ſtipatur coma;
En caltha florum Proteus, totos ſuo
Intexit agros vellere
Imparque proprio ponderi ora languido
Acclinat ad terram oſculo.
En explicatis Tulipæ captant labris
Amœna phœbi lumina.
Et ſi vel atra pellitur noctis rota
Vel inſepultus nubibus
Titan ſenas inuidet mundo comas,
Turbante Cauro ſidera;
Et illæ apertos protinus claudunt ſinus,
Triſtemque vultum contrahunt.
En ordinatis carminatim lineis
Se ſpica Nardi porrigit:
Florentibuſque Roſmaris tua radijs
Se ſe coronat inſula.
Illinc verecunda Irides florent genas,
Et tam modeſtè ſubrubent;
Vt ipſe florem penè credatur pudor
Propria animaſſe purpura.

P. Alb. Ines Lyr. cent. 1. ode 81.

Hi nemorum luci, denſis hæ frondibus vmbræ:
Lætaque pomiferis viridaria conſita ſiluis:
Hæc & odoratis arbuſta fluentia ſuccis,
Illaque fragrantes ramis halantia nimbos
Gramina virtutis medicę pictique comantes
Veris opes, Floræque domus, zephyrique morantis
D:-

Deliciæ, quibus excelſi munimina muri
Dauidis labor in magnum circumdedit orbem
Vndique concluſi ſpecies hæc nobilis horti,
Inclita felicis claudens compendia terræ,
Quidquid odoratum Libanus campique Sabææ
Gentis, & excuſſis ſpirat Panchaia ramis:
Quidquid & auriferum Heſperides, felixque beati
Æquoris occiduum quæ reſpicit inſula ſolem:
Quidquid habet Pharium geniale Canopus ad amnem.
Quidquid in aerios Babilonia ſuſtulit arcus,
Quidquid ad Adriacum mollis Phœacia pontum,
Quidquid Arabs metit, aut Indus, cœloque ſub omni
Quidquid honoratam pretioſo nomine laudem
Virtutis, formæve tulit, miracula mundi
Omnia regales vario diſperſa per hortos
Munere, diuerſis illuc coeuntia terris
Æmula perpetuo ſe compoſuere theatro.

P. Ant. Chanut. in Parm. Poet. Soc. Ieſu.

FLORES.

Roſa.

Vidi Pæſtano gaudere roſaria cultu
Exoriente nouo roſcida lucifero.
Ambigeres raperet ne roſis aurora ruborem
An daret, & flores tingeret orta dies.
Ros vnus, color vnus, & vnum mane duorum
Sideris & floris, nam domina vna Venus.
Forſan & vnus odor: ſed celſior ille per auras
Difflatur, ſpirat proximus iſte magis.
Momentum intererat, quo ſe naſcentia florum
Germina comparibus diuiderent ſpatijs,
Hæc viret anguſto foliorum tecta galero,
Hanc tenui folio purpura rubra notat.
Hæc aperit primi faſtigia celſa obeliſci,
Mucronem abſoluens purpurei capitis,
Vertice collectos illa exſinuabat amictus,
Iam meditans folijs ſe numerare ſuis.
Nec mora, ridentis calathi patefecit honorem
Prodens incluſi ſemina denſa croci.
Hęc modo quæ toto rutilauerat igne comarum,
Pallida collapſis deſeritur folijs.
Mirabar celerem fugitiua ætate rapinam,
Et dum naſcuntur conſenuiſſe roſas.

Auſonius Idyll. 14.

Ilicet erumpunt terræ de viſcere flores,
Terræ oculus, cœli liuor, Roſa purpurat ardens,
Et regina ſuum veſtit pretioſa tribunal,
Flaua coronatæ iactans incendia frontis,
Frondibus obuallat ſedem, dumoſque rigentes

K 6 Ar-

Armat in excubias, populo quo iura minori
Tota ferat, floreſque ſuos tranſcribat in vſus.
Cingitur hinc Princeps, denſuque ſatellite florum
Emicat, & teneros iacit ambitioſa capillos,
Inuidioſa aſtris, auroræ lumen, olympi
Gloria, veris honos, & viuax pompa colorum.
Aug. Maſcardus l. 4. ſil. in Ver.

Exere formoſos veris decus, exere vultus
Idaliæ roſa grata Deæ, ſat clauſa virenti
Carcere, ſat rigido latuiſti milite ſepta.
Exere naſcenti roſeum iubar æmula ſoli,
Atque ſinus laxans virides, multoque grauatum
Rore, Dioneos inter caput excute flores,
Quippe alios tantum vincis pulcherrima, quantum
Cynthius aſtrorum medijs in millibus ardet,
Atque vbi purpurea calathus ſe pandere rima
Cœperit, illuſtreſque comas effuderis hortis.
Seu niuibus certare placet, tibi lactea colla
Lilia ſubmittent, limboque coruſcus in aureo
Litiopes proprij mirator pallidus oris:
Seu minio certare velis, tibi purpura cedat
Pæonijs infuſa comis, nec certet ocellus,
Rubraque languenti dilecta papauera Morpheo,
Sin magis ambroſios amor eſt aperire receſſus,
Ipſa minus ſuauem viola expirabit odorem
Exoritur, calathique moras perrumpit acuto
Vertice, quale decus Superi! quo fulgurat oſtro!
Vtque halat gratis perfuſus odoribus æther!
At quam formoſi fugitiua eſt gratia floris.
Idem ſurgentem phœbus videt, atque cadentem.
Apud P. Laur. le Brun. to. 1. Elo. Poet. l. 7.

Hic ſub ruborum denſiore milite
Crebriſque ſpinarum roſa
Horreſcit armis: crederes rurſum in ſuo
Videre Danaen carcere:
Hic erubeſcit, hic ſuos pallet rubos,
Spinaſque cælat frondibus.
Hic delicatas aureis mitras pilis,
Flauumque criſpat verticem,
Et pertinacis velticans hamo rubi
Ad ſe viatores trahit.
Ac tot decoris explicita coloribus
Varia meretur nomina.
Nunc vulneratæ floridus terræ cruor,
Nunc parua ſtellarum ſoror:
Nunc caſtiori conſecrata lumine
Pudica pratorum Venus.
P. Alb. Ines lyric. cent. 1. ode 81.

Qualia puniceo Ierichunte roſaria partu
Centenis opu'enta comis, biferoque per annum
Fœta

Fœta rubo, gemini roſeos in veris amictus
Felici damnata ſatu, terræque parentis
Vbere, laudato ſætis illuſtria dumo.
Hic ſita vernanti pompæ regalis in oſtro
Ardet, & ambito florum regina ſuperbit
Imperio; ſedet arce rubi, diffundit odorem
Ambroſium. ſiſtitque Notos, tumet inclyta gyro,
Et centum geminos roſa ſe deſcribit in orbes.

P. An. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Cum zephiris tepuere dies, cum cornua Tauri
Præteriens ſubiſt Geminus, lucemque beatam
Cœpit in algentes curru ſol ſpargere terras:
Surculus hic fœtæ gremio noua gaudia terræ
Ducere, tum frondere comis, lætumque virorem
Fundere, tum calicem tenui deſcribere cono,
Et viridi tornare globo, denſare comantes
Diuitias, hilarique dein diducere riſu
Labra globi, ditemque ſinum vix pandere ſecto
Tegmine, ſidereos hac promere luce colores
Sentibus innocuum ducens roſa floris honorem.
Floris amans; languenſque mora, Sol torquet amores
Acribus in calicem radijs: hic lætus amanti
Pandere ſe maturat, amant formoſa videri.
Oris opes, totamque colorum in lumine gazam
Explicat, incerti clara argumenta fauoris.
Segmina quina iacent calicis; laxatur in orbem
Agmen honoratum foliorum, & ſectilis oſtri
Circulus, & lato ſeries circumſita gyro.
En vt honorato viridis cuſtodia vallo
Præcingit dominæ decus, & ſtatione fideli
Haſtati paribus ſpatijs nectuntur ad ipſam
Principis auguſtæ ſedem, ſoliumque coronant,
Quid prius? an rutilus color? an diffuſa comarum
Segmina, vel cœleſtis odor: molliſve coronæ
Blandus honos? Circi hæc ſpecies, eſt inclita Floræ
Regia, victoris Maij geniale trophæum;
Illecebræ Charitum molles, feſtique theatrum
Veris, odoratæ Panchaia mobilis auræ.

P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Lilium.

SVnt nobis tereti ſurgentia lilia caule,
Lilia iam valuas tangere nata meas.
Areolis vt quæque ſuis, ita diſſita formis,
Ex vario patriam ſideris axe trahunt,
Cœrula flaueſcunt, & pendente lilia gilua.
Stant quoque Corycio plurima tincta croco.
Ebria Sarrano ſtant magnaque, paruaque ſucco;
Sed regnum ac ſceptrum candida ſola tenent.
Quàm benè defixis hærent fruticantia bulbis!
Vix queat hæc Pæſti tam ſolidare labor.

Quàm

Quàm perpendiculo ſcapi ſe pertica tollit:
Arte Corynthiaci vix imitanda fabri:
Natiuo circum ſerpunt folia arcta ſmaragdo,
Ex imo ad ſummas ambirioſa comas.
Ardua magnanimæ ſurgens ſtatione columnæ
Erigit ad cubitos culmina penè duos.
Supremoque ſui fundens in vertice flores,
In calices plures deſinit vnus apex.
Parte calix aliam iam pubere fractus hiatu,
Maturo ſoluit labra repanda ſinu.
Labra tot, in Maij quot currunt ſidere Nonæ,
Splendida, & Odryſia candidiora niue.
In medio floris, croceo ſtylus aureus ortus
Vertice criſtato claudit honore caput.
Ad ſummam, ſic picta vides, vt viuere credas.
Sic viuunt ſimul, vt lilia picta putes.
P. Io: Buſſ. hus l. 1. Æſt. el. 17 & 18.

Ecce tibi viridi ſe lilia caudice tollunt,
Atque humiles alto deſpectant vertice flores
Virginea ridente coma, quam multus oberrat
Candor, & effuſo ſpargit Saturnia lacte.
At circum intus agunt ſe tenuia fila coruſcis
Lutea malleolis, niueoque immiſta nitore
Purpura collucet, ſparſoque intermicat auro.
Apud P. Laur. le Brun. to. 1. El. Poet. l. 7.

Hic florulento lilietæ frigore
Latas inundant areas.
Vernoque lacte languidum quaſſant caput
Æſtatis innocentiam.
En vt minutim fluctuant, & è ſuis
Suſpenſa pendent caulibus.
Vt candidatis turbinata paginis
Album merentur calculum;
Et ſuſtinentes grandius premunt baſes,
Flauoque rident ſtamine.
P. Alb. Ines. lyric. cent. 1. ode 81.

Celſule flos iuuenum, perge hinc tu primus in hortos:
Liliumque carpe, florum principem excelſiſſimum,
Rectus, & enodis radioſa fronte coruſcat:
Floræ ſuperbæ faſtus amabilis:
Regale ſceptrum Veris in regno putes.
O eſſet hic flos aureus:
Sol eſſet inter ſidera;
Hortenſis æthræ: argenteo
Candore Luna eſt, ſed tamen prato creat
Diem ſerenum.
Ico: Sanctius florid. l. 1.

Nobilis erecto ſe ſe flos caule ſub auras
Surrigit, & nitidos à vertice fundit odores,

La-

Lacteolamque nivem medio diſcriminat auro.
En vt honoratam viridanti margine ſiluam
Explicat, & compto ſe torquet in aera culmo
Truncus in æthereum properans ſe pondere florem.
Aſpice qua naſcens primum ab radicibus imis
Emicat in longos vt ſe viridiſſima ductus
Progenies, ſtrictos folijs imitantibus enſes,
Geſtit & ambitum circum vallare parentem,
Ne tamen in blando rigidum quid flore dolorem
Afferat, aut terrore oculos offendat inani:
Verna ſuſperfuſo pingueſcit lamina ſucco,
Obtuſoque hebetat fictum mucrone rigorem.
Inde capillitio per decrementa minori,
Impariles attonſa comas, velut ordine, circum
Silua coronatum denſo tegit agmine caulem,
Surgit & in viridem ſucciſo turbine conam. *Et inf.*
Quidquid id eſt, viden' vt tereti de culmine caulis
Exilit, & viridem ſtringens in acumine nodum,
Productuſque tubo niueum trahit ore colorem
Plenus lacte calix, & rara diues opum vi
Vertice ruptus hiat, puroſque recludit honores.
Aſpice vt in ſenas partitur candida frondes
Segmina, & ouatam concreto lacte figuram
Deſcribit, qua parte foras erumpit eburnæ
Gaza comæ, exertamque refert ſed lactea linguam.
Vt teres in calicem, quo ſe flos indat, acumen
Præciſis tenuat folijs, anguſtat & imum
Floris; vt oblongas ducto ceu tramite lamnas
Exarat, & medium ducit via lactea ſulcum,
Signatoque niuem folij diſcrimine findit.
En folia vt labris nolas imitata repandis,
Malleoliſque datura locum, fallente recedunt
Ingenioſa fuga; dumque altis ora retorquent
Flexibus, ambitioſa tument, cinguntque coronæ
Vittatam ſpecie frontem, pompaque niuali
Inclita fucatos diuerſicolore veneno
Deſpiciunt flores, erectaque vertice regnant.
P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Granadillus.

Ecce frutex humili qui ſurgens ſtipite pandum
Definit in florem, folio dein tenditur vno
Continuus: radijs oras ambitur acutis.
In medio lucent quiuis illuſtria gemma
Tubera, purpurea ſtillantia tubera lympha.
Sed qua nympha ſinum calicis matura recludit,
Subrigitur (miranda fides) procera patenti
Fixa columna ſinu, tereti de marmore qualem
Dædala conari Lyſippi dextera vellet.
Summa coronantur flexo diademate, credas
Conſertos hærere vepres, hirtiſque minari
Armatum ſtimulis erecti tergus echini.

Emi-

Eminet implexis è ſentibus ordine triplex
Clauorum ſpecies; quorum ceu vulnere trino
Fixus in arrecta ſtabilitur mucro columna.
Prominet è ſolio breuiore fariſſa: flagellum
Capreoli formant ſed imago ſtipiti altam
Aſſimulat quadrata crucem.

P.Iac.Bidermanus l.3. Heroid.

Mille notas inter, rorantes ſanguine vino
Quæ maculant frondes, maioribus illita guttis
Quinque micant roſeo ſtillantia vulnera ſucco.
Tergemina virides herbeſcunt cuſpide claui
Impoſituri oculis, niſi tractu iudice ferrum
Eſſe neget duro facies diuerſa metallo
Formoſi calicis creſcens ſe tollit in altum
E medio columella ſinu: florem inde ſupremum
Natiuo innocui ſentes diademate cingunt.
Sic erat illa tuam, quæ quondam Chriſte corona
Implicuit frontem mordacibus aſpera dumis,
Diuinumque bibit ſpina ſitiente cruorem.

P.Gilb.Ionninus in Parn.Poet.Soc.Ieſu.

Heliotropium.

NOn ita folis amans, folijſque micantibus auro
Æmulus, ardentique globo, flos inclite florum,
Gloria purpureæ Sol inter ſidera terræ:
Non ita puniceo phœbum comitatur ab ortu,
Ingentemque viam cœli, curſuſque laborem
Immenſum deſcribit, humi radicibus hærens,
Flore ſequax ſpectante ducem: viridante comantem
Ambitione vaga circum, velut agmine ſiluam
Torquet agens; viſo ceu brachia blanda parent
Porrigat, & tacitum pandat fugientis amorem
Sideris, & croceos formę ſplendentis honores.
Solis adorato ſenſim conſurgit Eoo
Et medium cœli recta ſuſtollit in axem
Exultans cum caule caput: plenoque parentem
Ore trahens, parili fulget velut inuidus igne.
Ac demum cum ſole cadens languente ſalutat
Occiduum ceruice iubar, totaque diurnum
Nocte remetitur ſpatium, veſtigia curſus
Fronte legens verſa, primoſque recurrit ad ortus
Anxius, & patrios meat irrequietus in orbes.

P.Ant.Chanut.in Parn.Poet.Soc.Ieſu.

Tulipa.

OCyus emergit viridem mentita Smaragdum
Gemma ſolo, ſenſimque leues poſt luminis hauſtus
Creſcit agens fibras, & aperto fiſtula cœlo
Credere adhuc teneros audet temeraria fœtus.
Attamen aſtra fauent; iam libera carceris exit

Fron-

Frondea compages, tenuique arctata cylindro
Intumet, & tandem reſerato captat amicum
Ore diem, totoque viget ſpectabilis horto.
In calicem ſe lingua rotat, circumque refulget
Læta ſuſurrantis trepidans ad ſibila venti
Bractea, diuitibuſque auri florentis imago
Diſcolor in folijs per denſas fulgurat vmbras.
Inter virgineam pretioſi germinis alvum
Serica fila micant fuluis capitata corymbis:
Perque comas crocus, & minium, nec ianthina deſunt
Pigmenta, & rutilos argentum circinat orbes,
Plantaque cœleſti frondeſcit amabilis arcu.
Apud P. Laur. le Brun. t. 1. eloq. Poet. l. 3.

Narciſſus.

ILlinc minore flore Narciſſus nitet
Canoque palleſcit gelu
Quem ſi loquaris, ſuſcitata flebili
Suſpirat Echo murmure.
At nec ſub vno flore Narciſſus latet,
Nec crine eodem fluctuat.
Illinc fideli purpuram mendacio
Mentitur, & fingit roſas.
Illinc pudico ſubrubentes murice
Viuas odoris pixides
Suſpendit, inde luteas refert notas,
Floræque tintinnabula:
Hinc ditiori pingit auro pendulam
Floris tenelli bracteam:
Ac diſtributis in modum ſtellæ comis
Flauum rotundat verticem.
Illinc cruentum mentiente ſericum
Nutat, labatque coccino:
Aut nigricante buxeum ferrugine
Senſim colorem diluit.
En rurſus idem in aureis flauet genis
Auroque ridet duplici:
Argenteoque lacte conſperſum caput
Virente concludit mitra:
Et quà ſupremi verticis ſurgit coma,
Raro rubeſcit ſanguine.
P. Alb. Ines, lyr. cent 1. Ode 81.

HERBÆ, ET FRVTICES.

IAm breue chærophylum, & torpenti grata palato
Intyba, iam teneris frondens lactucula fibris.
Alliaque infractis ſpicis, & olentia latè
Vlpica, quæque fabis habilis fabrilia miſcet.
Iam ſiſer, Aſſyrioque venit quæ ſemine radix,
Sectaque præbetur madido ſociata lupino,

Vt

Vt peluſiacè proriret pocula Zythi
Tempore non alio vili quoque ſalgama merce
Capparis, & triſtes inulæ, ferulæque minaces
Plantantur, nec non ſerpentia gramina mentæ.
Et benè odorati flores ſparguntur anethi,
Rutaque Palladiæ baccæ victura ſaporem,
Seque laceſſenti fletum factura ſinapis,
Atque oleris pulli radix, lacrymoſaque cepa
Ponitur, & lactis guſtum quæ condiat herba.
Tum quoque conſeritur toto quæ plurima terræ
Orbe virens, pariter plebi, regique ſuperbo.
Frigoribus caules, & veri cymata mittit.

Columella de cul. hor. l. 10.

Hic mentæ virides, hic lenta ſiſymbria ſurgunt,
Hic meritus plenis ardens erucula palmis,
Et tymbræ ſuaues, & odoriferæ panaceæ
Fœniculumque, apiumque, & falſi gramina crithmi,
Atque meliphila, & ſucco colocynthis amaro,
Et vernans ad aquas, & aquas, metuens adianrum:
Pamphiliuſque rhymus, tymbra qui durior exit,
Et Sia propter aquas vite potura virorem,
Capreoliſque hirtis imitata filicula cirros,
Sonchique, aſplenumque, lupique volubile germen,
Pictaque phyllitis ſuſpendere gnara corymbos,
Coryciumque crocum, grarumque halans calaminta,
Et coma ſuaue rubens dictamini, Idæque papauer.

P. Bern. Stephonius l. Heroic. c. 11.

Hic myrtus viret, & roris non parua marini
Copia, voſque apibus grariſſima pabula Tymbræ,
Hybleumque thymum, Caſiæque, & olentia latè
Serpylla, & gratis nutritus amaracus auris.
Nec procul hinc abſunt roſeas imitata papillas
Fraga puellares. Venerique accepta moranti
Eruca, & medicas fortita abſynthia vires,
Fœcunduſque rumex, & odoriferæ Panaceæ
Gramen, & irriguis quæ gaudent intyba riuis.
Non deſunt triſtes inulæ, rutæque ſalubres,
Et mentha, & rhamni, Coriandraque pendula filo
Marrhubiumque ſalax, & amica papauera ſomno.
Quin adſunt betæque humiles, terſuraque dentes
Saluia, quæque acrem latè iaculantur odorem
Inuitoque trahunt lacrymas naſturtia vultu.

Aur. Vrſus in Hor. Exquil.

Lactuca.

IAmque ſalutari properet lactuca ſapore,
Triſtia quæ releuat longi faſtidia morbi.
Altera crebra viret, fuſco nitet altera crine,
Vtraque Cæcilij de nomine dicta Metelli,
Tertia quæ ſpiſſo, ſed puro vertice pallet.

Hæc

Hæc ſua Cappadocæ ſeruat cognomina gentis,
Et mea quam generant Tartheſi littora Gades,
Candida vibrato diſcrimine, candida tyrſo eſt.
Cypros item paphio quam pingui nutrit in aruo
Punicea depexa coma, ſed lactea crure eſt.
Columella de cul. hort. l. 10.

Braſſica.

COlle ſuburbano quid mollius educat hortus
Cum Ver irriguis gramina nutrit aquis?
Pullulat huic medio ſoboles denſiſſima culmo,
Et circum teneros explicat aucta ſinus.
Ille gerit viridi tumidos è fronde corymbos,
Et croceos tereti cortice condit opes.
Multiplices aperit mox aureus ordine gemmas,
Seque ſuo circum flore coronat apex.
Cernite natiuis fruticantes ſtirpibus agros
Tot diuerſa meus Caulis in ora venit.
Hic tumidum folijs creſcit capitatus in orbem,
Candidus, & denſas condit in orbe niues.
Hic capita extendit patulis denſiſſima ramis.
Et folia elato vertice craſſa leuat
Hic niger hyberno criſpatus frigore frondet,
Aſper inæquales explicat ore thoros.
Hic folijs numeroſus agit: ſtat floreus illi
Criſtatuſque alto vertice ſurgit honor.
Hic iucunda parat generoſo fercula thyrſo,
Iuraque dant ſcutulæ, fruſta reſecta natant.
P. Alex. Donatus l. 3. c. el. 6.

Fraga.

AT quà conſpicuo pinetum vertice ſurgit,
Montana cliuus fertilitate rubet
Pingitur ambroſio tellus lætiſſima fructu,
Punica fragorum purpura ſerpit humi,
O mihi quis Cois pictor tam blanda tabellis
Grana repræſentet? non ita gemma nitet.
Quàm rutilo lucent Erythrææ ſanguine baccæ?
Quàm bene guttatis ſtat mitra viua notis?
Quàm ſpirat teneras Zephiris agitantibus auras?
Quàm ſuaui miſtos vernat odore ſapor?
Seu plenis congeſta volis deglutio fraga,
Seu lactis patera miſceo, ſiue meri:
Seu diſtillato diſtempero denique baccho:
Perſica non æquè eſt lauta Choaſpis aqua.

P. Io. Biſſelius l. 1. Æſt. el. 20.

TO-

TOPIARIA.

Et frutices in varias rerum ſpecies conformati.

Fingit adhuc teneros frutices, & gramina docto
Temperat imperio, prima creſcentia pube,
Et tandem iubet innumeras aſſumere rerum
Textilibus nodis, & lento vimine formas.
Scilicet æthereas venit hic obeliſcus in auras
Myrteus: hic velis remiſque virentibus Argo
Molitur, ventuſque expectat pigra ſecundos.
Hic teres intonſo contexitur orbita baxo
Siluicolæque feræ ſimulantur rore marino,
Aeriæ ſimulantur aues in ceſpite molli:
Præcipuè quæ ſceptra tenet regina volucrum
Conformata thymo, ſerpillo ficta ſequaci
Areolas fuluis medias amplectitur alis.
P. Tar. Gallutius l. 2. car. 19.

Hic paſſim virides mentiri corpora frondes,
Et folijs textas videas volitare volucres.
Illa recedenti ſimilis, ſimiliſque volanti
Libera iam trunco geminis ſubremigat alis:
Illa animis roſtroque minax petit eminus hoſtem:
Illa ferox criſtis, natiuo diſcolor auro
Indignata dolet cunctas virideſcere pennas.
Quin etiam telis galeaque induta comanti
Et clypeata furit myrtus: ſtant frondea ferro
Agmina, ceu turres, ac propugnacula circum
Denſati veniant hoſtes: hi miſſile telum
Expediunt: longis hi pugnant cominus haſtis:
Hi feriunt, liquidoſque trahunt pro ſanguine ſuccos,
Parte alia puppis Zephyro dat vela tepenti
Apta ſolo, & fruſtra conſumit carbaſus Euros
Hinc hominum, ſuperumque trahit cœlata figuras
Seque ſacris naſci miratur frondibus arbor.
P. Al. Donatus l. 2. car. 5.

ARBORES.

Vmbra loco venit: non Chaonis abſuit arbor.
Non nemus Heliadum, non frondibus eſculus altis,
Nec tiliæ molles, nec fragus, innuba laurus,
Et coryli fragiles, & fraxinus vtilis haſtis,
Enodiſque abies, curuataque glandibus ilex,
Et platanus genitalis, acerque coloribus impar,
Amnicolæque ſimul ſalices, & aquatica lotos,
Perpetuoque virens buxus tenueſque myricæ,
Et bicolor myrtus, & baccis cœrula ficus.

Vos

Vos quoque flexibiles hæderæ veniſtis, & vna
Pampineæ vites, & amictæ vitibus vlmi,
Ornique, & piceæ, pomoque onerata iubenti
Arbutus, & lentæ victoris prœmia palmę,
Et ſuccincta comas, hirſutaque vertice pinus
Grata Deum matri.

Ouidius l. 10. met.

Mœnalio ſtupet in ſaltu dum increſcere cornum,
Non ſenſit quercu ſe ſe frondere Lycęus.
Gargano in magno, aut in nimbifero Apennino
Dum creſcunt tiliç, atque orni, dum vertice Pindi
Surgit acer, pinu interea ſe ſubleuat alta
Pelion, & latè pelago ſua ſigna minatur,
Iam videas caneutem oleis frondere Taburnum,
Ac buxo varius uectit ſibi ſerta Cytorus.
Proueniunt latè campis cœleſtia dona,
Plurima nux, & pruna rubentia, & aurea ramis
Mala, & odoratis non indecor arbutus hortis,
Et cœraſi palmęque, & lotos amica Lyęo,
Atque in ſanguineam Morus poſt verſa figuram,
Erumpuntque ſulo biferę, atque cydonia canis
Frondibus. erumpunt ſudanti balſama ligno,
Ac de textilibus pendentia citria ramis.

Io. Pontanus l. 1. de ſtell. Tit. Gen. infer.

Hic oleam, eduramque nucem, mala aſpicit illic
Appia, queque hyemis poma afferuntur in vſum,
Meſpilaque, & ventrem Corna aſtrictura ſolutum,
Inque leui palea matureſcentia ſorba
Sępè legit tremulo ſuſpenſa cydonia ramo,
Aut virides inter flauentia citria frondes
Malaque peruigili non cuſtodita dracone
Aurea, & his nullo adiungit nocitura veneno
Perſica, Sextili properant quę precoqua menſe,
Quæque ſub extremum autumnum miteſcere diſcunt.
Hinc etiam ceraſis, farti Moriſue cruentis
Sanguine viminei multo manant calatiſci,
Et pręcox bifera decerpitur arbore ficus.
Quid referam, miſit quondam quę pruna Damaſcus
Diues, & Armenijs referentia nomen ab oris?
Quid pyra Cruſtumia, & pręgingui ventre Volema.
Regiaque, & Syris quondam acceptiſſima terris?
Hic tibi nec coryli fœtus, nec amygdala deſunt,
Nec quidquid fert cultus ager.

Aur. Vrſius in Hort. Exquil.

Purpurei pingunt candentia mala rubores,
Cum primos aperit bruma niuoſa dies.
Et melimela rubent mellito dulcia ſucco:
Appia natiuus luthea veſtit odor.
Ipſa grauant patrios aurata cotonea ramos,
Atque ingrata Irę damna parentis amant.

Ocyus

Ocyus agricolæ numquam legere ſuperba,
    Aut pira quæ multo lacte falerna fluunt.
Hic etiam tumidis gaudebit palma Volemis,
    Nec male tentabit muſteus ora ſapor.
Hic ſecura nouos exponit amygdala flores,
    Et nondum Boreæ mortua flabra timet.
Perſica non vllis creſcunt lapidoſa venenis,
    Præcoqua ſiue rubent, luthea ſiue tument.
Et ceraſum tereres ſaturabit ſanguine fœtus,
    Ceu patrijs quondam Pontus alebat agris,
Pomaque in Armenijs gaudent miteſcere malis,
    Fucat & illudens aurea terga rubor.
Pruna Damaſcenæ quondam, nunc Itala, terræ,
    Carpere cum praſinis cerea miſta iuuat.
Hic & purpureis certantia Zizipha Cornis.
    Bacca rubet mollis, durior ante viret.
Iam Lybici eſtrino tuberes ſe cortice condunt,
    Ærugo pingit meſpila, Sorba crocus,
Parte alia proles viridis palleſcit oliuæ:
    Autumni ſuccis pinguibus atra madet.
Coccina vinoſis mox ora nigrantia moris:
    Lauere infectas corpore acerba manus.
Punicaque in ſcabris denſantur apyrina ramis,
    Rubra coronato tegmine grana latent.
Vltima frugifero ſurgent contermino campo.
    Ardua dumoſis robora caſtaneis.

P. Alex. Donatus l. 2. el. 1.

Hic paruulæ ramis platani, palmæque ſuperbo
Vertice, pallentes rami felicis oliuæ,
Pulchra comas Terebinthus, & aeriæ cypariſſi,
Et pingues piceæ, quercuſque, vlmique maritæ
Vitibus, in virides crinem diſſecta capillos
Pinus, & excelſis tollens caput Ornus in auras.
Inde nuces, hinc Poma ſui diſcrimine campi
Singula, in exactum longo quincunce tenorem.

P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Arbor frondibus & fructibus ſpoliata.

Qualis hyperboreis arbor caput icta flagellis,
Quæ primo cum vere nitens, atque vbere felix
    Pomifero, cœpit teneros educere fœtus,
Sollicitæ ſpes agricolæ, ruit inuida cœlo
Ira Noti, aut hyemis violentior ingruit horror:
Mox virides decuſſa comas, vernumque decorem,
Relliquias ſeruat ramorum, & inutile germen;
Flori comam donec pubem nouus educat annus.

P. Fulcharellus l. 1. car. 4.

Fr-

Vitis.

ILla fruenda palam facies, quam vitea circum
Ducta racemiferis prætendit poma corymbis:
Et viridis flauis admixtus detegit vuis
Pampinus; hic hilari turget vindemia baccho,
Palmes & effuſis per purum elapſus habenis
Fingit agens folijs caueæ ſcenalis honorem.
Quis color ille comis? lucetque latetque Lyæi
Purpura, & in varios diſtinguitur vua colores.
Ant. Vrſius in Hor. Exquil.

Tu gemmis autumnum oneras, mollique pyropo
Plectis honoratas operoſa ſine arte corollas,
Quas tenero abſimilis depingit pampinus auro
Tu nimio defeſſam æſtu, atque extrema trahentem
Pata ſiti terram, diſtentis nectare mammis
Piona foues, propriæ tandem ſed prodiga vitæ,
Cui lacrymas olim dederas (dum vere tepenti
Semiputata truci deflecti brachia falce)
Sanguinis exundans pretioſa fluenta propinas.
Tu ſeu pampinei curuata in fornicis arcum,
Deſuper impendens, frondoſi culmina cœli
Tot varias operoſa aſtris: quot borrus amatas
Educat, & varia baccas diſcriminat arte:
Seu image connubio palo copulato marito,
Coniugis amplexus ſinuoſo blanda flagello
Expetis, in prolem grauidos enixa racemos,
Et paris, & partus mortalis lactat hiantes.
Aug. Maſcardus l. 2. Sil in Autum.

Vindemia & Vinum Vide infra in Tit. Agricultura.

Citrus, & mala Citria.

ORbe etenim heſperio, Niaſique ad littora quondam
Oceani, auriferis primum ſe ſe extulit hortis
Citrus, arboreæ referens præconia palmæ:
Illi perpetuus frondis decor: inter opacum
Albeſcunt nitidi flores nemus, atque ita latè
Spirat odoratus Zephyr s felicibus aer.
Ipſa quidem lauro folijſque, & cortice, & ipſo
Stipite tum ſimilis, tum frondeſcente iuuenta,
At cono inferior, ramiſque valentibus impar.
Quin grauida è ramis, triplici & diſtincta colore
Mala nitent, virides primum referentia frondes,
Hic rutilant, fulvoque micant matura metallo,
Flore nouo ſemper, ſemper quoque fœtibus aucta,
Iou. Pontanus l. 1. de hor. heſper.

Vos etiam grauidis properaſtis Citria ramis
Heſperias meliore ſolo mutare nouales:

Seu

Seu tereti pictę nutritur margine teſtę,
Et ſobolem, ramos arbor collecta fluentes,
Sępe legi manibus gaudet, ſemperque recenti
Flore nitens: partię maior quoque gratia matri eſt
Seu medijs ſurgens ſpatioſo limite campi
Libera ſublimes effundit in aera frondes.
Seu propior Domino, muriſque affixa ſuperbis
Poma parit primum virides imitata colores,
Mox tingit, fulvoque rubent accenſa metallo:
Rurſus & in florem, fœtuſque induta minores
Non hyemes horret, quę flumine temperat ęſtus:
Longa coloratis ſimulans aulęa figuris.

P. Al. Donatus l. 2. c. 5.

Ficus.

QVid biferas ficus? & quam vindemia nutrix
  Aut ęſtu comitem quam ſibi meſſis alit.
Candida, rimoſo ſeu corpore nulla fatiſcit;
  Hęc viret, hanc tunicę purpura fuſca tegit.
Longa illi facies: illi mammoſa tumeſcit:
  Aſſurgit gracilis, vertice preſſa iacet,
Mellea iam guttis implet rorantibus ora,
  Et ſua iam lacera vulnera veſte gemit.
Et iam rura madent nocturnis roſcida guttis,
  Et fœcunda nouo nectare ſilua fluit.
Quę caput inflexo demiſit pendula collo,
  Ex alto raptus annuit illa ſuos.

P. Alex. Don. l. 2. el. 1.

Ceraſus.

QVod iacet ad læuam, picta nemus arbore ridet:
  Hic fœtu ceraſi verſicolore nitent.
Nomen in his vnum eſt, non eſt color omnibus vnus
  Hæ liuent ſtirpes, hæc nigrat, illa rubet.
Omnibus hyblæi deſtillat gratia ſucci,
  Cum flagrante acinos ruperit hora die.
Omnibus ambroſio miſcentur nectara libo.
  Cum coquit hinc tortos docta culina fauos,
Quàm denſis vndat Ceraſus baccata maniplis?
  Vnio non vnus millia multa trahit.
Vnio vel minio, vel ſanguine tinctus, & oſtro,
  Ac bene tornato bacca rotunda cyclo.
Hic onero pandoſque ſinus, peramque capacem.
  Tot gemmas ducens, quot rubra grana vehit.

P. Io. Biſſelius l. 1. Æſtiu. el. 12.

Oli-

Oliua,

ALmam oleæ ſtirpem canimus, quam Pallas in arce
Actæa ſtatuit, victi monumenta tridentis.
Contenta eſt cultu modica, nec plura referre
Vlla poteſt arbor tutandæ commoda vitæ.
Vtque ſator fructus capiat, ſerique nepotes,
Bis decies denos ætatem extendit in annos.
Glaucus honor folijs, cognato & ab æthere ductus;
Frigidus hyberno nec flamine decutit Auſter.
Multiplices oleæ fœtus, adeoque ſalubres,
Maxima Socraticæ fuerint vt fercula cœnæ,
Inde liquor manat, duris dum bacca trapetis
Frangitur, humanos validè qui roborat artus.
P.Laur.le Brun.El.Poet. to.1.l.7.

Qualis arenoſi per culta noualia campi
Paciferis ſpecioſa comis, ſpecioſa virenti
Germine, compoſitæ ſpecioſa cacumine ſiluæ,
Fundit in albentes ramalia pallida tractus,
Fætaque in aurifluum pingueſcit oliua liquorem.
Nec ſibi ſola ſatis, lecta propagine blandos
Fertilis in fœtus, lœtam è radicibus imis
Pullulat in prolem: truncum gens tota parentem
Ambit, & hæredum tenero generoſa coronat
Agmine, viuacique facit ſpem tarda ſenectæ.
Anxia tum flexis demittis brachia ramis
Amplexura parens, & defenſura per æſtum
Effuſa innocuæ ſoboli ſuper incubat vmbra.
Tempore tum ſtudioſa ſuo turgentia felix
Germina, vernantes vt amœna luce ſmaragdos
Fundit ouans, virideſque cados flauentis oliui.
Implet.
P.Ant.Chanut.in Parn.Poet. Soc.Ieſu.

Platanus.

QValis florentem fluuij labentis ad vrbem
Amne vago, ſectaſque vado ludente plateas
Vmbroſo platanus tumet ambitioſa triumpho.
Arboris immenſæ ramoſa gloria pompa
Surgit in immanem molem, truncoque capaci
Excauat in feſtas triclinia regia menſas.
Tum procul attonitam ramos effuſa per æthram
Arboribus magnis ſimiles, amplectitur ingens
Aeris excluſi ſpatium, cœloque virenti
Subiectos expaſſa toros, & mollia velat
Gramina, per longos præbens vmbracula ſoles;
Docta per æſtiuos inimicum excludere menſes,
Docta per hybernos folijs admittere ſolem,
Amphitheatralem ſubter deſcribit arenam
Delicijs, hilaremque notans in ludicra circum,

Innocuam caſtos in pugnam inuitat amores.
Scilicet intextis, viridi velut imbrice, latis
Se tegit ambitioſa comis, cum ſolibus æſtas
Ardet. & hærentes foliorum prouida nexus
Laxat in hoſpitum ſolis, cum frigida terris
Sæuit hyems. Coma pampineæ latiſſima formæ
Temperat æſtiuos vmbris frigentibus æſtus,
Temperat hybernas æſtiuo ſole pruinas.

Idem ibidem.

SILVÆ, NEMORA.

LVcus erat longo nunquam violatus ab æuo
Obſcurum cingens connexis aera ramis,
Et gelidas altè ſummotis ſolibus vmbras.
Si qua fidem meruit Superos mirata vetuſtas,
Illic & volucres metuunt inſiſtere ramis
Et luſtris recubare feræ: nec ventus in illas
Incubuit ſiluas, excuſſaque nubibus atris
Fulgura, non vliis frondem præbentibus auris,
Arboribus ſuus horror ineſt. tum plurima nigris
Fontibus vnda cadit.

Lucanus l. 3.

Eſt procul ab vrbe lucus ilicibus niger,
Dircæa circa vallis irriguæ loca.
Cupreſſus altis exerens ſiluis caput
Virente ſemper alligat trunco nemus,
Curvoſque tendit quercus, & putres ſitu
Annoſa ramos: huius abrupit latus
Edax vetuſtas, illa iam feſſa cadens
Radice, fulta pendent aliena trabe
Amara baccis laurus, & tiliæ leues,
Medio ſtat ingens arbor, atque vmbra graui
Siluas minores vrget, & magno ambitu
Diffuſa ramis vna defendit nemus.

Seneca in Oed. act. 3. ſc. 1.

Silua capax æui, validaque incurua ſenecta
Æternum intonſæ frondis, ſtat peruia nullis
Solibus, haud illam brumæ minuere Notuſue
Ius habet, aut Getica boreas impactus ab Vrſa.
Subter opaca quies, vacuuſque ſilentia ſeruat
Horror, & excluſæ pallet mala lucis imago.

Statius l. 4. Theb.

Præneſte denſis frondet ilicibus nemus,
Incæduæque ſeculis multis comæ:
Nox propria luco, & dira relligio loci
Attonita primo corda perſtringit metu:
Poſt hæc receſſu panditur longo ſpecus.

Pe-

Penetrale diues rupe prærupta ſilex
Præmunit; vnda ſitice ſcatebroſo ſonat
Incluſa: raucum murmur ex imo ſpecu
Frangitur, & vber vndique erumpit latex.

P. Bern. Stephonius in Flau. Ac. 3. ſc. 7.

Sed primum venerare nemus, lucumque vetuſtis
Arboribus denſum, nigrantemque ilice ſiluam;
Proxima quæ clauſo recubant viridaria monte
Artifici diſtincta manu, quæ ſedula ſemper
Auget honore comas, ac terram chloride veſtit,
Ingeniumque loci, & naturam fingit eundo.
Vis hederæ paſſim truncos amplexa maritos
Cernitur, & fibris, teneriſque adnixa flagellis
Cortice proſerpit paulatim, & brachia nexo
Implicat inſano, vinctæque adnaſcitur vlmo,
Semper prole recens ſemper nutante corymbo
Fertilis, & pulla faciens vmbracula fronde
Stant circum annoſæ quercus, ſtant oblita muſco
Robora, ſtant ramis criſpæ frondentibus orni
Et veteres cerri, & ſiluarum gloria pinus,
Et lauri fragiles, & coniferæ cypariſſi.

P. Tar. Gallutius l. 1. c. 19.

Silua denſo tuta crine tela Solis negligit,
Regna noctis vmbra cœco continet ſilentio,
Nec volantum dulce lucos carmen vnquam perſonat.
Si trementes excitarit ore ventus aſpero
Arbores, & murmurantes concitarir ramulos;
Tunc gementis, tunc frementis murmur auras increpat
Terra liuet, aura torpet, clauſa ſiluæ carcere;
Flexuoſus inter vmbras nullus amnis labitur
Nullus inter ſaxa præceps lene riuus perſtrepit,
Nulla fontium canora vena ſiluis emicat.

Aug. Maſcardus l. 4. Sil.

Silua riget denſis circumdata ſentibus, ingens
Aerijſque obſeſſa iugis: vbi Sirius ardor
Obluctante gelu faſtigia ſumma laborat
Meſſibus in medijs cana ſpoliare pruina.
Hinc gelidæ valles, vmbræque, & limpida fontis
Vnda per informes multo ruit obice rupes.
Pone fatiſcentes exeſa in rupe cauernas
Faucibus anguſtis, adituque voraginis arcto
Conſpicit, intus erant laqueata cubilibus antra
Grandibus, & viuo fabricata ſedilia ſaxo.
Et ſpecies non vana domus, ibi vena ſtrepentis
Diues aquæ nulla ſibi fecerat arte canales:
Sed modico collecta ſinu, qua parte redundat,
Occultos abſorpta ſoli rurſum intrat hiatus.
Nec deſunt arbuſta loco, piceæque, cedrique,
Aeriæ cœli quas ſuda crepuſcula ſemper

Rore madere iubent liquido, vel melle tenaci
Inficiunt, ſtilliſque ſolum omne cadentibus vngunt.
P. Iac. Bidermanus l. 2. Heroid.

Silua ad amœnitatem.

NEue meæ certet ſiluarum laudibus vlla,
Quicquid vbique viret formoſi, quicquid vbique
Floret, in hanc toto ſiluam congeſſimus orbe.
Primus odoratam nutanti culmine cedrum
Indulget Libanus, quo non formoſior alter
Mons caput intonſum lucentibus inſerit aſtris,
Hic & Idumææ tua creſcunt præmia palmæ,
Et rident hic Eliſij, tua gaudia, flores.
Tam benè mentitur laurus luuata theatrum,
Tam benè ſublimi nutat de vertice pinus,
Hic vt piniferam ſe tollere nubibus Idam,
Lauricomos illuc mutata ſede receſſus
Parnaſſo migraſſe putes. nec laurea tantum,
Deliciæ faciles, viret vmbra: ſed aurea fuluis
Heſperidum deuecta plagis tibi ſilua coruſcat,
Robora quid referam nodo'ò Hercynia trunco,
Quaſque dedit Crete nullo cultore cupreſſus
Et quas miſiſtis platanos Ammonis arenæ?
Vos quoque Chaoniæ veniſtis maxima glandes
Fercula contentis paruo: veniſtis & vna
Latmia quæ cœlo per ſaxa aſſurgitis, & quæ
Parthenios ſaltus latè defenditis vmbræ,
Abiegna tere‑es, humiles & fronde ſaligna:
Non hic quæ redolent auras arbuſta Sabæas,
Non nemus hic Nemeæ bacca gemmata rubenti
Cornus. & Vraniæ pomaria olentia ſiluæ
Non deerunt vnique omnis tibi ſeruiet arbos.
P. Io. B. Ferrarius Colloc 6.

MONTES.

EST locus, Inar'æ dixerunt Tænara gentes,
Qua formidatum Ma'eæ ſpumantis in auras
It caput, & nullos admittit culmine viſus.
Stat ſublimis apex, ventoſque, imbreſque ſerenus
Deſpicit, & tantum feſſis inſiditur aſtris.
Illinc exhauſti poſuere cubilia venti,
Fulminibuſque iter eſt: medium caua nubila montis
Inſumpſere latus: ſummos n‑c præpetis alæ
Plauſus adit colles, nec rauca tonitrua pulſant.
Statius l. 2. Theb.

Quanta laborantis naturæ pondera montes,
Quantaque longinqui monumenta tuentibus æui!
Nec dum compoſito ſibi fundamenta locarant
Inconcuſſa ſolo, mediumve immobile terræ

Pon-

Ponderis immani ſeſſu, faſtuque premebant.
Ac minus in vaſtam cumulo turgentia molem
Implebant latera, ingentique tumentia partu
Haud ſecus ac clauſis tendebant viſcera regnis,
Nec iuga ſubiecti ius affectantia mundi,
Excluſas rigida cum maieſtate per auras
Grande ſupercilium cœlo ſurrecta ferebant;
Ceu cederent ruptas inferre in ſidera cautes,
Deſpecto imperioſa ſolo, imperioſa ſubacto
Aere, contempto maris imperioſa profundo.
Nec tumulus, nec collis erat, qui fronte modeſta
Surgeret, & molli tollens faſtigia cliuo
Pronus adoraret montes. famulaſque ſupino
Tubere terrarum dominis ſubmitteret arces.
P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Alpes.

SEd iam præteritos vltra meminaſſe labores
Conſpectæ propius dempſere pauentibus Alpes.
Cuncta gelu, canaque æternum grandine tecta,
Atque æui glaciem cohibent: riget ardua montis
Ætherij facies, ſurgentique obuia phœbo
Duratas neſcit flammis mollire pruinas.
Quantum tartareus regni pallentis hiatus
Ad manes imos, atque atræ ſtagna palludis
A ſupera tellure patet: tam longa per auras
Erigitur tellus & cœlum intercipit vmbra.
Nullum ver vſquam, nullique æſtatis honores.
Sola iugis habitat diris, ſedeſque tuetur
Perpetuas deformis hyems: illa vndique nubes
Huc atras agit, & mixtos cum grandine nimbos.
Iam cuncti flatus, ventique furentia regna
Alpina poſuere domo, caligat in altis
Obtutus ſaxis, abeuntque in nubila montes.
Sil. Italicus l. 9.

Eſt locus Herculeis aris ſacer: hunc niue dura
Claudit hiems, canoque ad ſidera vertice tollit.
Cœlum illinc cecidiſſe putes: non ſolis adulti
Manſueſcit radijs, non venit temporis aura,
Sed glacie concreta rigens, hyemiſque pruinis,
Totum ferre poteſt humeris minitantibus orbem.
Pontaum Arbiter.

Apenninus.

VMbroſis mediam qua collibus Apenninus
Erigit, Italiam, nullo quà vertice tellus
Altius intumuit, propiuſque acceſſit olympo.
Mons inter geminas medius ſe porrigit vndas
Inferni, ſuperique maris: colleſque coercens:

Hinc Tyrrena vado frangentes æquora Piſę,
Illinc Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon.
Pontibus hic vaſtis immenſos concipit amnes
Fluminaque in gemini ſpargit diuortia ponti.

Lucanus l.2.

Hic Apennini moles, & vaſta ſubibant
Culmina: vicino iam terga minantia cœlo
Inſedere: cauas mox & deſcendere valles,
Abruptiſque vident ſaxa impendentia ſaxis,
Caſurique ſuas formidauere ruinas.
Horrida nox vndas borea ſpirante niuoſas,
Atque impacato glaciantes frigore nimbos
Aſperat, obduratque dolos: vt lubricus alto
Non heſura gelu veſtigia falleret humor
Indeprenſarum manifeſta ambage viarum.

P. Alex. Donatus l.10. Conſt.

Atlas.

NEc patitur nomen proferri longius Atlas
Atlas ſubducto tracturus vertice cœlum.
Sidera nubiferum fulcit caput, ætheriaſque
Erigit ęternum compages ardua ceruix:
Canet barba gelu, frontemque immanibus vmbris
Pinea ſilua premit, vaſtant caua tempora venti,
Nimboſoque ruunt ſpumantia flumina rictu.
Tum geminę laterum fauces maria alta fatigant:
Atque vbi feſſus equos Titan immerſit anhelos
Flammiferum condunt fumanti gurgite currum.

Silius Italicus l.1.

Aetna.

IPſe ſed horrificis iuxta tonat Ætna ruinis,
Interdumque atram prorumpit ad ęthera nubem
Turbine fumantem piceo, & candente fauilla,
Attollitque globos flammarum, & ſidera lambit.
Interdum ſcopulos, auulſaque viſcera montis
Erigit eructans, liquefactaque ſaxa ſub auras
Cum gemitu glomerat, fundoque exæſtuat imo.
Fama eſt Enceladi ſemuſtum fulmine corpus
Vrgeri mole hac, ingentemque inſuper Ætnam
Impoſitam, ruptis flammam expirare caminis;
Et feſſum quoties mutat latus, intremere omnem
Murmure Trinacriam, & cœlum ſubtexere fumo.

Ouidius l.3. Æn.

Vaſta giganteis iniecta eſt inſula membris
Trinacris, & magnis ſubiectum molibus vrget
Æthereas auſum ſperare Typhoea ſedes.
Nititur ille quidem, pugnatque reſurgere ſępè:
Dextra ſed Auſonio manus eſt ſubiecta Peloro.

Læua Pachyne tibi; Lilibęo crura premuntur,
Degrauat Ætna caput ſub quę reſupinus arenas
Eiectat, flammamque fero vomit ore Typhœus.
Sępè remoliri luctatur pondera terrę,
Oppidaque, & magnos deuoluere corpore montes;
Inde tremit tellus, & rex pauet ipſe ſilentum.
Ouidius l. 5. met.

Aſt Ætna eructat tremefactis cautibus ignes,
Incluſi gemitus, pelagique imitata furorem.
Murmure per cæcos tonat irrequieta fragores
Nocte dieque ſimul, fonte è phlegethontis vt atro
Flammarum exundat torrens, piceaque procella
Semi ambuſta rotat liquefactis ſaxa cauernis.
Sed quamquam largo flammarum exęſtuat intus
Turbine, & aſſiduè ſubnaſcens proſilit ignis,
Summo cana iugo prohibet (mirabile dictu)
Vicinam flammis glaciem, ęternoque rigore
Ardentes horrent ſcopuli: ſtat vertice celſi
Collis hyems, calidaque niuem tegit atra fauilla.
Sil. Italicus l. 14.

In medio ſcopulis ſe porrigit Ætna peruſtis,
Ætna giganteos nunquam taciturna triumphos,
Enceladi buſtum, qui ſaucia membra reuinctus
Spirat inexhauſtum flagranti pectore ſulphur:
Et quoties detrectat onus ceruice rebelli
In dextrum lęuumque latus, tunc inſula fundo
Vellitur, & dubię nutant cum mœnibus vrbes.
Ætneos apices ſolo cognoſcere viſu
Non aditu tentare licet. pars cętera frondet
Arboribus, teritur nullo cultore cacumen.
Nunc mouet indigenas nimbos, piceaque grauatum
Fœdat nube diem; nunc motibus aſtra laceſſit
Terrificis damniſque ſuis incendia nutrit.
Sed quamuis nimio feruens exuberet ęſtu,
Scit niuibus ſeruare fidem, pariterque fauillis
Dureſcit glacies tanti ſecura vaporis
Arcanu defenſa gelu, fumoque fideli
Lambit contiguas innoxia flamma pruinas.
Claudianus l. 1. de rapt.

Hic & inexhauſtis exęſtuat Ætna caminis,
  Sulphureiſque globis illiquefactus ager.
Non feſſi vapor Enceladi, nec anhelitus ille eſt.
  Terra ſed exuſto ſpirat anhela ſolo.
Scilicet occultis rimoſa meatibus hiſcit,
  Intus & inſtrato ſulphure ſqualet humus.
Tum prędelaſſas incumbens vndique cautes
  Verberat iratis arbiter auſter aquis.
Ecce ſinus tumet ex alto: circumſona latè
  Vapulat vndoſo ripa retuſa ſalo.
Spiramenta fremunt ſulcatos acta pes artus,

Stridet & immiſſis fiſtula cœca Notis
Nec mora: materia rapit incita flamma flabellis,
Semen in occulto ſulphure nacta facis.
Sic vbi flammato clareſcunt ignea ſulco
Nubila, cum labi ſidera nocte putas
Aut vbi per ſtipulas equitat citat flamma ſonantes,
Cum validi flatus incubuere Noti.
Æſtuat ignis edax; graveolentem fœda mephitim
Trinacris expirat; ſaxa ſubeſa ſonant
Nec requies, quin hauſta prius cum murmure vaſto
Humida vis liquidi viſcera montis agat.
Hic ruit, & ruptis torrentia ſaxa cauernis
Euomit accenſo vortice flumen olens.
Ne mihi ne verò veniat tam dira cupido:
Numina non adeò ſunt inimica mihi.
Vt minima mercede mei tot monſtra paueſcam;
Tot malè concordi nexa elementa fide.
Terrarum labes, ventorum prælia, flammæ
Pumiceos æſtus, ſulphura torta vadis.
Exitijs infame ſolum, luctantia clauſtris
Flamina, liuenti rura vadoſa lue.
Et coniuratas in publica damna procellas,
Et terræ clades, aeris, ignis, aquæ.

P. Bern. Stephonius eleg. 9.

Quà mouet indigenas glomerabilis Ætna fauillas,
Sidera quà temerant nube grauata diem.
Qua ſcopulos tormenta rotant arcana volantes,
Et pelagus trepidis poudera ſentit aquis.
Quà furit, & ſemper Vulcanius ignis anhelat,
Et fax multivago tramite quærit iter.
Abdita ſed quamuis tellus incendia nutrit,
Et calidam feruens æſtus adurit humum.
Nix tamen alta iacet tanti ſecura vaporis;
Cum glacie fœdus flamma fidelis habet.

P. Tar. Gallutius l. 2. el. 7.

Vide etiam Tit. ſequentem; Veſuuius.

Veſuuius, & eius incendium.

PRincipio mugire ſolum, rupeſque gementes
Faucibus exululare cauis & nocte profunda
Murmura miſceri, quæſtuque ſimillima rauco
Ima laborantis percurrere viſcera montis.
Terra dehinc tremere, & crebro diſcuſſa tumultu
Inſtabiles agitare ſinus. ea prima futuræ
Tentamenta dabat moles diuulſa ruinæ.
Eluctata diu ſed turbinis ira tenaces
Emouit tandem ſcopulos, adituque recluſo,
Quà minor obſtat apex, & porta facillima rupit

Im-

Impulſo cum monte diem. tonuere patentis
Ora iugi, & crebris diſſultant nubila bombis;
Æquora ſubſidunt pauidis tremefacta procellis.
At tellus ſiue illa metu, motuque latentes
Ambiguo fugeret flammas: ſiue illa trementis
Aeris illiſu, & moti vertigine montis
Nutabat magis, ac penitus compage reuulſa
Frangebat reſoluta ſuę caua pondera molis,
Sed maior vis monte furit: populoſque coactos
Multiplici terrore quatit, nam turbine denſo
Horrificos cineris piceóſque bituminis atri
Eructat, fumique globos, ſtetit ardua primum
Arboris in ſpeciem, pinuſque ſimillima nubes:
Caudice cui longo ramoſa cacumina pandit
Planus apex: vaſto in cœlum dehinc vertice creuit
Caucaſus, aut veluti aggeſtis ſe montibus Alpes
Agglomerant: cineris mixtæque volumina noctis;
Sic alia ex alijs emiſſa flagrantibus antris,
Rupibus Oetæis Rhodopen, aut Pelion Oſſæ,
Atque Athon impoſitos imitantur, & Alpibus Alpes.
Iam ſciſſi volitant cineres, & culmina rupis,
Et vicina ſuper circumſtetit oppida nubes,
Atque increuit onus tectis pluuiale vetuſtis.
Subſedere trabes, paſſimque oblita paterni
Roboris ad terram ſe ſe tabulata dedere.
Inde domos agmen intrat cinerale patentes,
Ingreſſuque premit, cum ſęuior ingruit imber,
Et grando laceras heu ſaxea perculit ędes.
Quippe inter primos piceę ferruginis ęſtus
Ecce imas cautes magni fundamina montis,
Auulſaſque iugo ſilices, ſcopuloſaque terga
Telorum ceu flamma opifex torquebat in auras.
Iam vaga diſſultant lapidoſaque viſcera fundo
In nubes proiecta volant, & nubila frangunt:
Mixtaque pumicibus ſcabris, reuolutaque fumo
Pars liquefacta fluit: ſalientibus obuia ſaxis
Ante iugi patrias in mutua vulnera, fauces
Pars cadit, immugitque fragor: pars æmula raptas
Portat in aſtra faces, ſed ponderis impete verſo
Omnia pręcipitant rigidis crepitantia glebis.
Non ſecus excuſſę neruo reſonante ſagittę
Celſa fatigato ſubeunt ad nubila ferro,
Penn geroque leues reuolant in funera plumbo,
Sic lapidum montana ruit, latèque flagellat
Oppida tempeſtas, emouit cardine poſtes
Proiecitque fores: irrupit fracta domorum
Culmina: non armenta boum, non luſtra ferarum
Tuta latent: oppreſſa graues gemuere procellas,
Atque vna pluuias ad littora currere moles.
Sed tamen hęc parce querimur; namque ipſe profundo
Murmure, fulgetrique alis tonitruque ſonoro,
Veſuuius, & ſtructa in tumulos pręluſit arena
Hactenus; atque lapis cecidit, ceu teſſera ludo.

L 5 Nunc

Nunc ignis, nunc terror adeſt: mundique ruinam,
Eructans totis mons obluctatur Auernis.
Ergo vbi iam medium curru ſol preſſerat orbem,
Extinctum ſub to nox intempeſta recondit
Ipſe dabat tenebras mons igneus. oblita fumo
Nubila fuſcauere ſinus, nimboque retorto,
Funeſtaque diem fugientem amplectitur vmbra
Tartaream turbo inuoluens caligine noctem.
Cum luxere iugo, ſed vincta horroribus atris
Flumine turgentem ruperunt lumina nubem.
  Flumen erat, flammis quod ſe torrentibus, alto
Vertice deuoluens aluere bitumina mixto
Sulphure, ſulphureuſque cinis, cinefactaque ſaxa,
Lentaque nitroſæ pauere incendia maſſæ.
Pellat vt ardentes arſura in cœrula fluctus.
Flammifero qualis Phlegeton ſe turbidus æſtu
Tenareis infert campis: tumiduſque per ignes
Torret auernales vndanti vortice ripas.
Sic quoque fontanis miſſus fornacibus amnem
Mons, ſpecubuſque vomit delapſus ab aggere ſummo
Præcipites ſiue ille roges, ſiue ille frageſus
Rapta ſupercilia, & feruentes igne procellas
Deuexo aruorum contorquet ad æquora cliuo,
Audiuere procul pauidi, & videre fluentem,
Seque exertantem facibus, fremituque minantem,
Semita nec datur vlla fugæ: dubitantque, tremuntque
Incertique hærent fugiuntque, petuntque penates
Amplexi teneros vlulanti coniuge natos.
Flammatis mox auxilijs animoſior amnis
Nec iam ſe clauſtris cohibens, pelagoque patenti
Latior & labens vllo ſine margine ripæ,
Mox tamen in partes abſcinditur. abſcidit vndas
Ignotas veluti, ſeptemque per oſtia Nilus
In mare tantarum vix molem effundit aquarum.
Sic quoque turgentem fluuium iam vertice montis
Cernere erat, latè incenſis extante fauilla
Fluctibus, & totas ſorbentem gurgite rupes.
Hunc quoque fluminei vaga per diuortia curſus
Septenis impulſa vadis montanus in arua
Fumiferas torquens ſpumas Vulcanus agebat,
Finibus & riguos fluvialibus impulit ignes.
Iam cliuoſa tument; ſiluæque, & naufraga circum
Oppida merſantur facibus, pagana per agros
Tecta quibus tellus aluit fœcunda colonos,
Flamma repente vorat. fugiens ſic lumina fulgur
Præterit: vt periere omnes, hominesque, feræque
Erranteſque greges. hauſit delubra, domoſque
Ignis edax: trepido ceu terra excuſſa tumultu
Cum patet, ac ſubito montes abſcondit hiatu;
Aduenere ſimul fragor imus, & alta vorago,
Et tremor, & raptus, merſæque in tartara moles.
Sic abſumpta cadunt: fluitans ſtrepit igneus amnis:
Cunctaque vorticibus ſubeunt, oculiſque recedunt,

Æquo-

Æquorei curuata ſinus ad littora, qua ſe
Parthenopæa vadis veluti cratera marinis
Implet, & obliqua pelagus circumdat arena.
P. Alex. Donatus l. 10. Conſt.

Nondum deſierat mouere tellus,
Et iam ruptus apex hiante cœpit
Nimbos fundere, turbineſque rictu,
Numquam tetrior inquinauit aſtra
Diri montis hyems nigrante cœlum
Fœtæ puluere ſuſtulere nubes.
Verſos in cinerem fuiſſe montes
Et cunctas nemorum arbores, & ima
Terræ viſcera diceres in vnam
Flammis acta furentibus fauillam. *Stinſ.*
Nec contenta metu, miniſque, veras
Naturæ cinis apparat ruinas;
Dum totos, ſuper intonante nimbo
Campos obruit, & fatigat vrbes,
Atque arces ſepelit, tegitque colles,
Æquat puluere bulliente valles,
Impletque æquora, ſubruitque turres.
Sentit gurgite Proteus ſub alto
Funeſtos cineres, ſuumque verſis
Miratur pecus æſtuare in vndis. *Stinſ.*
Poſtquam hac parte repreſſus eſt Veſeui
Quamquam ſerò furor, nocere iactis
Cœpit pondere grandiore ſaxis:
Quam quanta Aemonio ferunt in antro
Conſerta Lapithas rotaſſe pugna;
Vix olim borea furente ſuerunt
Arentes paleæ, leueſque caſſi
Iactari tunicæ altius lupini
Indignantur aues, volare nullis
Saxa ingentia ſubleuata pennis.
Dum feſſi tamen improbo laborant
Vltra tendere pumices volatu,
Vſque à nubibus arduis in imas,
Horrendo recidunt fragore valles.
Nec ſolas ibi proterunt myricas,
Aut lentas pede débili geniſtas;
Sed vaſto ſimul ilices, & altas
Vertunt pondere, ſubruuntque quercus.
Nil immune ſinunt caduca totos
Sternunt fragmina, diruuntque muros. *Stinſ.*
At vertex vbi montes ominoſum
Immenſus ſinuatur in barathrum,
Vndantes ibi Mulciber liquatis
E fornacibus egerebat ignes
Horreſco meminiſſe ſulphurata
Flammantes face gurgites, ab alto
Ebullire iugo, viaſque fuſis
Cunctas vidimus occupare flammis.

Mutatum mare crederes, & vdas
Ardenti pice conflagraſſe lymphas,
Mox ſeptena lacus, natante flamma,
In diuortia diditus, citato
Per præceps ruit impetu; igneoſque
Curuatis abit alueis in amnes.
Sic flexis phrygius vagatur aruis
Mæander, dubiaſque & hac, & illac
Curuo littore defatigat vndas:
Quamquam innoxius hic, & ſuaſque ſolis
Ripas alluit, abluitque lymphis:
Sæuit noſter, inæſtuatque flammis.
Nulli perfugio locus, ſequuntur
Omni parte vagi, & minantur ignes.
Hic inſtant properantibus, pedeſque
Captos glutine flammeo morantur:
Hic aduerſa ruunt, & hic ſiniſtro
Hic dextro latus ambiunt camino:
Ardent omnia, forte imago talis
Aut vix talis erat vagante quando
Quadriga Phaethon abominatos
Terris triſtibus invehebat ignes.

P. Iac. Bidermanus l. 2. ſil. 2.

Aſpice Trinacrio diſtractos æquore montes
Hinc Italis, illum Siculis in finibus, ambos
Mittere in aſtra faces, bellumque indicere cœlo.
Veſuius Auſonijs, furit oris, Ætna Sicanis,
Viſceraque horrificis iaculatur vterque ruinis.
Aſpice vt vndantem prorumpit ad æthera fumum,
Nigranteſque vomens picea caligine nimbos,
Inficit audaci raptum fuligine ſolem.
Nec ſatis: accenſis flamma eluctata ſub antris,
Agglomerata globis erumpere, ſaxa per auras
Cum tonitru eluctata ſequi; volat aere grando
Flammea, contortæque volant in ſidera cautes.
Nec tantus furor incaſſum: prope ſidera lambit
Turbo furens, piceaſque dehinc reuolutus in vndas
Spargitur, & totas incendia fundit in auras.
Ipſa ſuis tellus ardet conſumpta fauillis,
Et pluuios patitur cineres, imbremque caducis
Cautibus, ignifluoſque vadis torrentibus amnes.

P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Eremus in monte.

CIrcum præcipites ſcopuli frondente theatro
Vallem coronant ſubditam.
Hybernus torrens geminis diuortia montis
Interfluit, ſi quam arido
Ore bibit pluuiam, aut collectum è montibus imbrem
Sitiente traxit alueo.
Mons dexter calidus ſurgit conuerſis ad Auſtros
Longiſque ſolibus intepet.

At

At qui læua tenet, gelidis aquilonibus alget,
Diemque acerbum funerat.
Hunc nouus Hilarion mores, nomenque prioris
Secutus, & vitæ genus
Incolit, aſpectu horridior: nam ſilua comarum
Humeros inumbrat: denſior
Barba tegit fruticoſum impexo vellere pectus
Seraque aprugna durior.
Veſtis membra premit, niſi longam attrita ſenectam
Qua parte ſenſit. Arduo
Pendet fixa domus ſcopulo: quam nec fera tigris
Adire ſecuro pede,
Nec nidum audaces catulis immitibus vrſæ
Vt rupe celent, audeant:
Laſſis vix Aquilæ vincant faſtigia pennis,
Famelicique vultures.
Tantum vltra nubes elato vertice creſcit.
Tantumque rurſus horrido
Mons nigram in vallem præceps deſcendit hiatu.
Palmaris illic ſemita
Inciſa in ſaxis aut ferro aut tempore longo
Signat pedum veſtigia
At dubios ſi forte gradus, aut lubricus humor,
Aut ſaxa fallant; ilicet
Teſqua per horrida prono vertice, per ſalebras, &
Prærupta duro volucris
Saxa iugo; donec ſubiecta vorago minutum
Sinu receptet puluerem
Et tamen hanc ſedem, terris poſt terga relictis
Egregius exul incolit:
Vnde polo propior ſubiectas deſpicit vrbes
Et alta honorum culmina.
Qua clementior eſt numeroſo examine montem
Vulgus beatum poſſident
Cultores nemorum; notiſque queruntur abactæ
Errare ſe luſtris feræ.

P. Gilb. Ionninus l. 4. Ode 25.

Spelunca.

Vallis erat piceis, & acuta denſa cupreſſo,
Cuius in extremo eſt antrum nemorale receſſu
Arte laboratum nulla: ſimulau rat artem
Ingenio natura ſuo: nam pumice viuo
Et leuibus tophis natiuum duxerat arcum.
Fons ſonat à dextra tenui pellucidus vnda,
Margine gramineo patulos ſuccinctus hiatus.

Ouidius l. 3. met.

Haud procul à Ditis cœcis depreſſa cauernis
In præceps ſubſedit humus: quam pallida pronis
Vrget ſilua comis, & nullo vertice cœlum
Suſpiciens, phœbo non peruia taxus opacat.

Mar-

Marcentes intus tenebræ, pallenſque ſub antris
Longa nocte ſitus; numquam niſi carmine factum
Lumen habet non Tænareis ſic faucibus aer
Sedit iners, mœſtum mundi confine latentis.

Lucanus l. 6.

Antrum æui ſedet exeſum, ſqualentibus vmbris,
Æternoque gerit terga ſepulta ſitu,
Hic neque marmoreos ſuſpenſus in aere fornix
Subdita congeſto pondere ſaxa premit.
Sectilis haud varia diſcriminat arte lacunar
Ordine digeſtus verſicolore lapis.
Sed ſpecus horrendum vaſto ſe pandit hiatu,
Cuius in immani perlegis ore chaos
Saxa iacent diſiecta ſitu, carieque labaſcunt,
Craſſaque ſudantes permeat vnda petras.
Atque vbi teſtudo faſtigiat atra cauernam,
Voluitur æterno flexilis orbe rota

Aug. Maſcardus l. 3. Sil. in Chron.

Eſt ſpecus vmbroſo Libani ſub monte, receſſu
Altus, inacceſſus radijs, & punice viuo
Scrupeus & viridi muſco prætextus, & alta,
Arte laboratus nulla : præſtantior arte
Dædalea natura manu de cautibus arcum
Duxerat, & rudibus vallauerat oſtia tophis.

P. Io: B. Ferrarius Collo. 1. 6.

Rupe ſub aeria, quà ſciſſo adapertile muro
Montis hiat ſublime latus, ſe pandit amœno
Ingenio con ſiſa loci ſpelunca receſſu,
Clarum exuta iubar, flammataque tela diei.
Concaua muſcoſum pumex teſtudinat antrum,
Leni grata gelu, viuo cadit humida topho
Copia, & algentes interſtrepit vnda lapillos.
Veſtibulum ante ipſum ſpatio diffunditur æquo
Planities vernis gremium diſtincta Smaragdis,
Floribus interpicta nouis, quos gratia veris
Auxilio Zephyri genialibus educat auris
Plurima per gyrum ſpeciem factura theatri
Aerias intacta comas attollitur arbos,
Brachiaque extendit, ſupera & ceruice minatur
Æquatura iugum ramoſque effuſa fluentes
Tegminibus latum frondentibus æquor opacat.

Bened. Milanus in lib. car.

Pone fatiſcentes exeſa in rupe cauernas.
Faucibus anguſtis, adituque voraginis arcto
Conſpicit, intus erant laqueata cubilibus antra
Grandibus, & viuo fabricata ſedilia ſaxo,
Et ſpecies non vana domus, ibi vena ſtrepentis
Diues aquæ, nulla ſibi fecerat arte canales;
Sed modico collecta ſinu, qua parte redundat,

Occ

Occultos abſorpta ſoli rurſum intrat hiatus.
Nec deſunt arbuſta loco, piceæque, cedrique
Aeriæ, cœli quas ſuda crepuſcula ſemper
Rore madere iubent liquido, vel melle tenaci
Inficiunt, ſtilliſque ſolum omne madentibus vngunt.
P. Iac. Bidermanus l. 2. Heroid.

GEMMÆ, LAPIDES, METALLA.

Gemma.

POrtatur iuuenum ceruicibus aurea ſedes
Ornatuque nouo grauior Deus, aſperat Indus
Velamenta lapis, pretioſaque fila ſmaragdis
Ducta virent, amety ſtus ineſt, & fulgor Iberus
Temperat arcanis hyacinthi cœrula flammis,
Auget acus meritum picturatumque metallis
Viuit opus, multoque ornantur iaſpide vultus,
E varijs ſpirat Nereia bacca figuris.
Inuia quis calidi ſerutatus ſtagna profundi
Tethyos inuaſit gremium? quis diuitis algæ
Gramina flagrantes inter quæſiuit arenas?
Quis iunxit lapides oſtro? quis miſcuit ignes
Sidonij, rubrique maris? tribuere colorem
Phœnices, Seres ſubtegmina, pondus Hydaſpes.
Claudianus de 4. Conſ. Hon.

Quin etiam totidem gemmarum inſignia textis
Parietibus diſtincta micant, animiſque colorum
Viuentes liquido lux euomit alta profundo.
Ingens chryſolitus natiuo interlitus auro
Hinc ſibi ſapphyrum ſociauerat, inde beryllum.
Diſtanteſque nitor medius variabat honores:
Hinc chalcedon hebes perfunditur ex hyacinthi
Lumine vicino: nam forte cyanea propter
Stagna lapis cohibens oſtro fulgebat aquoſo.
Sardonychen pingunt amethyſtina, pingit iaſpis
Sardonium iuxta appoſitum pulcherque topazon.
Te quoque conſpicuum ſtructura interſerit ardens
Chryprafe, & ſidus ſaxis ſtellantibus addit.
Prudentius in Pſychom.

Chryſtallus.

LYmphæ quæ tegitis cognato corpore lymphas
Et quæ nunc eſtis, quæque fuiſtis aquæ
Quod vos ingenium iunxit? qua frigoris arte
Torpuit, & maduit prodigioſa ſilex?
Quis tepor incluſus ſecuras vindicat vndas?
Interior glacies quo liquefacta Noto?
Gemma quibus clauſtris arcano nobilis æſtu

Vel

Vel concreta fuit, vel reſoluta gelu?
Solibus indomitum glacies alpina rigorem
Sumebat nimio iam pretioſa gelu.
Nec potuit toto mentiri corpore gemmam,
Sed medio manſit proditor orbe latex.
Auctus honor, liquidi creſcunt miracula ſaxi,
Et conſeruatæ plus meruiſtis aquæ
Mira ſilex, miruſque latex, qui flumina vincit,
Et lapis eſt merito, quod fluit, & lapis eſt.
Informis glacies, ſaxum rude, nulla figuræ
Gratia: ſed raras inter habetur opes.

Claudianus in Epigr de Chryſt.

Magnes.
Deſcribitur Lucretij ſtylo.

MAgneſi genus eſt lapidis mirabile, cui ſi
Corpora ferri plura, ſtyloſue admoueris; inde
Non modo vim, motumque trahent, quo ſemper ad Vrbem
Quæ licet vicina polo ſe vertere tentent:
Verum etiam mira inter ſe ratione modoque
Quotquot eum lapidem tetigere ſtyli, ſimul omnes
Conſpirare ſitum, motumque videbis in vnum,
Vt ſi forte ex his aliquis Romæ moueatur
Alter ad hunc motum, quamuis ſit diſſitus longè
Arcano ſe naturai fœdere vertat.
Ergo age, ſi quid ſcire voles, qui diſtat, amicum,
Ad quem nulla accedere poſſit epiſtola; ſume
Planum orbem, patulumque notas, elementaque prima
Ordine quo diſcunt pueri, deſcribe per oras
Extremas orbis, medioque repone iacentem
Qui tetigit magneta, ſtylum; vt verſatilis inde
Litterulam quamcumque velis contingere poſſit.
Huius ad exemplum ſimili fabricaueris orbem
Margine deſcriptum, munitumque indice ferri,
Ferri, quod motum magnete accepit ab illo.
Hunc orbem diſceſſurus ſibi portet amicus,
Conueniatque prius, quo tempore, queiſue diebus
Exploret, ſtylus an trepidet, quidue indice ſignet.
His ita compoſitis, ſi clàm cupis alloqui amicum
Quem procul à terra terrai diſtinet ora:
Orbi adiunge manum, ferrum verſatile tracta.
Hic diſpoſita vides elementa in margine toto:
Leitis opus eſt ad verba notis, huc dirige ferrum,
Queruläſque modò hanc, modò & illam cuſpide tange
Dum ferrum per eas iterumque iterumque rotando
Componas ſingillatim ſenſa omnia mentis
Mira fides. longè qui diſtat, cernit amicus
Nullius impulſus trepidare volubile ferrum,
Nunc huc, nunc illuc diſcurrere: conſcius hæret:
Obſeruatque ſtyli ductum, ſequiturque legendo
Hinc atque hinc elementa, quibus in verba coactis

Quid

Quid ſit opus ſentit, ferroque interprete diſcit.
Quin etiam, cum ſtare ſtylum videt, ipſe viciſſim
Si quæ reſpondenda putat, ſimili ratione
Litterulis variæ tactis reſcribit amico.

P.Fam. Strada l.2. prol.6. Acad 2.

Decolor obſcurus, lapis eſt cognomine Magnes:
Ex ferro meruit vitam, ferrique rigore
Veſcitur: has dulces epulas, hæc pabula nouit.
Hinc proprias renouat vires: hinc fuſa per artus
Aſpera ſecretum ſeruant alimenta vigorem.
Hoc abſente perit, triſti morientia torpent
Membra fame, venaſque ſitis conſumit apertas.
Quis calor infundit geminis alterna metallis
Fœdera? quæ duras iungit concordia mentes?
Flagrat anhela ſilex & amicam ſaucia ſentit
Materiam, placidoſque chalybs cognoſcit amores.

Claudianus in Epigr. de Mag.

Ac veluti arcanas Lydorum effoſſus in aruis
Herculeus lapis, aut cautes Magneſia ferrum
Fundit in oppoſitum leges; vi percitus illa
Cogitur in lapidem connitier annulus vltro,
Et ſocios ſecum perducere; ferrea donec
Ordine demiſſo, conſerta trilicibus hamis
Flectitur in longum nexu pendente catena.

P.Tarq.Gallutius l.1.c.21.

...... qualem per mutua iuncti
Oſcula præualidis referunt compagibus orbes,
Arcana quos arte lapis trahit, inque ſolutos
Nexilibus nectit vinclis, cœcoque reuincit
Fœdere, in amplexus ſenſim ruit annulus arctos,
Et ſocios tacitis attrectat mordicus hamis.

Bened.Milanus in l.Carm.

Lapides & Marmora.

VNa tamen cunctis procul eminet vna diætis,
Quæ tibi Parthenopen directo limite ponti
Ingerit hic Graijs penitus deſecta metallis
Saxa quot Eoæ reſpergit vena Syenes.
Synnade quot mœſta phrygiæ ſodere ſecures
Per Cibeles lugentis agros: vbi marmore picto
Candida purpureo diſtinguitur area gyro.
Hic & amyclæi cæſum de monte Lycurgi
Quod viret, & molles imitatur rupibus herbas,
Hic Nomadum lucent flauentia ſaxa, Thaſóſque
Et Chios, & gaudens fluctus ſpectare Caryſtos.

Statius l.2. ſil. in Surr. Polij.

Et vario ſurgunt antes, ac limina ſaxo,
Seu quod mittit Arabs, ſeu quod Mauruſia quondam
Cædit

Cædit inexhauſtis tellus ditiſſima venis
Lucent parietibus cruſtæ, collucet achati
Interiectus onix, & iaſpide lubricus ordo.
Ac facilis iunctura operis textuſque lapillus
Enicat; hinc maculis amethiſtus inerrat amœnis;
Quà mare, qua terras imitatus, & ætheris oras
Purpurei, qua fronde nemus, ſiluaſque comantes.
Hinc Parius, Phrygiuſque ſilex; hinc dura Chriſti
Saxa virent: hinc aerij deſecta Laconum
Marmora verticibus componunt ordine poſtes,
Et picturato ſignant animalia tractu.

P. Tar. Gallutius l. 1. car. 19.

Aſt introgreſſæ mirantur marmora gentes.
Plurima quæ Ligures Lunenſibus eruta venis:
Quæque metalliferis ſuccidit Iberia campis:
Quæque olim priſcis Roma intulit aurea templis:
Externis aduecta plagis: ſeu Sinnade ſaxa
Interſtincta Phryges maculis miſere cruentis:
Canitiem, criſpa, Ægyptus: liuentia Lesbos:
Picturata Lybes: guttataque Thebais auro:
Alba Paros: maculoſa Chios: variata Caryſtos,
Verſicolorque Thaſos: rorataque murice Sidon,
Et Tyros: & Nilus Tyrios imitata rubores:
Atraque Lucullo, & ſcenis celebrata latinis:
Et duri Oebalio viridantia monte Lacones.
Angue colbratus viſentem paſcit Ophites:
Vngue notatus onyx: ſpiris alabaſtra recuruis,
Virgatique vndant ſinuata volumina fluctus.

P. Al. Donatus l. 2. car. 5.

Aurum & Auri damna.

AH pereat, qui primus opes effodit opertas,
Quas melius tenebris alta tegebat humus.
Quàm bene defoſſo latuiſſet proximus auro.
Quot pariter ſcelerum monſtra ſepulta forent.
At nunc ex antris pariter prorupit iiſdem
Proditio, & gaudens ſanguine cædis amor.
Ambitio tantas hac duxit origine vires
Vnde trahunt ortus faſtus, & ira ſuos.
Aurum captiuæ leges, & iura ſequuntur,
Cumque ſua ſequitur capta bilance Themis.
Fortius hoc ferro, triſidoque potentius igne
Perrumpit valida mœnia ſtructa manu.
Pugnat, & humanis infame eſt cædibus aurum,
Et minus à ferro corpora noſtra iacent.
Impius ante aras fœdauit cœde Sichæi
Pygmalion auri captus amore manus.
Vnde niſi ex auro iaculis increuit acutis
Ferrea, quæ texit te Polydore, ſeges?
Ferrea quæ patimur, primum fluxiſtis ab auro
Sæcula. dos auri diuitia illa fuit.

Au-

Aurea (ſi qua fides) aurum non nouerat ætas.
Quæ primum hoc nouit, decolor illa fuit.
Terra ſuas iterum venas aurumque recondat;
Aurea, quæ currunt ſæcula rurſus erunt.
P. Sidron. Hoſſchius l. 1. el. 3.

Aurifodina.

PArs auri ramoſa imis venatur in antris
Germina, & obſcuris orta metalla cauis.
Intrat inacceſſas pubes malè viua cauernas,
Et tenebris merſas cœca retentat opes.
Non bene terra tegis rigidis ſub montibus aurum
Eſt domus æratis non bene clauſa ſeris.
Adde ſolum, ſolidaſque iugo ſeptemplice caures;
Si benè diuitias condis auara tuas.
Sit labyrintheis vincendus flexibus error,
Et ſpecus, & clauſæ foſſa pericla viæ
Raptoremque horror, latebris & inane profundis
Cingat, & æterno nox adoperta gelu
Proh furioſa fames, auri tamen abdita quæret
Nutrimenta, dabant hæcquoque ſumpta famem.
Manibus inferior locus eſt, quò deuia cœlo
Verrit inaſpectos turba proterua gradus:
Et fragili imponens terrarum pondera dorſo,
Effodit illa ſuas ante ſepulta neces.
P. Al. Donatus l. 2. el. 9.

Argentum viuum.

COnſpicuos inter naturæ ſplendet honores
Fuſilis argenti ſpecies, cui plurimus Hermes
Incubat, & pleno liquidam ſe numine fundit.
Nempe Deus geſtit viuis animare metallum
Flatibus, & tenues argento claudere vitas.
Ignea vis infuſa micat, lenique fluentem
Mater iam tractu penetrat, non inditus humor
Terrenive hebetant ortus, miniataque maſſa,
Quod ſi conſtrictum vinclis, & carcere cæco
Impedias, furit vſque tamen, luciſque cupido
Indignata premi vacuas ſe librat in auras,
Mulciberi cum vis infeſti admota laceſſit,
Et tumidam irritat cæcis feruoribus iram
Siue auri retinere paras, ſiue aggere ferri,
Siue etiam affini vinctum ſociare metallo,
Emicat, obſtantemque ingrato pondere molem
Rumpit ouans, magnoque potens domat omnia niſu,
Aſt vbi viuaces motus conſtringere vitro
Fert animus, ſentit quaſſas hoc obice vires.
Ex P. N. Cauſinus l. 12. Hier.

ANIMANTES QVADRVPEDES.

Equus.

COntinuò pecoris generoſi pullus in arvis
Altius ingreditur, & mollia crura reponit.
Primus & ire viam, & fluuios tentare minaces
Audet, & ignoto ſeſe committere ponto:
Nec vanos horret ſtrepitus, illi ardua cervix
Argutumque caput, breuis aluus, obeſaque terga,
Luxuriatque toris animoſum pectus; honeſti
Spadices, glaucique: color deterrimus albis
Et giluo. tum ſi quis ſonum procul arma dedere
Stare loco neſcit, micat auribus, & tremit artus,
Collectumque premens voluit ſub naribus ignem,
Denſa iuba, & dextro iactata recumbit in armo.
At duplex agitur per lumbos ſpina, cauatque
Tellurem, & ſolido grauiter ſonat vngula cornu.
Virgilius l.... Georg.

Qualis vbi abruptis fugit preſepia vinclis
Tandem liber equus, campoque potitus aperto
Aut ille in paſtus, armentaque tendit equarum,
Aut aſſuetus aquæ perfundi flumine noto
Emicat, arrectiſque fremit ceruicibus altè
Luxurians, luduntque iubæ per colla per armos.
Idem l.11. Æn.

At ſonipes habitus, animoſque imitatus heriles
Acrius attollit vultus, curſumque minatur.
Cui rigidis ſtant colla iubis, viuoſque per armos
Impetus, & tantis calcaribus ilia latè
Suffectura patent.
Statius l.1 ſilu.

Ducitur ante omnes rutilæ manifeſtus Arion
Igne iubæ. Neptunus equo (ſi certa priorum
Fama pater) primus teneris læſiſſe lupatis
Ora, & littoreo domitaſſe in puluere fertur
Verberibus parcens: etenim inſatiatus eundi
Ardor. & hiberno par inconſtantia ponto,
Sæpè per Ionium. Lybicumque natantibus ire
Interiunctus equis, omneſque aſſuetus in oras
Cæruleum deferre patrem. ſtupuere relicta
Nubila, certantes Eurique Notique ſequuntur.
Statius l.6. Theb.

Vtque tuis primum ſonipes calcaribus arſit
Igneſcunt patulæ nares, non ſentit arenas

Va-

Vngula, diſcuſſæque iubæ ſparguntur in armos
Turbantur phaleræ, ſpumoſis morſibus aurum
Fumat, anhelantes exundant ſanguine gemmæ.
Ipſe labor, puluiſque decet, confuſaque motu
Cœſaries, veſtis radiato murice ſolem
Combibit, ingeſto criſpatur purpura vento.
Claudianus de 4. Conſ. Hon.

Prata tener perſultat equos, libatque volucri
Æquora ſumma fuga, aut alti ſubit aſpera montis
In iuga, ſaxoſumque amnem pede plaudit inermi.
Cui pulchro micat aere caput, luduntque decoræ
Fronte comæ, vibrant aures, atque orbe nigranti
Prægrandes extant oculi: tum ſpiritus amplis
Naribus it feruens: ſtat ceruix ardua, qualem
Præfert marmaricis metuenda leonibus ales.
Creſcunt ſpiſſa roris, latèque animoſa pateſcunt
Pectora, conſurguntque humeri, & iam ſeſſile tergum eſt,
Spinaque depreſſos gemino ſubit ordine lumbos,
Et caſtigatum cohibens craſſa ilia ventrem.
Fundunt ſe lætæ clunes, ſubcriſpaſque denſis
Cauda riget ſetis, & luxuriantia crebræ
Felant colla iubæ, & dextra ceruice vagantur.
Tum tereti ſubſtricta genu, molliſſima flectit
Crura ferox, celſum ingrediens, frumitque ſuperbit.
Ang. Politianus in Ruſt.

Sin ſtudium magis arma ſequi, rigidumque lupatis
Frangere equum, cornuque ſolum pulſare ſonanti:
Ire licet: cape lora manu, greſſuſque ſuperbos
Agglomerare doce, & gyro propiore coerce;
Sed tenerum in primis lege, cum laſciuit aperto
Æquore contingi metuens, audaxque volucres
Findere aquas; cui fronte comæ, cui tortilis ambit
Colla iuba, & læuem caſtigant ilia ventrem.
P. Tar. Gallutius l. 1. car. 11.

Nec minus & grauidis auro tumefactus habenis
Altior inuehitur campis equus: vngula crebro
Et pulſu medio ſaxa quatit, tactuſque magiſtræ
Aſſultat virgæ ſonipes: modò raptus in auras
Naribus expirans, labriſque ardentibus ignem
Incedit, laceros & calcibus excutit euros
Tum p[illegible] ceruice graues iam mollior iras
Turbataſque iubas, componit, & alta ſuperbo
Erigit ora gradu, gaudenſque argentea frœna
Mandere, pacato glomerat veſtigia dorſo.
P. Alex. Donatus l. 2. 3.

Ac velut aſſuetus pratis, ripæque ſonanti
Nondum lora pati, & duris ſeruire lupatis
Doctus equus, iam fræna ferens, ſi terga fatiget
Seſſor, & admotis liber calcaribus armos,

Ar-

Arrigitur, plauditque auras, vel ſpumea mordet
Fræna ferox, non ire viam, non flectere gyrum
Obnixus ceruice: latus ſtimulo acer vtrumque
Pulſat eques, ſtimuliſque fero non mollius iræ
Sæuius exarſere: thoris ſternacibus ergo
Infremit, excuſſo qua ſe per aperta magiſtro
Arua volans ferat, & fractis effundat habenis,
At non ille ſui decoriſue oblitus & artis
Præcipitat, ſed enim molimina mille regendi
Mille vias tentans, iam colla comantia mulcet
Plauſa manu, & laxis in curſum hortatur habenis,
Ille ruit diuerſus agris, ventoſque laceſſit
Curſibus: hic domitor qua culta noualia denſis
Funduntur glebis, & auertit & vrget anhelum,
Conuertitque vias, alternoſque orbibus orbes
Impedit increpitans, ſudor fluit vndique riuis.
Apud P. Laur. le Brun. to. 1. Eloq. Poet. to. 1. l. 7.

Stat ſonipes, dominique ferox ſubſellia portans
Obſequium grauitate premit, famulumque laborem
Diſſimulat fremitu. decorant generoſa comantes
Colla iubæ, quas in varios ſolertia nodos
Strinxerat, & multo mulier diſtinxerat auro;
Tum coni plus fulget apex, & vertice ſummo
Ornamenta micant phalerataque tempora perflat
Aduerſi vis ſæua Noti. miratur honores
Ipſe ſuos quadrupes, tardoque ſuperbia greſſu
Quam calcat faſtidit humum. ferit vngula pandum
Altias in ſe tracta femur: ceruice recurua
Obliquat ſibi faſtus iter; non prona dehiſcunt
Ora, nec indecori quaſſantur tergora motu.
Scilicet illa tuis victricia tempora frenis
Inuidit Godefride dies; nec Olympia tantum
Conſpexit generoſa decus: ſeu colligat vngues
Ad numeros, libretque gradum; ſiue auribus adſtet
Attonitus feriatque ſolum temeraria crurum
Mobilitas, grandique tremat ſub pondere tellus:
Seu monitis attendat heri, ſeu flectat in orbem
Corpora, ſeu laxo tranſuerberet aera loro,
Aruaque quadrupedante pererret inania curſu
Hic bellator equus medijs in vallibus hoſtem
Hinnitu vocet, & cuneis ſe ſe arduus ipſis
Inſerat; hic lituos, hic cornua rauca, tubaſque
Audiat intrepidus, perque agmina, perque phalanges
Sternat iter, peditemque truci ceruice ſuperbus
Diſſipet, & nuda ſtratum conculcet arena.
Apud P. Laur. le Brun. El. Poet. to. 2.

Læua tenet fræno s, & temperat ora frementis
Cornipedis: furit ille ferox, magnoque rebellat
Seſſori, & preſſis fruſtra obluctatur habenis,
Stare loco impatiens. dextro iuba ludit in armo
Laſciuis effuſa Notis: curſum ille minatur.

Ni

Ni dextra obnixus Lodoicus dura magiſtra
Et premeret fræna. & luctantes frangeret iras.
Talis Amyclæus cum primum ſenſit agentem
Cyllarus, indomito tentabat Caſtora tergo
Abijcere, & rigidis aſper ſeruire lupatis.
Seſſoremque pati indocilis, ceruice rebelli
Inſolitum iactabat onus, ſpumamque cruentam
Ore vomens, duræ ſpernebat legis iniqua
Imperia, & tacito frœnum inuiolabile morſu:
Sed paſſus tandem arte regi veſtigia ferre
In numerum, ac breuiore fugam conuertere gyro,
Et iuſſu didicit curſus includere circo.
P. Gilb. Ionninus in Parn. Poet Soc. Ieſu.

Hæc Pater, & ſtabulis promiſſum munus ab altis
Imperat educi. circum ille hinnitibus auras
Perſonat, & crebris cauat ictibus vngula terram,
Et frænos mandens ſpumas agit ore niuales.
Nunc patere manu doctus decurrit in orbes
Multiplices, ſeu dextra vocet, ſeu læua ruentem
Nunc etiam ſtabili firmans veſtigia greſſu
Non ſecus ac ſcopulus, media conſiſtit in acta,
Interdumque vagæ quoties laxantur habenæ
In ſpatium, rapidus rapidos præteruolat euros:
Ang. Barlæus Syriad. l. 2.

Equus ad carceres impatiens moræ.

TAlis in Elæo ſeptenam puluere metam
Ante alios viſurus equus, licet æreus obſtet
Limes, & oppoſitæ moles, tamen acrior ardet:
Impatiens crebris obiecta repagula pulſat
Calcibus; ante fugam veſtigia perdit eodem
Mille loco, abſenteſque terit iam miſſus arenas:
Iamque hos, iamque illos oculis præit, ardet, anhelat,
Iamque prior volat, eſt iam extremo in puluere victor.
P. Gilb. Ionninus in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Equus ornatus.

OMnibus extemplo Teucris iubet ordine duci
Inſtratos oſtro alipedes, pictiſque tapetis,
Aurea pectoribus demiſſa monilia pendent:
Tecti auro fuluum mandunt ſub dentibus aurum.
Virgilius l. 7. Æn.

O felix ſonipes, tanti cui fręna mereri
Numinis & ſacris licuit ſeruire lupatis.
Accipe regales cultus, & crine ſuperbus
Erecto, virides ſpumis perfunde ſmaragdos.
Luxurient tumido gemmata monilia collo.
Nobilis auratos iam purpura veſtiat armos,

Et medium te zona liget variata colorum
Floribus, & caſtæ manibus ſudata Serenæ.
Claudianus in Epigr.

Equi in circo currentes.

NOnne vides cum præcipiti certamine campum
Corripuere, ruuntque effuſi carcere currus,
Cum ſpes arrectæ iuuenum, exultantiaque hauſit
Corda pauor pulſans; illi inſtant verbere torto
Et proni dant lora, volat vi feruidus axis;
Iamque humiles, iamque elati ſublime videntur
Aera per vacuum ferri, atque aſſurgere in auras
Nec mora, nec requies; aut fuluæ nimbus arenæ
Tollitur; humeſcunt ſpumis flatuque ſequentum;
Tantus amor laudum, tantæ eſt victoria curæ.
Virg. l. 3. Georg.

Terrarum decora ampla viri, decorà ampla iugales
Diuum vtrumque genus. Stant vno margine clauſi,
Speſque, audaxque metus, vna fiducia pallens;
Nil fixum cordi, pugnant exire, pauentque.
Concurrit ſummos animoſum frigus in artus.
Qui dominis, idem ardor equis. face lumina ſurgunt,
Ora ſonant morſu, ſpumiſque & ſanguine ferrum
Vritur, impulſi nequennt obſiſtere poſtes
Clauſtraque, compreſſæ transfumat anhelitus iræ
Stare adeò miſerum eſt, pereunt veſtigia mille
Ante fugam, abſentemque ferit grauis vngula campum,
Circumſtant fidi; nexuſque, & torta iubarum
Expediunt, firmantque animos, & plurima monſtrant.
Inſonuit contra Tyrrhenum murmur, & omnes
Exiliere loco. quæ tantum carbaſa ponto?
Quæ bello ſic tela volant? quæ nubila cœlo?
Amnibus hybernis minor eſt, minor impetus igni.
Tardius aſtra cadunt, glomerantur tardius imbres.
Tardius e ſummo decurrunt flumina monte.
Emiſſos videre atque agnouere Pelaſgi.
Et iam rapti oculis, iam cæco puluere mixti
Vna in nube latent. vultuſque vmbrante tumultu,
Vix inter ſeſe clamore, & nomine noſcunt
Euoluere globum, ſpatio quo quiſque valebat
Diducti, delet ſulcos iterata priores
Orbita, nunc auidi prono iuga pectore tangunt,
Nunc pugnante genu preſſis duplicantur habenis
Colla toris crinita tument, ſtanteſque reflectit
Aura iubas. bibit albentes humus arida nimbos.
Fit ſonus, immaniſque pedum, tenuiſque rotarum.
Nulla manus requies, denſiſque inſibilat aer
Verberibus, gelida non crebrior exilit Arcto
Grando, nec Olenijs mauant tot cornibus imbres.
Statius l. 6. Theb.

Equus

Equus liber & profugus.

.... Vt ſonipes, diffractis lætus habenis,
Excutiens ceruice iugum, fluitante per armos,
Atque auras verrente iuba, nemora inuia luſtrat;
Quadrupedante fugà ſonat excita ſilua: viator
Territus, agricolæque per inuia ſaxa vagantur.
Præcipitem terrent alij: vi tela, viroſque
Rumpit equus: flagris in terga comata ruentes
Reſpicit, & ſaltus peragrat, victorque ſuperbit.
P. Car. de Luca l. 20. Dom. Laur.

Elephas.

ET montes animaſſe placet? quis mole grauatum
Quadrupedante ſolum ſpectans, Atlanta moueri
Ambigat, aut vulſum radicibus Apenninum?
Iam ſcopulis ſua vita ſubeſt. animataque rupes
In ſenſu male fræuatos exſuſcitat ignes.
Aſpicis vt vultum furor imperioſus obarmat;
Terroremque, necemque, redundanteſque fauillas
Ingentes oculorum orbes iaculantur in auras?
Fronte ſedet media, dicitque ferocia iura
Sæuities, & mors non vna arietat ore
Illa, vides? ictu quæ ſurgit in aſtra minaci
Flexilis in partes omnes manu: illa retortum
In nodum ſinuatà ruentem ſtrangulat hoſtem,
At qui terrifica luxantur cuſpide dentes,
Hinc atque hinc rabiem natiuà in cæde laceſſunt;
Et crudele nitens ebur admiſcere ruborem
Sanguinea de cæde parat: iam tergora ferro
Neſcia tranſadigi dextram aſpernantur, & ictum
Quatuor incumbit ſpirantibus alta columnis
Bellua, nil trepidans; infractaque mole ſua ſtat.
Incertus Auctor.

Si quis odorati medijs in vallibus Indi,
Aut vbi inacceſſas tellus Mauruſia ſiluas
Denſat, & horrenti virides tegit ilice ſaltus,
Immanemque feram, vaſta ſe mole ferentem
Aſpiciat cui iuncta humeris non ardua ceruix
Prominet, & latas ad tempora deijcit aures:
Cuique oculi ingentes, at non pro corpore: & ipſa
Ad terram in multos naris dimittitur vſus,
Longa quidem, & quoquo verſum ſic tortilis, vt ſe
Complicet, & ſtipulas, ceu ſi manus eſſet, inanes
Seligat, & veteres ſternat radicitus ornos
Interdum, & grandem tanquam tubus euomat vndam:
Illam adeò quicumque videns nouus aduena ſecum
Miratur rerum ignarus, geminoſque ſupernis
Proſpicit è malis dentes, ceu cornua denos

Longa pedes fluere ad terram, mox leniter in ſe
Reflecti, & diros mucrones tendere in hoſtem.
Ang.Barlæus Cynog.l.4.

Elephas turritus.

ERgo elephas, ſeu bella tibi ludrica parantur,
Siue hoſtem ſequeris ſumptis iam comminus armis,
Depaſtus latè campos, quos irrigat Indus
Diues, & ingenti fœcundat flumine Ganges,
Suſtentans humeris turrim feret arduus altam:
Quam iuuenes armis, primaque ætate nitentes
Quindeni inſiſtunt, ac deſuper omnia fundunt
Telorum genera, & complent lata arua ſagittis.
Ille autem huc illuc rapidus vaſto impete fertur,
Et pedibus miſeras proculcat in agmine turbas.
Idem ibidem.

Leo.

. . . . qualis leo rupe ſub alta
Quem virides quondam ſyluæ monteſque tremebant,
Iam piger, & longo iacet exarmatus ab æuo.
Magna tamen facies, & non adeunda ſeuectus;
Et ſi demiſſas veniat mugitus ad aures
Erigitur, meminitque ſui, vireſque peractas
Ingemit, & campis alios regnare leones.
Statius l.11.Theb.

Auditur quantum Maſſyla per auia murmur.
Innumero quoties ſilua leone furit;
Pallidus attonitos ad plena mapalia paſtor
Cum reuocat tauros, & ſine mente pecus:
Tantus in Auſonia fremuit modò terror arena.
Quis non eſſe gregem crederet? vnus erat.
Sed cuius tremerent ipſi quoque iura leones:
Cui diadema daret marmore picta Nomas.
O quantum per colla decus, quem ſpargit honorem,
Aurea lunatæ cum ſtetit vnda iubæ!
Grandia quam decuit latum venabula pectus,
Quantaque de magna gaudia morte tulit!
Martialis l.8 po.54.

Namque animis alij, præſtanti & pectore fortes
Cædem oculis, cædem & vultu, cædem ore minantur
Illis grande caput, viua ſtant lumina flamma,
Turpe ſupercilium nares ſupereminet amplas,
Labra horrent ſetis, ſimplex iuba, pendet ab armis
Villus, & horrenti fremitu nemus omne remugit.
Oſtentatque toris animoſum pectus, & ipſas
Interdum fauces, & vaſtos pandit hiatus.
Ang. Barlæus Cyneg.l.3.

Leo

Leo ſæuiens.

IMpaſtus ſtabula alta leo ceu ſæpe peragrans.
(Suadet enim veſana fames) ſi fortè fugacem
Conſpexit capream, aut ſurgentem in cornua ceruum,
Gaudet hians immanè, comaſque arrexit, & hæret
Viſceribus ſuper accumbens: lauit improba teter
Ora cruor:

Virgil. l.10.

...... Pœnorum qualis in aruis
Saucius ille graui venantum vulnere pectus
Tum demum mouet arma leo, gaudetque comantes
Excutiens ceruice toros: fixumque latronis
Impauidus frangit telum, & fremit ore cruento.

Virgilius l.12.

...... Innumeris veluti Leo forte potitus
Cædibus, imbelles vitulos molleſque iuuencas
Tranſmittit, magno furor eſt in ſanguine mergi
Nec niſi regnantis ceruice recumbere tauri.

Statius l.8.Theb.

Vt Leo, cui paruo mater Getula, cruentos
Suggerit ipſa cibos, cum primum creſcere ſenſit
Colla iubis, toruuſque nouos reſpexit ad vnguens.
Indignatur ali, tandemque effuſus apertos
Liber amat campos, & neſcit in antra reuerti.

Statius l.9.Theb.

Haud ſecus è ſpecula præceps delatus opaca
Subſidens campo ſubmiſſos contrahit artus,
Cum vicina trucis conſpexit cornua tauri,
Quamuis longa fames ſtimulet leo: nunc ferus alta
Surgentes ceruice toros, nunc torua ſub hirta
Lumina miratur fronte, ac iam ſigna mouentem
Et ſparſa pugnas meditantem ſpectat arena.

Sil. Italicus l.5.

Illatus velut armentis ſuper ardua colla
Cum ſe ſe impoſuit, victorque immane ſub ira
Infremuit leo, & immerſis grauis vnguibus hæſit
Mandit anhelantem pandens ceruice iuuencum.

Idem l.11.

.... vt clauſum fert nobilis ira leonem
Saxa per, & rupes, per præcipites anfractus:
Hinc fremit, inde ruit, ſaltuſque pererrat in omnes
Turbidus, impatiens flammas vomit ore minaces,
Oppoſitamque canum vultu, fremituque coronam
Territat, irritatque per obuia tela, per hoſtes

uærit iter, vel dente facit. Sunt ſerta leonis
Regia, venantes, venabula, tela, moloſſi.
P. Car. de Luca l.12. Dom. Laur.

Leo ſtrage edita ſatur.

VT leo, qui campis longè cuſtode fugato
Maſſylas depaſtus oues, vbi ſanguine multo
Luxuriata fames, ceruixque, & tabe grauatæ
Conſedere iubæ, medijs in cædibus adſtat.
Ager hians, victuſque cibis; nec iam amplius iræ
Crudeſcunt, tantum vacuis ferit aera malis,
Molliaque erecta delambit vellera lingua.
Statius l.2. Theb.

Silua iubatus qualis Armenia leo,
In cæde multa victor armento incubat,
Cruore victus madidus, & pulſa fame
Non ponit iras, hinc & hinc tauros premens,
Vitulis minatur, dente iam laſſo piger.
Seneca in Thyeſt. act.4. ſc.1.

Leæna catulos defendens.

VT lea, quam ſæuo fœtam preſſere cubili
Venantes Numidæ, natos erecta ſuperſtat
Mente ſub incerta, toruum ac miſerabile frendens.
Illa quidem turbare globos, & frangere morſu
Tela queat, ſed prolis amor crudelia vincit
Pectora, & in media catulos circumſpicit ira.
Statius l.10. Theb.

Leonis catulus adultus.

VT catulus Libycæ vaſta ſub rupe Leænæ
Menſtruus, exacti perfectum donec ad vnguem
Vnguiculi creſcant; & ad annum acceſſerit annus,
More feræ vulgaris amat cum fratre iocari.
Getulo, preſſaque procax laſciuit in herba.
Nullus in ore furor: nemorum neque prælia curat.
At ſimul excoxit iuſtas calor annuus iras,
Luxuriantque tori: iam iam venatibus apta,
Aſſueſcens meminiſſe ſui ſe vellere toto
Prodit, auoſque ſuos, Maſſyli bellua ſaltus,
Lata patet facies: irrugant nubila frontem.
Fulgur ineſt oculis; micat omnibus Africa membris
Spectat fulua parens, & ſe miratur in illo.
P. Iac. Balde t.2. Genet.2.

Leo ad Martyris conſpectum manſuetus.

STat inter acres Martyr intrepidus feras
Cœlumque ſpectat, ecce flumineo gradu

Et

Et hiante triplex ore præcipitat Leo
Diuturna rabiem ſtimulat accenſam fames
Scintilla raris crebra luminibus vibrat,
Latos per armos fuſa diſcurrit iuba,
Denſiſque grandes aſperat villis thoros,
Falcata longos cauda ſinuat, implicat,
Voluitque gyros, at nigram bilem ciens,
Vtrumque ſtimulo fodicat alterno latus,
Immanis, altas fauce tergemina ciet,
Rumpitque nubes fremitu; & exanguis metu
Conſiſtit omnis populus; at nudum obuius
Opponit vltrò pectus, & ſæuas manu
Feras laceſſit martyr, at ſubitò minax
Deſæuit ira, blandus in rigidas meat
Senſus medullas: fuſa nunc ceruix iacet,
Nunc mollioris ludit in catuli modum,
Lentoſque fracti lateris obliquat ſinus;
Modò lingua palmas lingit, aut lapſu leui
Preſſum modeſtis pedibus allambit ſolum;
Quin ipſe patulo dexteram rictu inſerens
Tumidum profundi gutturis nodum premit,
Altaque merſos diſtrahit dentes cute
Vngueſque, medio martyr expirat ſinu
Hæret ſupinum corpus, exultat leo,
Caudaque terram pulſat, & raucum ingemens,
Reflexa in artus colla dimidios agit.

Apud Laur. le Brun. to. 1. el. Poet. l. 7.

Tigris.

Qualis vbi audito venantum murmure tigris
Horruit in maculas, ſomnoſque excuſſit inertes,
Bella cupit, laxatque genas, & temperat vngues,
Mox ruit in turmas, natiſque alimenta cruentis
Spirantem fert ore virum.

Statius Theb. lib. 2.

Ieiuna ſyluis qualis in Gangeticis
Inter iuuentos Tigris errauit duos,
Vtriuſque prędæ cupida, quo primos ferat
Incerta morſus, flectit huc rictus ſuos,
Illicò reflectit, & famem dubiam tenet.

Seneca in Thyeſt. ac. 4.

Quale ruit feſtina truci cum coniuge Tigris?
Senſit vbi abreptis populata cubilia natis,
Et fremitum clamoſa ciet. ruit actus vterque
In furias, ignemque vomens; & præpete curſu
Obſeruata legunt oculis veſtigia, ſi quà
Signat iter, catulis autro venator abactis
Et dubium trans altus equo nemus alite vectus.

P. Pulch. lib. Paon.

Ac velut in lybicis venantum exercitus oris,
Ieiunas tigres catulis ſi forte peremptis
Inuaſere, rapit matres dolor ira furentes
Haud dubiam in mortem, & venabula ſanguinolento
Mandere non timidæ morſu, ſolatia cædis
Cæde ſibi pariunt venantum: mille receptis
Deinde humeros confixæ haſtis, ſiluamque rotantes
Æratam in gyrum, ceu rapta ex hoſte trophæa,
Procumbunt alto deuictæ ſtragis aceruo.

P. Dondinus car. de bel. Hib.

Taurus.

INduitur faciem tauri, mixtuſque iuuencis
Mugit, & in teneris formoſus obambulat herbis
Quippe color niuis eſt, quam nec veſtigia duri
Calcauere pedis, nec ſoluit aquaticus Auſter.
Colla toris extant, armis palearia pendent,
Cornua parua quidem, ſed quæ contendere poſſe
Facta manu, puraque magis pellucida gemma.
Nullæ in fronte minæ nec formidabile lumen,
Pacem vultus habet.

Ouidius l.2.met.

.... veluti dux taurus amata
Valle carens, pulſum ſolito quem gramine victor
Iuſſit ab erepta longè mugire iuuenca;
Cum profugo placuere tori, ceruixque recepto
Sanguine magna redit, fractæque in pectore vires:
Bella cupit, ſaltuſque & capta armenta repoſcit
Iam pede, iam cornu melior pauet ipſe reuerſum
Victor; & attoniti vix agnouere magiſtri.

Statius l.2.Theb.

Primus enim valido ſubnixus eburnea collo
Fert iuga formoſi pecoris cuſtodia taurus,
Stellatus minio taurus, cui cornua fronti
Aurea, & auratis horrent palearia ſetis,
Perque pedes bifidæ radiant noua ſidera gemmæ.
Torua boui facies, ſed qua non altera cœlo,
Dignior imbriferum, quæ cornibus inchoet annum,
Nec quæ tam claris mugitibus aſtra laceſſat.

Sannazza iusl 1.de partu.

Taurus pugnam parans, vel pugnans.

ERgo omni cura vires exercet, & inter
Dura iacet pernox inſtrato ſaxa cubili,
Frondibus hirſutis, & carice paſtus acuta,
Et tentat ſe ſe, atque iraſci in cornua diſcit
Arboris obnixus trunco, ventoſque laceſſit
Ictibus, & ſparſa ad pugnam proludit arena. *Et inf.*
Illi alternantes multa vi prælia miſcent

Vul-

Vulneribus crebris lauit ater corpora ſanguis:
Verſaque in obnixos vrgentur cornua vaſto
Cum gemitu reboant ſiluæque, & magnus olympus.
Virgilius l. 3. Georg.

Ac velut ingenti Sila, ſummoque Taburno
Cum duo conuerſis inimica in prælia tauri
Frontibus incurrunt, pauidi ceſſere magiſtri,
Stat pecus omne metu mutum, muſſantque iuuencæ
Quis pecori imperitet, quem tota armenta ſequantur.
Illi inter ſe ſe multa vi vulnera miſcent,
Cornuaque obnixi infigunt, & ſanguine largo
Colla armoſque lauant, gemitu nemus omne remugit.
Virgil. l. 12. Æn.

Sic vbi regnator poſt exulis otia tauri
Mugitum hoſtilem ſumma tulit aure iuuencus,
Agnouitque minas, magna ſtat feruidus ira
Ante gregem, ſpumiſque animos ardentibus effert,
Nunc pede toruus humum, nunc cornibus aera findens:
Horret ager, trepidæque expectant prælia vaccæ.
Statius l. 11. Theb.

Abditus vt ſilua ſtabulis cum ceſſit ademptis,
Amiſſo taurus regno gregis, auia clauſo
Molitur ſaltu certamina: iamque feroci
Mugitu nemora exterret, perque ardua curſu
Saxa ruit, ſternit ſiluas, rupeſque laceſſit
Irato rapidus cornu: tremit omnis ab alto
Proſpectans ſcopulo paſtor noua bella parantem.
Sil. Italicus l. 16.

Bos.

.... optima toruæ
Forma bouis, cui turpe caput, cui plurima ceruix,
Et crurum tenus à mento palearia pendent
Tum longo nullus lateri modus: omnia magna:
Pes etiam, & camuris hirtæ ſub cornibus aures.
Nec mihi diſpliceat maculis inſignis, & albo,
Aut iuga detrectans, interdumque aſpera cornu,
Et faciem tauro propior, quæque ardua tota
Et gradiens ima verrit veſtigia cauda.
Virgilius l. 3. Geor.

Vaccæ pingues & macilentæ.

PAſcuntur ſemper præſtanti corpore vaccæ
Vbera queis largo turgent vndantia lacte,
Aruina, nimiaque graues pinguedine ſudant.
Ponè aliæ totidem ſine ſucco, & ſanguine vaccæ
Hirſutæ, & terra macrentes tabe ſequuntur.
Vbera lacte vacant: oculis conduntur abactis.

Ora, ſub incuruis deiectæ cornibus aures,
Oſſaque ſtrigoſum fodiunt extantia tergus;
Lurida ventre fames, auidiſque in faucibus hæret.

P. An. Millieus l.3. Moyſ. Viat.

Canes venatici.

AT genere ex omni præſertim delige, quæ nec
Corpore ſit gracili, nec denſis aſpera villis
Sed ſublime caput, viuacia lumina, & amplam.
Oſtentet frontem, atque ingentes oris hiatus;
Cui rectæ ſurgant aures, cui pinguia terga
Diuidat in caudam deſcendens ſpina reflexam
Sint armi lati, ſint æquè pectora lata,
Lata aluus, quæ ſic coſtis adiungitur imis,
Vt tamen in ſpatium ſenſim ſe colligat arctum:
Vt caua didnctis ſuccedant ilia coſtis.
Excipiant ſiccis quas fortia crura lacertis.
Ima pedum parua ſignent veſtigia planta

Hier. Fracaſtorius car. de cura Can.

Elige tunc curſu facilem, facilemque recurſu
Non humili de gente canem, ſit cruribus altis,
Sit rigidis, multamque gerat ſub pectore lato
Coſtarum ſub fine decentes prona carinam,
Quæ ſenſim rurſus ſicca ſe colligat alno.
Renibus ampla ſatis validis, diductaque coxas,
Cuique nimis molles fluitent in curſibus aures.

Olym. Nemeſianus in Cyneg.

Sint celſi vultus, ſint hirtæ frontibus aures.
Os magnum, & patulis agitatos morſibus ignes
Spirent, accincti ſuccingant ilia ventris:
Cauda breuis, longumque latus, diſcretaque collo
Cæſaries, non pexa nimis non frigoris illa
Impatiens: validis tum ſurgat pectus ab armis.
Quod magnos capiat motus, magniſque ſuperſit.
Effuge qui lata pandit veſtigia planta,
Mollis in officio: ſiccis ego dura lacertis
Crura velim, & ſolidos hæc in certamina calces.

Gratianus apud P. Laur. le Brun. Eloq. Poet. to. 2.

‥‥‥‥ at corpora tales
Oſtentant procera, caput leue, turgida venis,
Lataque ſublimi frons ſe roſtro explicat: atris
Sublimes oculis mediæ diſcrimina vallis
Inter vtrumque patent, glabræ ſtant molliter aures
Subrectæ, ceruix longiſſima, pectora lata.
At coſtæ laterum paruæ, lumbique, rotunda
Terga intus contracta rigent, multoque ſupernè
Tenduntur pingui; femorum molliſque tereſque
Parte modus; ventris locus eſt pro ventre, ſed ima

Parua

Parua placent crurum, poſtremaque longa, pedeſque
Orbe acti modico, cauda alta vibratur honeſtè.
Ex P. Laur. le Brun. to. 1. eloq. Poet. l. 7.

Inter quadrupedes canis fidelis.
Inter quadrupedes canis patronum
Cognoſcit, veneratur, & tuetur.
Hunc tu ſi ferias, dolet, gemitque
Sed parcit tibi protinus reuertens.
Hunc tu ſi expuleris, redit benignus,
Et caudam mouet ille blandiendo.
Hic te, ſi mare nauiges, ſequetur.
Hic, tu ſi mare pernates, natabit.
Non te per medios relinquet æſtus,
Non te deſeret horridos per imbres,
Non te deſeret aſperas per alpes,
Non te deſeret ille vel per hoſtes.
Te tutabitur ille vel per hoſtes.
Te nam diligit ille diligentem.
Non te deſerit ille vel diebus
Non te deſerit ille vel tenebris.
Si venaberis, ille per labores
Conatur tibi complacere ſemper.
Pro te non rabidos recuſat vrſos,
Et dentes patitur furentis apri,
Ceruos, capreolos, vafraſque vulpes
Et ſternit genus omnium ferarum.
Si ſoluis, iacet ille ſic ſolutus:
Et iuſſus iacet ille ſub catenis,
Non audens querulas mouere voces.
Hic cuſtos pecorum, tuæque villæ
Fures exigit, arduos lupoſque.
Nec non arcibus ille præſidentes
Tutes inſidijs facit latratus:
Non te pocula delicata poſcit:
Non obſonia ſobrius requirit,
Contentus latices bibiſſe lymphas,
Nec non relliquijs, tuiſque fruſtis
Qui tantos ſibi ſuſtinet labores
Hos contendimus eſſe non habendos?
Hos contendimus eſſe nen alendos?
Et non dulcius eſſe poſſe quidquam?
Iacobus Millieus.

Sin autem te re oblectant, quī præmia curſu
Certa petunt, celerique fuga lata æquora verrunt:
Elige quos vultus triſtes, demiſſaque ceruix
Ornat, & argutum ſupra ſtant lumina roſtrum
Nigra quidem, ſed quæ multo ſplendore coruſcant.
Ollis os ingens ad tempora pone dehiſcit,
Lataque frons tenues conſurgere ſuſpicit aures.
Vergat humi proprior ſtomachus, latèque patescat
Pectus, & haud longis inſiſtant cruribus armi

Sublimes: tum prona ſuis extantia coſtis
Et latera, & lumbis quà iungitur aluus obeſis,
Preſſa animis calidum oſtendant, & viribus acrem,
Præcipuè clunes inter ſi ſtricta ſupremos
Illa demittant caudam, quæ currat ad imum
Tenuis, vbi extrema vix tandem in parte reſidat;
Et paruum ſeſe ſinuans deflectat in orbem.
At verò tereti ponat veſtigia planta,
Quæ ſpatijs digitos nuſquam diſcludat apertis,
Sed multum ſolidos paulatim curuet in vngues.

Angel. Barlæus Cyneg. l.5.

Canis moloſſus.

SVnt quibus immiſſæ villis horrentibus aures
Impendent, quibus ora fluunt, quibus aſpera ceruix
Obtuſúmque caput, laxumque ante omnia pectus.
Non illis quiſquam iubeat me occurrere campo
Latratu quoties ſiluam impleuere ſonanti.
Conceptaſque vomunt patulis è naribus iras,
Vnde tremunt timidæque feræ Libycique leones.

P. Tarq. Gallutius l.1.c.18.

Seu quis apros magno laudum perculſus amore
Inſequitur, ſeu quis timidos ad prælia ceruos:
Præcipuè canibus curas impendat habendis,
Quos omni ſtudio, quos omni exerceat arte.
Ille tibi ingentes rauros aggreſſus, & vrſos
Siſtat, & impoſito fugientes vulnere tardet:
Cui latè pendent aures, cui laxa ſupernè
Labra fluunt, cui vultus atrox, cui maxima ceruix,
Obtuſumque caput, preſſumque ante omnia roſtrum.
Præterea magnique pedes, vngueſque recurui,
Molle ſolum, ſublime femen, ſuppreſſior aluus,
Ipſa rectorum longa internodia crurum:
Spina duplex, pingues lumbi, color heluus, honeſtum:
Pectus, & è patulis efflet qui naribus ignem,
Larratu quoties ſiluas impleuit, & amplo
Pectore conceptas ſubitò decurrat ad iras.
Tum verò ſplendent oculi, collumque tumeſcit,
Et caudam crebrò villoſa in terga retorquet.

Ang. Bargæus Cyneg. l.5.

Canis veſtigator feræ.

VT canis occultos agitat cùm Belgicus apros
Erroreſque feræ ſolers per deuia merſa
Nare legit, tacitoque premens veſtigia dorſo
Luſtrat inacceſſos venantum indagine ſaltus;
Nec ſiſtit, niſi conceptum ſectatus odorem
Deprendit ſpiſſis arcana cubilia dumis.

Silius Italicus l.10.

Sic

Sic cum feras veſtigat, & longo ſagax
Loro tenetur Vmber, ac preſſo vias
Scrutatur ore, dum procul lento ſuem
Odore ſentit, paret, & tacito locum
Roſtro pererrat; præda cum propior fuit,
Ceruice tota pugnat, & geſtu vocat
Dominum morantem, ſeque retinenti eripit.
Seneca in Thyeſt. act. 3. ſc. 2.

Qualis vbi greſſum per agros comitatus herilem
Forte canis leporem vi longè ſentit odora,
Continuò intenditque aures, atque aera captat
Naribus, & ceptum rumpens iter auius errat.
Atque oculis incerta feræ veſtigia luſtrans
Nunc hos, nunc illos curſus fert, atque recurſus
Incertus: longè latratibus arua reſultant.
Hier. Vida l. 3. Chriſt.

Sed te ſi certas egreſſum è mœnibus vrbis
Conuectare iuuat prædas, & viuere rapto:
Educet in primis catulos tua cura ſagaces,
Tum qui preſſa legant ſimo veſtigia roſtro,
Tum qui etiam patulis excipient naribus auras.
Illis turpe caput, ſummæ patet area frontis,
Sunt latæ demiſſæ aures, ſunt fortia colla:
Labra cadunt, nec purpurea non lumina flamma:
Voluuntur, pectuſque toros oſtentat apertum
Crura rigent ſetis ſpatioſa prodiga planta:
Et latus in tenuem ſenſim deducitur aluum
Prælongum: tum ſpina duplex diſcludit vtrinque
Pinguia quà duros contingunt ilia lumbos. *Et inſ.*
Qualis ab extremis Morinum qui mittitur vndis,
Ille quidem multa virtute inſignis, & vſu
Venandi, ſaltum ſi quando ingreſſus apertum eſt,
Euinctus loro dominum trahit; atque vbi ſigna
Inuenit, aut auras acer perſentit odoras,
Pergit iter, roſtrum & preſſa vix tollit ab herba,
Huc illuc voluens oculos, & ſingula ſolers
Seruatur; donec ſubter virgulta latentem
Conſpexit leporem, & conſtrata cubilia fronde.
Tum verò greſſum cauda blanditus, & ore
Accelerat, montemque omnem latratibus implet.
Angel. Bargæus Cyneg. l. 5.

Canis feram inſequens.

VT canis in vacuo leporem cùm gallicus aruo
Vidit & hic prædam pedibus petit, ille ſalutem;
Alter inhæſuro ſimilis, iam iamque tenere
Sperat, & extento ſtringit veſtigia roſtro;
Alter in ambiguo eſt an ſit comprenſus, & ipſis
Morſibus eripitur, tangentiaque ora relinquit.
Ouidius l. 1 met.

Poſcor & ipſe meum conſenſu Lælana magno
(Muneris id nomen) iam dudum vincula pugnat
Eruere ipſe ſibi, colloque morantia tendit.
Vix benè miſſus erat nec iam poteramus vbi eſſet
Scire, pedum calidus veſtigia puluis habebat,
Ipſe oculis ereptus erat: non ocyor illo
Haſta, nec excuſſæ contorto verbere glandes,
Collis apex medijs ſubiectis imminet aruis,
Tollor in hunc, capioque noui ſpectacula curſus:
Quo modò deprehendi, modò ſe ſubducere ab ipſo
Vulnere viſa fera eſt: nec limite callida recto
In ſpatiumque fugit; ſed decipit ora ſequentis,
Et redit in gyrum, ne ſit ſuus impetus hoſti.
Imminet hic, ſequiturque parem, ſimiliſque tenenti
Non tenet, & vacuos exercet in aere morſus.

Ouidius l. 7. met.

Catella venuſta.

NAm quid ergo formæ referam candentis honorem,
Qua potis intactas exuperare niues?
Quid faciles catulæ mores, nutuſque loquaces,
Gaudiaque à tenero nata lepore canam?
Et breuis, & parua fuerat ſpectanda figura,
At non parua fuit corpore dexteritas.
Docta vel innumeros errare licenter in orbes
Mobilis & crebras, ire redire vias.
Nec minus obliquæ ſinuoſa volumina caudæ,
Nec minus illecebras ora tulere ſuas.
Seu lingua lambat, ſeu præbeat oſcula rictu,
Siue exarmato prælia dente paret.
Aut cum centenos ceruicem flectit in vſus,
Et parua luſus indole mille parit.

Bened. Millieus de Catella.

Ceruus.

DAt ſparſo capiti viuacis cornua cerui
Dat ſpatium collo, ſummaſque cacuminat aures
Cum pedibuſque manus, cum longis brachia mutat
Cruribus, & velut maculoſo vellere corpus
Additus & pauor eſt.

Ouidius l. 3. met.

Vidiſti vt fruticat Cerui caput vſque ſub ipſis
Cornibus, & læui lucent redimicula collo
Hunc ego depulſum frondoſa in valle parenti
Eripui: longeque alto ſub colle receptum
Molliter eduxi, ſequitur quocumque vocarem
Credulus, & patitur dextram, & mandata capeſſit,
Par nitor alpinis niuibus, frons diſcolor vmbra
Germinat, & ſpatio patulas æquantia fagos
Cornua ramoſo ſurgunt generoſa metallo.

Vira-

Vtraque in excelſo riget auris vertice, & omnes
Excubat in ſtrepitus, omneſque inquirit in auras.

Apud P. Laur. le Brun. to. 2. Eloq. Poet.

Quippe caput ſublime ferunt, frontemque ſub altam
Ingentes oculos voluunt, animamque quaternis
Ducere anhelantes, ac reſpirare videntur
Naribus, & roſtro ſimi ſpectantur obeſo,
Et quamuis multi multos quandoque colores
Infecere, tamen fuluo quamplurima fulgent,
Aut flauo, aut fuſco circumlita corpora fuco.
Proſilit ex imo tum cauda breuiſſima dorſo,
Cruraque compreſſo ſubſunt exilia ventri.
Illa quidem ad rapidos nata, atque exercita curſus:
Grandiaque imbellis ſuſtentat cornua ceruix;
Quæ ſeſe latè ſumma de fronte profundunt:
Exactoſque annos, ni ſex ex ordine brumæ
Tranſierint, totidem ramis fruticantibus æquant.
Et quia ſunt hebetique acie, & mucrone retuſo,
Pondereque ingenti preſſant collumque, caputque,
Non homini, non illa feræ, niſi poſtulat vſus
Bellorum, opponunt, verum in ſua terga fugaces
Reijciunt, quoties nacti lata æquora campi
Latrantem greſſu turbam properante relinquunt
A tergo, & celeres exæquant curſibus auras.

Ang. Bargæus Cyneg. l. 2.

Cerui Venatio & fuga.

IDcirco Ceruus ſi forte elapſus abiuit
Longius, atque oculos nuſquam fugere ante videtur;
Veloces duo ipſe canes, qua cornea certum
Preſſit iter, rectamque fugam grauis vngula ſignat,
Et procul hortatur dimitte in terga ruentes.
Aſt ille interdum, quà flectitur orbita circum,
Mille fugit, refugitque vias, ne ſedibus actus
Deſtituat notas ſecreta in valle quietes.
Atque ita, (diuerſos namque impedit orbibus orbes
Agglomerans) varia fallit regione ſequentes;
Et retro obſeruata legit veſtigia curſu
Tum iuuenis noti diuortia proxima clivi
Occupat, & cornu, multiſque hortatibus acres
Irritat canes & circum impellere tendit,
Nunc hinc, nunc illinc, quacunque recentia monſtrant
Signa fugam, & verſo deſcribunt tramite flexus
Multiplices, quamquam ſi ſe ſemel inter amicos
Torſerit anfractus, quà læua obuertitur, aut quà
Dextera, mox ſemper partem petet actus eandem,
Expletoſque orbes iterumque, iterumque retexet,
Veloci relegens eadem ſpatia intima curſu.
Ergo age, & aſſiduè viſidæ veſtigia plantæ

Ob-

Obſerua, & catulis oſtende ſagacibus vſque
Dum norint illac hoſtem fugiſſe ruentem.
Idem Cyneg. l. 9.

Cerui cum ſerpentibus pugna.

. . . . It ceruus, & atras
Serpentis latebras inimicis flatibus implet,
Irritatque hoſtem, & crudeles aſpirat iras,
Ille autem magnos intus reuolutus in orbes
Colla tumet, totumque ingentem elatus in aluum,
Cum primum accepit venientes naribus auras,
Cogitur ex imis aſper prodire latebris,
Eductuſque foras inimico abſumitur ore.
Quin, vbi tot Libiæ ſola in regione colubri
Naſcuntur, ſi forte aliquem videre iacentem;
Confeſtim exiliunt omnes, atque agmine facto
Inuadunt, ſpiriſque ligant ingentibus. vnus
Implicat imbellem ceruicem, atque ardua colla,
Cornuaque; aſt alter maculoſam amplectitur aluum,
Tergaque: nec multis alij non ilia nodis
Impediunt, morſuque armos paſcuntur obeſos,
At ſimul inſidijs ſe ſe vndique circumuentum
Ille videt, velox pedibus de more ſalutem
Quærit, & hoſtili præceps euadere turba,
Verum vbi nulla datur vinclis exire poteſtas,
Luctaturque miſer totoſque abſumitur artus,
Implexus ſe ſternit humi: tum tergore nitens
Enecat, atque auido ſinuoſa volumina morſu
Diſcerpit, toto labuntur corpore trunci;
At tandem tumida tumefactus corpora tabe
Feſtinat notos ſubitò ſe mergere in amnes:
Octipedeſque imo captos in gurgite cancros
Mandit, & horrentem pellit de corpore peſtem.
Idem Cyneg. l. 2.

Vrſa.

Brachia cœperunt nigris horreſcere villis,
Curvarique manus, & aduncos creſcere in vngues,
Officioque pedum fungi, laudataque quondam
Ora Ioui, lato fieri deformia rictu.
Neue preces animos, & verba precantia flectant,
Poſſe loqui eripitur: vox iracunda, minaxque,
Plenaque terroris rauco de gutture fertur.
Ouidius l. 2. met.

Integit his armos fuluus color: integit illis
Aſpera terga cinis. tamen eſt inſignis vtriſque
Calliditas: ſunt hirtæ aures: eſt oris hiatus
Ingens: & quoties ſubitas exardet in iras,
Horrendum exertis infrendet dentibus acer.
Ambo vncis agiles manibus comprendere, quicquid
Si-

Siue furor iuſſit, vacui ſiue improba ventris
Admonuit rabies: ambo committere multam
Cædem avidi, inuadunt paſcentem gramina taurum
A tergo, & pugnam non æquo Marte capeſſunt.
Præcipuè validos humero ſub vtroque lacertos
Adducunt, preſſoſque necant amplexibus, & vi
Eliſam ſubigunt animam diffundere ventis.
Quamquam autem toto ſolidæ ſtant corpore vires,
Rapta quibus inter pugnam venabula frangit;
At caput ignauum obſtipis ceruicibus hæret
Vulneribus plagiſque patens: quas obuia ſæpe
Venantum manus, aut dextra confiſus & armis
Imponit iuuenis, funditque in terga ſupinos.

Ang. Bargæus Cyneg. l. 3.

Vrſorum pugna in Venatione.

Hic ille interdum, cum iam ſpes nulla ſalutis
Linquitur, & ſolidas expoſcunt tempora vires,
Conſtitit in plantas ſi forte arrectus vtraſque
(Degeneris quæ ſigna metus) age conſere pugnam
Comminus, & ſtantem nodoſo inuade veruto,
Cedit enim, victaſque manus tum porrigit hoſti,
Et ſupplex orat vitæ ignoſcatur inerti.
Verùm adeò quadrupes ſi verterit obuia pectus,
Pugnat atrox, totoque ſuper venabula fertur
Corpore, & horrentes haſtas frangitque, ruitque
Certa mori, aut duro victrix excedere bello.
Tum ſi qua hirſutis accepit vulnera membris,
Et iuuenum elabens medio è certamine fugit,
Sæuit, & exciſam curvis ſecat vnguibus aluum:
Quaque patent altè confoſſo in tergore plagæ,
Viſcera tota trahens terræ ſola ſanguine turpat.

Idem ibidem.

Lupus fame ſtimulatus.

Ac veluti pleno lupus inſidiatus ouili
Cum fremit ad aulas, ventos perpeſſus & imbres
Nocte ſuper media: tuti ſub matribus igni
Balatum exercent: ille aſper, & improbus ira
Sæuit in abſentes, collecta fatigat edendi
Ex longo rabies, & ſiccæ ſanguine fauces.

Virgilius l. 9. Æn.

.... rabidi ſic agmine mixto
Sub noctem coiere lupi, quos omnibus agris
Nil non auſa fames longo tentauit hiatu;
Iam ſtabula ipſa premunt: torquent ſpes irrita fauces
Balatuſque fremens, pingueſque ab ouilibus agnæ

Quod

Quod ſupereſt, duris adſtringunt poſtibus vngues,
Pectoraque, & ſiccos minuunt in limine dentes.

Statius l.10. Theb.

Ceu ſtimulante fame rapuit cum Martius agnum
Auerſo paſtore lupus, fœtumque trementem
Ore tenet preſſo; tum ſi veſtigia curſu
Auditis celeret balatibus obuia paſtor,
Iam ſibimet metuens ſpirantem dentibus imis
Reiectat prædam, & vacuo fugit æger hiatu.

Sil. Italicus l.7.

.... non Martius agnam
Cum rapuit ſtabulo lupus, & veſtigia paſtor
Balatu excitus celerat, prædamque trementem
Faucibus auellit vacuis, maioribus ardet
Suffuſus flammis oculos: furit improbus ira:
(Vrit enim deluſa fames) mœſtuſque per agros
Exululat: late reſonat vox horrida luco.

P. Iac. Vallius Her. l.2.

.... Qualis tenera agna reducto
Matre procul, paſtore procul deprenſa ſalicto
Creſcentis noua præda lupi, balatibus auras
Perſonat, abſentemque vocat per deuia matrem:
Hic fugiens patria arte ferox, ceruice reflexa
Reijcit inque armos, & caudæ verbere pigram
Increpitat.

P. Lodou. Cellotius in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Aper.

AC velut ille canum morſu de montibus altis
Actus aper, multos Veſulus quem pinifer annos
Defendit; multoſque palus Laurentia, ſilua
Paſtus arundinea, poſtquam inter retia ventum eſt
Subſtitit, fremuitque ferox, & inhorruit armos:
Nec cuiquam iraſci, propiuſque accedere virtus,
Sed iaculis, tutiſque procul clamoribus inſtant.

Virgilius l.10. Æn.

Miſit aprum, quanto maiores herbida tauros
Non habet Epirus, ſed habent Sicula arua minores.
Sanguine & igne micant oculi, riget horrida ceruix.
Et ſetæ denſis ſimiles haſtilibus horrent,
Stantque velut vallum, velut alta haſtilia ſetæ.
Feruida cum rauco validos ſtridore per armos
Spuma fluit, dentes æquantur dentibus Indis.
Flumen ab ore venit; frondes afflatibus ardent.

Ouid. l.8. met.

Ful-

Fulmineos veluti præceps cum cominus egit
Ira ſues, ſtrictiſque erexit pectora ſetis,
Igne tremunt oculi, lunataque dentibus vncis
Ora ſonant, ſpectat pugnas de rupe propinqua
Venator pallens, canibuſque ſilentia ſuadet.

Statius l. 11. *Theb.*

.... velut hiſpidus alta
Sus prope teſqua iacet, clauſuſque cacuminat albis
Os nigrum telis grauidum, circumlatrat ingens
Turba canum, ſi forte velit concurrere campo,
Ille per obiectos vepres timet, atque ſuperbit
Vi tenuis, fortiſque loco; dum proximus, Eia,
Venator de colle ſonet: vox nata Magiſtri.
Laſſatam reparat rabiem.

Sidon. Apollinaris car 5.

Apri venatio.

IDcirco quoties dentes violentus in hoſtem
Dirigit, vtque duos enſes rotat acer, apertum
Vna eademque femur, ventremque, & pectora plaga
Haurit, & in partes medium diſcriminat æquas.
Continuò hæc illi fuerunt imponere dentes
Vulnera, quos roſtri pars hinc oſtentat, & illinc
Inferior, geminas veluti ſi proferat harpes;
Vtraque quarum acie, & mucrone horreſcat acuto.
Hinc igitur quoties denſis in vallibus inſtat
Turba canum, cogitque ſuis exire latebris
Excitum ſtrepitu, & magnis latratibus aprum,
Confidens animo, & membrorum robore multo
Incurſumque manet, ſtrepitumque interritus omnem
Venantum, frendetque ferox: tum tergus inhorret:
Et certæ addicit morti, quoſcumque ferentes
Contrà tela videt, rictuque extrema minantes:
Oreque, non ſecus atque vndas circum vndique aenum
Virgea ſuggeritur magno cui flamma ſonore,
Spumam agit, & limo coſtas ad prælia durat:
Vulneraque obducens, media quæ plurima ſilua
Accepit, non ille iras, non ille ſuperbos
Demittitque animos, & ſæua pericula vitat
Ignauus: neque enim curſu, pedibuſque ſalutem
Quærit, & hoſtiles præceps euadere terras:
Sed ruit in medias hominumque canumque cohortes
Vltor atrox, certuſque mori, quem ceperat vnum
Ante locum, tutatur habens, neque deſerit vſquam.

Angel. Barlæus Cyneg. l. 4.

At non ignauis licet eſſe prementibus aprum.
Seria tela para
In vaſta ſiluę abdomina.
Quippe ſui meminere feræ, ſecat ecce lutoſam

Tur-

Turbine rapra viam
Globumque ſtantem perfurit.
Emicat & Lachne Spartana, & Oribaſus Arcas
Setigeraſque Nape
Deprendit aures mordicus.
Mulcet corda metus, vibrantia gaudia pallent:
Erigiturque pilus
Sed grata ſunt pericula.
Aduerſi confligit apri pinguiſſima moles,
Cum canibuſque ſuos
Miſcere dentes æſtuat.
Donec ab innumeris equitata ſagacibus ictum
Non remouere valet
Obſtante coram Pamphago.
Sic quoque terribilis: trepidat, mortemque minatur.
Igne flagrant oculi,
Vires in ictum conuocat.
Currit io frendens, præfixam currit in haſtam.
Irruat vlterius,
Ni fortis obſtet lamina.

P. Iac. Balde l. 2. ſilu.

Sus.

VErtit in hirſutam ſpeciem, atque horrentia toruæ
Terga ſuis, pronumque feros effinxit in artus.
Sæpe illum ilicea glandem legere ore ſub vmbra
Sæpe volutabris inhiantem, & turpe madentem
Impulit vndiuomis perfundere naribus auras.
Nec verò humani ſenſus, & Regia menti
Exciderat: quamquam ſtagnantes ille per agros
Viſus odorati biſori vada turbida roſtro,
Aut inſtare fimo & tellure infindere dentem.
Tale ſequens fatum victu ferus ibat aquoſos
Inter haræ ſocios, fœdas agitare lacunas.
Primus inire vadum, & limoſam inna e paludem,
Et pede rimari campos, & nare repanda,
Roboraque, & truncos appreſſo verrere tergo.

P. Pulchatellus l. 2. Pauni.

Rhinoceros.

EST & præterea Graiorum nomine dictus
Rhinoceros, cornu ſummis quod naribus amplum
Porrigit, ingentem quo ſæpe elephantibus aluum
Perfodit, & lata diſcerpit membra feneſtra.
Illi dura cutis, quam circum amplexa duarum
Zonarum anfractu ſinuoſa volumina cingunt
Hæc ſummis coniuncta humeris, vbi colla rigeſcunt:
Altera, quà duros contingunt ilia lumbos.
Quin etiam magnus quanto ſtat corpore taurus,
Explicat interdum, tantos & collig t artus
Cruribus ille quidem breuis atque ſimillimus apro.

Et

Et roſtrum, & caudam, nec non & lumina, & aures:
Conſpicuos ſquamis, circum & pallente corymbo
Tergora, quæ varijs hinc inde interlita gemmis,
Diſtinguit flauis & frontem & tempora ſetis.

Ang. Bargæus Cyneg. l. 2.

Bubalus.

.... illi
Vndique robuſtos ater color inficit artus:
Cornua in anfractus, atque internodia duci
Haud præacuta, ſed obtuſis mucronibus, ipſa
Spectare in ſeſe, curuataque vergere ad aures
Multa ſolent. multis tum frons riget horrida ſetis,
Et denſo ceruix pingui diſtenta, caputque
Ingens, & toruo ſub lumine rictus aduncus,
Dura cutis, raruſque ingenti in corpore villus.
Non ille in pugnam cornu confiſus acuto
Deſcendit: genibus proſtratum, & cruribus hoſtem
Proterit, & plantis contundit membra biſulcis.

Idem ibidem.

Leporis venatio.

OBuius ecce lepus, grata formidine natus:
Præda nec aerio
Ceſſura phœnicoptero,
Ille canem quemuis, niſi ſint duo, plurima circum
Iugera, multiplici
Fatigat vnus circino.
Currit in anfractus, morſumque eludit hiantem
Lælapis, & dubitat
Se ſeque pernix eripit.
An licet interdum pede iam videatur, & ore
Increpitante premi;
Rubo latronem dimouet.
Non tantum celeres lepori timor addidit alas,
Auxit & ingenio
Et delicatis fraudibus.

P. Iac. Balde ſilu. l. 10.

Hyſtrix.

AVdieram memorande tuas Stymphale volucres
Spicula vulnifico quondam ſparſiſſe volatu:
Nec mihi credibilis ferratæ fabula pinnæ
Viſa diu: datur ecce fides, & cognitus hyſtrix
Herculeas affirmat aues. os longius illi
Aſſimilat porcum: mentitæ cornua feræ
Summa fronte rigent: oculis rubet igneus ardor:
Parua ſub hirſuto catuli veſtigia dorſo.
Hanc tamen exiguam miro natura tueri
Præſidio dignata feram. ſtat corpore toto

Sil-

Silua minax, iaculiſque rigens in prælia creſcit
Picturata ſeges, quorum cute fixa tenaci
Altera ſuccreſcit, alternanteſque colorum
Cincta vices, ſpatijs intus nigrantibus exit.
In ſolidæ ſpeciem pugnæ tenuataque furtim
Læuis in extremum ſeſe producit acumen.
Sed non hæc acies ritu ſilueſtris echini
Fixa manet: crebris propugnat iactibus vltro,
Et longè ſua membra regit, tortumque per auras
Euolat excuſſo natiuum miſſile tergo.
Interdum fugiens Parthorum more ſequentem
Vulnerat: interdum poſitis velut ordine caſtris
Terrificum denſa mucronum verberat vnda,
Et conſanguineis haſtilibus aſperat armos
Militat omne feræ corpus, vibrataque rauco
Terga fragore ſonant, ſtimulis accenſa tubarum.
Tantus in anguſto ſtrepitus furit. additur armis
Calliditas, partuſque ſui timor, iraque nunquam
Prodiga telorum: cautè contenta minari
Nec niſi ſeruandæ iactus impendere vitæ.

Claudianus in Epigr. de Hyſ.

Simia.

SEnſim nigellus in Beati cellula
Et per caminum labitur demunculus
(Nigros nigra decent oſtia) & mox ſimiæ
Veſtitur ora tamque turpis ſimiæ,
Riſum vt cieret, & cieret nauſeam.
Oculi fuere luridi, peti, caui
Hirquis ſiniſtra, dextra contuentibus.
Naſum ille ſimus, & retorridus labra
Totuſque denſos horridus pilos, niſi
Antarticus qua parte conditur polus.
Olebat hircos ala putidiſſimos,
Ingreditur ergo ſcenicus lauernio,
Mediaque cella cœpit inſtar hyſtricis
Nunc dextrorſum, nunc ſiniſtrorſum in caput
Volui & reuolui: more nunc hinnululi
Capite coniſcans crebra, crebra ſaltitans,
Et conquiniſcens, & genu pinſens humum
Variare gyros, geſtuamque vortices.

P. Ang. Gazæus in lib. Piar. Hilar.

Felis.

FEſtiuum tibi dono, blandulumque
Incluſum calatho puella felem;
Quem tu delicijs tuis leporem
Addas, paruulus eſt, tenelluluſque,
Sed aſtu ſenior, doliſque Vlyſſes
Alter; ſeu tabulata, ſeu lacunar
Cautus, & pede perleui, ſilenſque

Por-

Perluſtrat, ſpeculatur, aut ruinas
Obſeruat vafer: inde ſi miſellus
Se mus proripiat, repente in ipſum
Ardens exilit, efferoque morſu
Carpens denticulis ferit gementem,
Nequicquam & crucians recalcitrantem
Lenta morte trahit, fuga modo illum
Euaſiſſe putas; ſed vngue acuto
Rurſus illaqueat, iacitque in altum,
Cadentem rapit, modiſque mille
Ludit dum moriatur indecora
Non illi facies: nitent ocelli,
Auribus breuis eſt nigerque totus,
Præter lacteolos pedes & ora.
Cultu eſt candidus, elegans: nec vnquam
Dormit ad cinerem; ſed acquieſcit
Libens ſub gremio, vel in cubili.

Philomatus in muſ. Iuuenil.

Muris capiendi ratio.

MVrem ego dum certa venari fraude laboro,
Armor, & hunc facili molior arte dolum.
Compoſui curuam leui ſuper aſſere teſtam,
Altius vt paruo vimine fulta cubet.
Sic tamen vt lento vimen decumbere tactu
Poſſit, & hoc itidem, teſta, cadente cadat,
Quæ ſublata ſuum dum prona recumbit in alueum,
Ingreſſum taciti muris aperta manet.
Caſura fallax ſtruitur teſtudine tectum,
Nec patitur longas prompta ruina moras,
Eſca ſubeſt aut nux. aut fumidus igne recenti
Caſeus: hunc vinctum vimine vimen habet.
Vimen vt à tactu ſimul hoc, ſimul illud eodem
Corruat, & teſtæ caſus vtrumque premat.
Muſculus olfactam noctu ſuccedit ad eſcam,
Lentaque ſecuro vimina dente petit.
Illa ruunt: ſimul ipſa ſequi non tarda ruinam
Incumbit prædæ conſcia teſta ſuæ.
Mus ibi ſe paruo concluſum carceris alueo
Sentit, & effugio ianua nulla patet.
Preſſus agit ſe ſe, & luctamine verſat inani:
Non fuga tentatis ſaltibus vlla datur.

P. Pulchareſſus l. 5. el. 4.

Serpentes.

SÆpe ſub immotis præſepibus aut mala tactu
Vipera delituit, cœlumque exterrita fugit:
Aut tecto aſſuetus coluber ſuccedere, & vmbræ,
Peſtis acerba boum, pecorique aſpergere virus,
Fouit humum; cape ſaxa manu, cape robora paſtor,
Tollentemque minas, & ſibila colla tumentem

Deij-

Deijce: iamque fuga timidum caput abdidit altè,
Cùm medij nexus, extremæque agmina caudæ
Soluuntur, tardoſque trahit ſinus vltimus orbes.
Eſt etiam ille malus Calabris in ſaltibus anguis
Squammea conuoluens ſublato pectore terga,
Atque notis longam maculoſus grandibus aluum:
Qui, dum exhauſta palus, terræque ardore dehiſcunt,
Exilit in ſiccum, & flammantia lumina torquens
Sæuit agris, aſperque ſiti, atque exterritus æſtu.
Ne mihi tum molles libeat iacuiſſe per herbas,
Cùm poſitis nouus exuuijs, nitiduſque iuuenta
Voluitur, aut catulos tectis, aut oua relinquens
Arduus ad ſolem, & linguis micat ore triſulcis.

Virg. l. 3. Georg.

Ecce autem gemini à Tenedo tranquilla per alta
(Horreſco referens) immenſis orbibus angues
Incumbunt pelago, pariterque ad littora tendunt:
Pectora quorum inter fluctus arrecta, iubæque
Sanguineæ exuperant vndas: pars cætera pontum
Pone legit, ſinuatque immenſa volumine terga.
Fit ſonitus ſpumante ſalo: iamque arua tenebant,
Ardenteſque oculos ſuffecti ſanguine, & igni
Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.
Diffugimus viſu exangues: illi agmine certo
Laocoonta petunt. & primum parua duorum
Corpora natorum ſerpens amplexus vterque
Implicat, & miſeros morſu depaſcitur artus.
Poſt ipſum auxilio ſubeuntem, ac tela ferentem
Corripiunt, ſpiriſque ligant ingentibus: & iam
Bis medium amplexi; bis collo ſquamea circum
Terga dati ſuperant capite, & ceruicibus altis.
Ille ſimul manibus tendit diuellere nodos
Perfuſus ſanie vittas, atroque veneno.

Virgilius l. 7. Æn.

Dixerat hæc aditis cum lubricus anguis ab imis
Septem ingens gyros, ſeptena volumina traxit
Amplexus placidè tumulum, lapſuſque per aras:
Cæruleæ cui terga notæ, maculoſus & auro
Squammam incendebat fulgor.

Virg. l. 1. Æn.

Nam ſolitum voluens ad tempus tractibus ijſdem
Immanis vario maculatus corpore ſerpens,
Obuia vibranti carpens grauis aera lingua
Squamoſos latè torquebat motibus orbes,
Iam magis atque magis corpus reuolubile voluens
Attollit nitidis pectus fulgoribus, & fert
Sublimi ceruice caput; cui criſta ſupernè
Edita purpureo lucens maculatur amictu,
Aſpectuque micat flammantia lumina toruo.

Virgilius in Culice.

Mar-

Martius anguis erat criſtis præſignis & auro,
Igne micant oculi, corpus tumet omne veneno
Treſque micant linguæ, triplici ſtant ordine dentes
Inde volubilibus ſquamoſos nexibus orbes
Torquet, & immenſo ſaltu ſinuatur in arcus:
Ac media plus parte leues erectus in auras
Diſpicit omne nemus: *Et inf.*
Occupat hos morſu, longis amplexibus illos,
Hos necat afflatu, hos funeſtat tabe veneni.
Tum verò poſtquam ſolitas acceſſit ad iras
Cauſa recens: plenis tumuerunt guttura venis,
Spumaque peſtiferos circumfluit albida rictus.
Terraque raſa ſonat ſquamis, quique halitus exit
Ore niger ſtygio, vitiatas inficit herbas,
Ipſe modo immenſum ſpiris facientibus orbem
Cingitur, interdum longa trabe rectior extat.

Ouidius l. 3. met.

Interea campis nemoris ſacer horror Achæi
Terrigena erigitur ſerpens, tractuque ſoluto
Immanem ſe ſe vehit, ac poſt terga relinquit.
Liuida fax oculis, tumidi ſtat in ore veneni
Spuma virens: ter lingua vibrat, terna agmina adunci
Dentis, & auratæ crudelis gloria frontis
Prominet.

Statius l. 5. Theb.

Horror mente redit: monſtrum exitiabile, & ira
Telluris genitum. cui par vix viderit ætas
Vlla virum, ſerpens centum porrectus in vlnas
Lethalem ripam, & lucos habitabat auernos
Ingluuiem immenſi ventris, grauidamque venenis
Aluum, deprenſi ſatiabant fonte leones.
Aut acta ad fluuium torrenti lampade ſolis
Armenta & tractæ fœda grauitate volucres.
Iamque vbi feralem ſtrepitu circumtonat aulam,
Cornea gramineum perſultans vngula campum,
Percitus immani ſerpens euoluitur antro,
Et Stygios æſtus fumanti exſibilat ore,
Terribilis gemino de lumine fulgurat ignis:
At nemus, arrectæ, & procera cacumina ſaltus
Exuperant criſtæ, & triſido vibrata per auras
Lingua micat motu, atque aſſultans æthera lambit.
Sil. Italicus l. 5.

Hinc antro excitus coluber, minitantiaque ora
Attollens, oculis ignem vomit, & ruit alto
Pectore cæruleus, ſquamoſaque tergora verrens
Puluerens ſulcat ſpiris iter, æſtuat ira.
Atque illi collo, atque elato pectore virus
Liuet, & erranti maculantur terga veneno.
Nunc caudam explicitans, ſinuoſaque tergora vertens
La-

Labitur, & toto capite exilit, ac volat acer
Per frondes, per ſaxa ruens, nunc pectore toto
Eminet, ac tergo ſe ſe exerit, & micat ore
Torua tuens, linguiſque ferus iacit atra triſulcis
Vulnera; liueſcunt ſparſo nigra pabula felle.
Iou.Pontanus l.5.de Stell.

Ecce ingens dorſo, & montani culminis inſtar
Arduus allapſu Python, ſuper obuia præceps
Incumbit nemora, & cedentia robora turbat.
Horriſonum per longa trahens abrupta fragorem
Dat rapidos tergo flexus, & ſidera cauda
Verberat, attollens ſpiris immane volumen.
Luminibus flammæ abſiſtunt: furit ardua ceruix,
Et bifidas arrecta iubas aſſultat Olympo
Sanguineis flammata notis, vomit halitus ignes
Fulmineos: vaſto diſcedunt ora barathro,
Ora, cauumque atro ſuffectum ſanguine guttur, *Et inf.*
.... centum ille immania vaſto,
Colligit in ſpiras arrecta volumina tergo,
Purpureis ardet maculis, longèque coruſcat
Cœruleum fulgore caput, criſtaque biſulca.
Mille oculis vibrant peſtes, & mille minaces
Abſiliunt toto ore metus.
P.Fulcharellus l.1. Paon.

Stabat quippe cauo ſerpens reſupinus in antro
Paſtus cœde boum, pecudumque cadauere paſtus
Oraque diffuſo lambens rorantia tabo.
Vertitur interea, & ſinuoſa volumina tergo
Complicat huc illuc referens, caudamque remulcen
Attollit furiale caput, ſquamoſaque volvit
Pectora, & ardentes expirat ab ore fauillas:
Arrectæ tumido ſurgunt in vertice criſtæ,
Cupreſſos quibus exuperat, pinuſque comantes.
Sibila colla mouet, mouet ora micantia linguis,
Exertat fauces, gladioſque inuadit anhelans.
P.Tar.Gallutius l.1 c.12.

Paruerat: ſubito in longum mutata colubrum
Tortilibus glomerat ſquamoſa volumina ſpiris.
Stant oculi flamma: ſanie, ſpumaque veneni
Colla tument criſpata iubis: ſurrecta coronat
Criſta caput: lucent maculis interlita terga
Cœruleis, linguiſque micans, ſtridenſque triſulcis
Voluitur, & campum cauda indignante flagellat
Lubricus, attritaſque iram conſumit in herbas.
P.Ant.Millieus l.1.Moyſ.Viat.

Vertitur in colubrum, rutilis cui cœrula ſquamis
Colla tument, criſtatus apex intermicat auro,
Lucent purpureæ per terga nigrantia guttæ,
Et ſublime caput trifidis ſecat aera linguis,
Sibilat, & ſinuoſo aſarota volumine verrit.
Idem ibid l.2.

Sta-

Serpens renouatus.

QValis vbi in lucem coluber mala gramina paſtus
Frigida ſub terras tumidum quem bruma tegebat
Nunc poſitis nouus exuuijs, nitiduſque iuuenta,
Lubrica conuoluit ſublato pectore terga
Arduus ad ſolem, & linguis micat ore triſulcis.
Virgilius l.2. Æn.

.... ceu lubricus altus
Anguis humo verni blanda ad ſpiramina ſolis
Erigitur liber ſenio, & ſqualentibus annis
Exutus, lætiſque minax interuiret herbis
Ah miſer agreſtum ſi quis per gramen hianti
Obuius, & primo ſiccauerit ora veneno.
Statius l.4. Theb.

Cernis vt hyberno latuit qui tempore ſerpens
Telluris altæ ſub ſpecu.
Quique tulit vacui patiens conuicia ventris
Senis ſepultus menſibus,
Vere nouo exiliat latebris, tumuloque relicto
Sibi ſuperſtes prodeat?
Ille rudes oculos palpebris ſegnibus ægrè
Attolit ad Solem nouum.
Ac primo raras lento molimine ſpiras
Pigro reflectit pectore,
Rugatæque moras pellis pertæſus, arenas
Luctante cauda verberat.
Aſpera dum tandem ſe per dumeta volutans
Denſis retenta vepribus.
Deſerit exuuias victor, poſitaque per herbam
Lætus ſenecta labitur
Phœbeaſque audet iam pelle laceſſere flammas
Noui decoris conſcius.
Ex P. Laur. le Brun. t.2 El. Poet.

Ac velut ille hyemans hyberno frigore, ſerpens
Contraxitque ſitum ſpeluncis abditus atris
Pædoremque ſcabra ſquamarum ærugine duxit:
Hinc acies illi longis hebetata tenebris,
Squallet iners, maculiſque latens torpentibus aurum
At ſimul vt verni Zephyro rediere tepores,
Et blanda reſerauit humum iam ſpiritus aura
Euigilat piger ille cauo, gelidumque ſoporem
Excutit, & rimis arcta inter ſaxa meatum
Veſtigat, quibus exuuias luctatus inanes
Pædoremque, ſitumque hyemis, turpemque ſenectam
Exutus tribulos inter, ſiliceſque relinquit.
Iam liber micat ad ſolem, nitiduſque iuuenta,
Fœniculoque aciem, & maculas fuluo innouat auro.
P. Ant. Millieus l.10. Moyſ. Viat.

Serpens ſaucius vel conciſus.

QValis ſæpe viæ deprenſus in aggere ſerpens
Ærea quem obliquum rota tranſijt, aut grauis ictu
Seminecem liquit ſaxo, lacerumque viator,
Nequicquam longos fugiens dat corpore tortus
Parte ferox, ardenſque oculis, & ſibila colla
Arduus attollens; pars vulnere clauda retentat
Nexantem nodis, ſeque in ſua membra plicantem.

Virg. l. 3. Æn.

Ictus vt incerto paſtoris vulnere ſerpens
Erigitur gyro, longumque è corpore toto
Virus in ora legit; paulum ſi deuius hoſtis
Torſit iter, cecidere minæ, rumefactaque fruſtra
Colla ſedent, iraſque ſui bibit ille veneni.

Statius l. 11. Theb.

Draco.

AT viden horrendum, ingens, informe draconis
Prodigium, cui longa immane in iugera corpus
Funditur, ingentique patent ora alta cauerna:
Quale per Eoos montes, Indiæ paludes,
Et campos furit; immenſi impenetrabile textum
Tergoris, ardentique minaces murice criſtæ,
Sanguineæque iubæ, ſerratique agmine dentes,
Tergemino, ſtygios oculis vibrantibus ignes
Squamarum crudelis honos, ardentia cocco,
Cœruleas maculoſa notas, horrentia gyro
Tergora, terrificæ ſinuoſa volumina caudæ,
Infernæque ſuper fatalis anhelitus auræ.
Qua vaſtus ſe mole ciet. quo turbidus igne
Fulgurat attritique fremunt quo fulmine dentes:
Quas ſpumas agit ore ferox, queis ſæuus anhelat
Faucibus, infernum eructat quo pectore peſtem.

P. An. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Nec dum finierat: ſubitus lacus impete vaſto
Inſonuit; veniens immenſi bellua ſpiris
Torquet agens ſeſe; fugiunt longo agmine fluctus
Impellentis onus: iam decreſcentibus vndis
Extulerat deforme caput, iamque atua tenebat
Dira lues, oculos accendens ſanguine & igni.
Collecto armabat liuentia colla furore,
Et ſulco ingenti poſt ſe ſua terga trahebat.
Quantus hyperboreo ſe porrigit anguis ab axe,
Territa qui longa complexus ſidera cauda,
Dimidium vaſtis metitur flexibus orbem.
Atque vbi tum primum ex vndis apparuit ingens,
Fertur in obiectam recto prope tramite prædam,
Vrget enim ieiuna fames, dirique vorago.

Va-

Vaſta vteri, vacuæ accenſo gutture fauces: *Et infra.*
Tum verò obliquus flexo ſinuamine labens
Parte ſui rapitur, partem poſt terga relinquit;
Additur & ſæuo iam ſæuior ira veneno.
Creſcit criſta iubæ, dirum ſplendentibus ardet
Ignea fax oculis, fœde liuentia tetris
Ora virent ſpumis, trifida ſe cuſpide torquens
Lingua vibrat: terno concurrunt ordine dentes
Dentibus oppoſitis. maculoſæ occurrere fronti
Arua timent, metuunt ſiluæ, cauteſque ruentem.
P. Gilb. Ionninus in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Vide ſupra Tit. Serpens.

Hydra.

Pars quota Lernææ ſerpens eris vnus Echidnæ?
Vulneribus fœcunda ſuis erat illa, nec vllum
De centum numero caput eſt impune reciſum,
Quin gemino ceruix hærede valentior eſſet
Hanc ego ramoſam natis è cæde colubris,
Creſcentemque malo domui, domitamque reduxi.
Ouidius l. 9. met.

Bellua multorum capitum vallata colubris
Sibilat, attollitque minas, & verbere caudæ
Terret humum, erectis ceruicibus aſtra laceſſit
Multiplici ramoſa malo ſeu fertilis olim
Damnis hydra ſuis ad turbida flumina Lernæ;
Cui dum fulmineo truncatur acinace ceruix,
Seque minor caput exciſum mutilata requirit,
Extemplo furijs armata renaſcitur anguis:
Sic viroſa ſeges maiore repullulat auctu,
Atque aliam ex alio meditatur funere vitam.
Bened. Milanus in lib. cat.

Vt primum tetigit ripas, mœrentiaque arua
Poſſedit, vaſtoque incumbens pectore peſtis
Ceruices centum, centumque arrexit hiatus
Immanis viſu: non vano ſilua timore
Obſtupuit, trepidumque nemus, Nymphæque pauentes
Virgineos tacito clauſerunt cortice vultus,
Et mutas Satyri procul abiecere cicutas.
Vt ſtetit Alcides, ſæuumque emenſus acerbis
Monſtrum oculis, rictumque immanè, informiaque ora
Terruit audacem non ipſe interritus hydram,
Et comites in bella manus aſciuit. *Et infra.*
Stridet in aduerſos funeſtæ bellua Lernæ,
Et dubitat quo colla vibret: mox ardua ſurgens
Attollens capita alta, atque ora immania, centum
Alcidæ ſocios totidem ceruicibus hauſtos
Frangit, & accenſas inceſtat ſanguine fauces.
Mox vbi magnanimos toto iam corde furores

Collegit; monſtrum intrepidus ſequiturque premitque
Impiger, & denſo rotat irreuocabilis ictu
Fulmineam per inane manum; vitantia fruſtra
Colla ſecat: nullus vanas perit ictus in auras. *Et inſ.*
.... Theſeu geminas, age, corripe tædas,
Vltores accende rogos, ignemque cruentis
Adijce vulneribus, fruſtraque parata renaſci
Colla face admota, & flamma victrice coerce.
Inſequitur Theſeus funeſtoſque applicat ignes
Vulneribus, fugit hydra faces attritaque colla
Quæ ſuperant, cœſas ſpectant in puluere criſtas.
Horrendumque fremunt; ceruicem exercitus ingens
Tot capitum poſt damna minor frendetque, furitque,
Et linguam imbellem nequicquam, & ſibila vibrat,
P. Gilb. Ionninus in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

ANIMALIA INSECTA.

Bombyx.

SCrutare, quo ducente, quo magiſtrante
Tenellus ille ſerici pater bombyx,
Pretioſus, inquam, vermis antequam belli
Deoneret auri, ventre quod gerit, filum,
Tamdiu labore maceratur ingenti,
Toties ſeipſe ſtringit, ac nouus pelle
Nouuſque roſtro, victitanſque frondoſa
Moro reſudat, pectoris ſui donec
Exenterator prodigus, laboratos
Det ore fuſos, byſſinumque ſubtegmen?
P. Ang. Gazæus in lib. Pia. Hilar.

Ten' igitur vermis video nutricula Thiſbe
Errantemue ſinu placidè amplexaris alumnum;
Scilicet hunc morus ramo frondente tenellum
Excipit, & claras magnum tranſmitit ad artes.
Namque vbi ter pigro renouauit corpora ſomno
Iam ſenium increpitans & pleni pondera ventris,
Continuò tanti eſt edendi gloria fili
Exercetur & effundit quæſita per æuum
Fila regens inter ramos, atque ordine ducens
Mille legit, relegitque vias, & circinat orbes
Sponte ſua, donec nineo ſe carcere claudat.
Mox autem interior circum vndique ſtamina denſat
Albentique thoro immoriens glomeratur in ouum.
Apud P. Laur. le Brun to. 1. Eloq. Poet. l. 7.

Qualis geniſtis inſtruens bombyx opus,
Diducta filo viſcera excernit leui;
Et tot fluentes colligens ovo ſinus,
Se ipſe cludit opibus implicitum ſuis,

Si-

Sibi, & ſepulchrum corpore exeſo parat.
Sic gazam auaro corde ſudatam impia
In damna, condunt.

P. Nic. Cauſinus in Tragœd. ſacris.

Formica.

AC veluti ingentem formicæ farris aceruum
Cum populant hyemis memores, tectoque reponunt:
It nigrum campis agmen, prædamque per herbas
Conuectant calle anguſto: pars grandia trudunt
Obnixæ frumenta humeris, pars agmina cogunt
Caſtigant moras: opere omnis ſemita feruet.

Virgil. l. 3. Æn.

Scrutare prouidentis ora formicæ
An ſint anhelæ, dum cucurrerit, fauces?
Vbi ſe relaxet hepar, aut diaphragma,
Vbi dorſuales ſpinulæ, quibus ſenſim
Capitis medulla prorogetur ad caudam.
Quid populus ille Myrmidon, propinquantis
Oeconomus hyemis, horreis ſuis condat
Tam fabrefactis horreis per occultos
Terræ Mœandros, verticeſque diſpoſtis?
Quis hic puſillum crederet magiſtrum
Dare iura læſis, mortuis ſepulturam
Stimulumque pigris, transfugis grauem mulctam?

P. Ang. Gazæus in lib. Pia Hilar.

Aranea.

SCrutare Arachnem pendulæ colus matrem,
Quanam hæc amuſſi, quoque circino telam
Diſcriminare norit, arbores inter
Vtrinque filo penſilem ſuper riuo?
Ecquo docente ſtamen illa feſtinet,
Vbi nimbus atrox ingruit, reſorbere,
Suique ventris in penu reſeruare,
Vngues acuere præda ſi ſtet in tricis,
Pedes viciſſim ſpiritu labellorum
Calfacere, diro ſi premantur algore.

P. Ang. Gazæus lib. Pia. Hilar.

Qualis vbi tremulum percurrit aranea textum
Diſpenſat trabibus fallaces pendula curas,
Orbibus implicitis replicatos complicat orbes
Velleraque, & villos, fibraſque euiſcerat omnes
In fraudem, vt laqueum ſummis laquearibus aptet,
Ardua viſcoſo ſubtegmine circinat orſa,
Inde redorditur Mæandros vna trecentos,
Et labyrinthæos flexus, & mille reflexus
Dœdala commenta eſt, eademque Ariadna reſoluit.

Leo Sanctius florid. t. 2.

Quale textum Arachne librat pendula fallaciæ,
Dum plicandos implicatis torquet orbes orbibus
Inuolucris euolutis viſcerum de ſtamine.
Mille ducit per Mæandros fuſa ventris vellera
Turbinatim euiſceratis ad tigillum fraudibus.

Idem ibidem.

Bona illa ſecum propria portans omnia
Vno atque eodem texit, ac net tempore,
Sibimet quaſillus, tortilis fuſus, colus,
Digitus ſupinus, & ſaliuæ glutinum,
Radius acutus, pecten, inſile, licia,
Textrina tota, inutilis niſi ambulet.
Recondit aluo ſtaminis tenuiſſimi
Glomeramen, infra anguſta per ſpiracula
Senſim explicandum. iamque tendiculas leues
Vt moliatur, amitis arbutei loco
Stabilimen operi figit ad celſam trabem
Exile ſtamen, ac ſibi nens innocens
Suſpendium, deuolat ad infimum ſolum,
Idemque ibidem ſtamen agglutinat, & in
Eodem adeptus ad ſupera facilem gradum;
Villoſa cum ſint crura, filum viſcidum
Redux ſecundum ſtamen ad trabem locat
Priore ſeorſum à ſtamine, & nectit ſolo,
Breuibuſque paſſim licijs ſtatuminat.
Mox à pariete fila tranſuerſaria
Ad recta ducit paribus vtrimque ſpatijs,
Mediumque inane texto adornat caſſium.
Fundamine vſquequaque iam ſtructu, quaſi
Matheſeos magiſter, è filo ſibi
Statuit peripheriam: ſubinde lineas
Diſpertit æquè diſſitas, in centrum idem
Coire iuſſas: poſtmodum ſe euiſcerat
In caſſium ſubtegmen erro cyclicus,
Qui lineæ de linea inſiſtens, moram
Non feriator trahit ibi, & ſequacia
Poſticus illinit apprimendo ſtamina
Staminibus in gyrum, duce ad fabricam pede,
Oculi vicario retrorſo; nexuum
Loca ordinante, & admouente cannabim
Loca ad ipſa facilem, perque conum hiatibus,
Diſtinguit inter ſtaminum capedinem,
Pleniſque medius conquieſcit circulis.
In rara quod ſi retia caducus culex
Monitore filo cieat ad prædam aucupem,
Is volucre calles menſus aereos pede
Sagax petauri luſtrat omnes angulos,
Pretium laboris in ſagina vt comparet.

P. Hipp. Graſſetus l. 1. Epig. 79.

IGNIS:

IGNIS INCENDIVM.

Tir. VTrumne clarus ignis, & nitidus ſtetit,
Rectuſque purum verticem cœlo tulit,
Et ſummam in auras fuſus explicuit comam?
An latera circa ſerpit incertus viæ,
Et fluctuante turbidus fumo labat?
Man: Non vna facies mobilis flammæ fuit?
Quis deſit illi, quiſque ſit dubites color.
Sed ecce pugnax ignis in partes duas
Diſcedit, & ſe ſcindit vnius ſacri
Diſcors fauilla.

Seneca in Oed. ac. 2. ſc. 2.

Extitit. at ater fumus obduxit facem,
Et flamma ſtructam dubia præguſtat pyram?
Inuita circum ſerpit, & fumo nigrum
Stridens volumen errat obſcuræ facis.
Aſpice rubenti prima ſublucet iuba,
At media lucent inſtar Oebalij croci,
Poſtrema liuent. rurſus in ſumma face
Fumi inuolucrum cernitur (monſtrum rei
Mirum) retuſus inde per totam iubam
Aſpice ſereno liuidus ſerpit color.

P. Bern. Stephonius in Flau. ac. 4. ſc. 3.

Ignes artificioſi ad communem lætitiæ ſignificationem.

COndiderat nox pura diem, cœlumque ſerenis
Lucifero ſpargente faces incenditur aſtris.
Maius in vrbe iubar, congeſtaque ſidera lucent,
Irradiantque vias, liquidaſque emiſſa per auras
Pandunt nocte comas, flammæque volubilis alas.
Regalis iam tecta domus, iam mœnia longo
Ordine, iam ſummæ flagrant in nubila turres,
Aſtraque decertant cœleſtibus eminus aſtris.
Nec deſunt tonitrus, & ahenæ fulmina molis,
Feſtaque diſcurrunt accenſo fulgura cœlo.

P. Alex. Donatus l. 2. c. 3.

Artificeſque volant ignes, tædæque coruſcæ
Sideris in motem tremuli, ſtellæque commantis.
Vndique mobilibus pendent funalibus ignes,
Vndique læuatis lycni ſpecularibus ardent,
Vndique felici ſtupa ebria lucet oliuo,
Et fax in nitida ſcintillat fumida vitro.

P. Tar. Gallutius l. 1. car. 5.

Splendeſcens tunc Ætna ſequi tunc dolia ſulphur
Euomere atque picem, mediumque incingere gyro
Inflammante forum, totuſque accenditur æther.
Erexere faces cristas per nubila raptæ
In varias circum ſpiras: alioque rotati
Sibila ſerpentes flatu fumoſa dederunt,
Anguipedes pyrio ſuffuſi colla veneno.
Scintillant centeni apices, iaculabile pondus,
Et ramoſa vagæ ſpargunt incendia tædæ.
Tum vapor erumpens, ſtridorque igneſcit, & aer.
P. Iac. Balde to. 2. Her.

Proh quæ ſulphureæ cernes miracula flammæ?
Stellifero aſpicies inuolui puluere cœlum,
Et ſcintillantes per inania currere tædas.
Farta Meduſæis hinc flagrat arundo capillis,
Et ſpargit fuluos rupto ceu ventre dracones;
Moxque plicatilibus ſerpens Vulcania ſpiris
Mille micat linguis, & ſibila colla per auras
Conuoluens, face ſopitas exſibilat vmbras;
Ac tandem luctata diu ſub nube relinquit
Sulphureas animas, & ſe ſe funerat ortu.
Ex P. Laur. le Brun. to. 1. el. Poet.

Ac velut æſtiuas noctis redeuntis in vmbras
Ælia cum Romæ referat noua gaudia moles,
Et parat arſuros incenſis nubibus imbres,
Machina marmoreas compactilis occupat arces,
Sulphureoſque premit calamos, vtroque morantes.
Mox vbi conceptos à tergo admiſerit ignes
Emiſſura faces, matrem lacerantibus angues
Flammiferi radijs, iaculiſque euoluitur ardens
Ac ſe ſe in nubes aperit globus, ardua lucent
Spicula, pallentemque fugant crepitantia noctem.
P. Alex. Don. l. 2. c 11.

Non aliter magnæ nocturna in gaudia Romæ
Cum noua ſolſtitia, & claræ per ſidera noctis
Vaticana ſuo redeunt ſolemnia templo:
Sulphurei calamis volitant crepitantibus angues
Queis ciues rutilas fecere volantibus alas.
Summa petit, tremulumque accenſo crine draconem
Fert cœlo radius; tum laſſo nubila collo
Cum ſonitu expirat; laceri ſe protinus ignes
Demittunt, tectoque ſuper, campoque recumbunt:
Idem lib. 1. Conſt.

Nox aderat tandem, & cœlum ex Cyclope diurno
Nocturnus tunc Argus erat; cum Roma feneſtris
Gaudia diſponens velarat tecta domorum
Torque lucernarum, & collo ſuſpenderat alto
Verſicoloratis contexta monilia flammis,
Quin etiam in trivijs Cynici verſatile tectum,

Et

Et veteres Bacchi exuuias damnauerat igni.
Vltima reſtabant Thuſcæ ſpectacula molis
Vnde ſuos contra cœlum Romana Gigantes
Ætna mouere ſolet, magicæ hìc miracula dextræ
Cernuntur: calamus ſubito nam tactus in angues
Vertitur igniuomos angues; rurſumque videbis
Nil præter calamos ſupereſſe ex anguibus illis.
Et iam concentu horrifico centum ora canebant
Ferrea, multipliceſque exploſa metalla ſonores,
Et tormenta dabant peracutos muſica flatus.
Ipſa autem querulo moles paritura gemebat
Murmure, & ignita edebat ſuſpiria cœlo.
Hæc inter cœpit obnubi nubibus æther,
Orbari ſtellis orbes veroque tonitru
Cœlum indignari, Romæque indicere bellum.
Roma nec abſiſtit. dumque h'nc atque inde tonabat
Alterniſque choris cœlumque, ſolumque canebant,
Fallebat ſpectatores gratiſſimus error
Anne darent plauſum nubes, anne æra tonarent?
Ne multis finem pugnæ cognoſcite mecum:
(Non vna eſt altis erecta in turribus arcis
Arbor arundineo frontem circundata ſerto.
Geminat hæc nunquam, niſi quando accenſa capillos
Explicat in flammas, calidamque è vertice ſiluam
Fundit ramoſoſque expanditur arbor in ignes.
Ergo dum vero baubatur murmure cœlum,
Scinditur en nebes, & aperto apparet ab ore
Lingua triſulca poli, cadit illa, & fulminat arcem
Diſpoſitumque alta ſuccendit in arbore textum
Arbor it in flammas, proque vno fulmine reddit
Fulmina mille, ſagittiferoſque irata maniplos
Explicat, haſtatoſque ſuos, haſtaſque micantes
In cœlum mouet, at clypeo ſeptemplice cœlum.
Obſtat, & ad terras ea tela retuſa remittit.
Illa quidem redeunt, animaſque per aera fundunt,
Sulphureas animas, crepitantique imbre queruntur
Victa mori, atque atro peragunt ibi funera fumo.
P. Famianus Strada l. 2. prol. 6. Acad. 2.

Incendium.

TElum flamma fuit, rapienſque incendia ventus
Per Romana tulit celeri munimina curſu:
Nec quamuis viridi luctetur robore, lentas
Ignis agit vires: tæda ſed raptus ab omni
Conſequitur nigri ſpatioſa volumina fumi.
Nec ſolum ſiluas, ſed ſaxa ingentia ſoluit.
Et crudæ putri fluxerunt puluere cautes.
Lucanus l. 3.

Nulla tamen plures hoc edidit æquore clades
Quàm pelago diuerſa lues. nam pinguibus ignis
Affixus tædis, & tecto ſulphure viuax.

Spargitur, ac faciles præbere alimenta carinæ,
Nunc pice, nunc liquida rapuere incendia cera.
Nec flammas ſuperant vndæ, ſparſiſque per æquor
Iam ratibus, fragmenta ferus ſibi vindicat ignis.
Hic recipit fluctus: extinguat vt æquore flammas:
Hi ne mergantur, tabulis ardentibus hærent.

Idem eodem lib.

... ... piceo iubet vnguine tinctas
Lampadas immitti iunctis in vela carinis
Nec piger ignis erat per ſtupea vincula, perque
Manantes cera tabulas, & tempore eodem
Tranſtraque nautarum, ſummique arſere ceruchi.
Iam prope ſemuſtæ merguntur in æquora claſſes,
Iamque hoſtes, & tela natant: nec puppibus ignis
Incubuit ſolis: ſed quæ vicina fuere
Tecta mari, longis rapuere vaporibus ignem.
Et cladem fouere Noti.

Idem l. 10.

Caſtra leui calamo, cannaque intorta paluſtri
Aggreditur furtim armorum tutantibus vmbris:
Ac tacita ſpargit cœlata incendia nocte.
Inde vbi collecti rapidam diffundere peſtem
Cœperunt ignes, & ſe per pinguia magno
Pabula ferre ſono, clarè expatiantur in auras,
Et frenos volucri propellunt lumine flammæ.
It totis inimica lues cum turbine caſtris,
Atque alimenta vorat ſtrepit Vulcanus anhelo.
Arida, & ex omni manant incendia tecto.
Sentitur pleriſque prius quàm cernitur ignis.
Excitis ſomno, multorumque ora vocantum
Auxilium inuadunt flammæ: fluit vndique victor
Mulciber, & rapidis amplexibus arma, viroſque
Corripit; exundat peſtis; ſemuſtaque caſtra
Ardenti volitant per nubila ſumma fauilla.

Silius Italicus l. 17.

Nox adeò nimium calidis flagrauerat vmbris
Mutaque ad ardentem caluere ſilentia lunam,
Arida fumoſi ſtabant fœnilia tecti,
Prima vbi Flaminio Romæ trans mœnia Circo
Longa ſuburbanos celebrauerat area ludos
Hic primum obſcuras noctis flagrantis in horas
Sponte ſua calamis hæſere ardentibus æſtus,
Et natis ſtipulæ dederunt, & pinguia culmi
Nutrimenta focis, ſubito populatur agreſtes
Ignis opes, cœloque vndans, longèque ſonanti
Altior incendit flagranti vortice nubes.
Caudice quin ſecto, ſiluiſque aduecta Sabellis
Robora, quæ tectis opifex claudebat acernis,
Ignis edax paſcit, iam lapſo incendia muro

Ire

Ire ſuperductis vicina palatia flammis,
Tectorumque, hominumque altas geminare ruinas.
P. Al. Donatus l. 2 car. 11.

Nec plura his, iaculata facem ſtetit illicet arſit
Extemplo fulgur, tonitruque exterrita pinus
Euomuit flammarum vndas, & fragmina cœlo
Suſtulit auulſæ diſiecta mole carinæ.
Horrifico ſed enim tabulata excuſſa fragore
Aere diſſiliunt, truncique cadauera membris,
Seminecesque artus, & grandes orbe molares,
Flagranteſque trabes nube euoluuntur eadem,
Et cœlo confuſa gemunt; magno inde ſonore
Præcipitant, pelagus ſtridenti extinguit in vnda.
Nec verò ſtetit hic ſtrages, ſed tempore eodem,
Africus incumbens pelago, tædaſque volantes,
Præcipiteſque globos, & ſaxa reciproca longe
Detulit, & ſocias ſubeuntes pouè carinas
Inuoluit flammis: illæ piceo vnguine pingues
Accipiunt inimicum ignem, ſimilique tabeſcunt
Clade ambæ, furit immiſſis Vulcanus habenis,
Tranſtra par, & liquidis minantia robora ceris,
Auulſaſque trabes diſterminat æquore toto.
T[illegible]s relliquias, fluitat captiua ſupellex,
Scuta virum, galeæque, & Cypria gaza per vndas,
Signaque rapta ducum, transfixaque pectora remis
Et ſingultantes extis fumantibus artus.
P. Fam. Strada l. 2. prol. 3. par. 2.

Sicut arundinea in ſilua, quaſſantibus auſtris
Ad calamos heſere faces, ſtipulamque ſonantem,
Ilicet vndantes cœlum occuluere fauillæ.
Et ſtipata globis nitida agmina ſcintillarum
Implicuere acies: nam prona ſerentibus auris:
Materies flammam ſtipula, ventoſque laceſſit:
Excurrunt, redeunt, ſibi ſe fugientibus inſtant,
Quocunque incubuit, & leuia impulit agmina turbo.
Ant. Millieus l. 7. Moyſ. Viat to. 1.

Nec mora, corripiunt ſubiecta cubilia peſtem,
Atque vbi tæda fuit, iam nunc incendia ſurgunt;
Quoque magis victor veſtigia promouet ignis,
Auget opes magis inde ſuas, & creſcit eundo.
Iamque adeò pueri latus inſuperabile turbo,
Flammeus aggreditur, iam pectora proximus audet
Lambere; cùm ſubitis perculſa timoribus horret
Flamma vox, reprimitque gradum, valloque vaporum
Se ſe arcet vapor, & puerum rogus ipſe tuetur,
Qui petit, obſequio permutat vota nocendi.
P. Vinc. Guiniſius car. 12.

Iamque vndabat edax facibus ſummiſque ruebat
Tempeſtas immiſſa iugis, atque alta voraces,

Euoluit ſublime globos, aut vortice rauco
Vallibus ima furit tectis aurata vetuſtis
Robora inardeſcunt, præbentque ſuperba cadentes
Nutrimenta Domus: caſu glomerantur acerbo
Antiquos teſtata ducum monumenta triumphos. *Et inf.*
.. .. Penetralibus altis
Peſtis edax, ardorque inerat, populataque paſcit
Limina: terribili iaculatus in aera fumo
Æſtuat igne vapor colliſaque verberat aſtra.
Nec minus & rapido ventorum turbine gliſcit
Exitiale malum, muriſque ambuſta ruinam
Saxa dabant; totis ſpirant liquefacta metallis
Signa ducum, & mixto labuntur flumina riuo,
Pictaque erythræis pereunt laquearia gemmis,
Inque ſuos cineres moles augnſta recumbit.
P. Alex Donatus l. 7. Conſt.

Non aliter ſcintilla faces ſi paruula magnas
Intulit in cœcas ædes ſub nocte ſilenti,
Incumbuntque Noti, calido ſe vortice flumen
Prouehit ignitum, flammis torrentibus aulam
Obruit, eructat fractis incendia tectis:
Dependet quaſſata domus, patuliſque feneſtris
Cum fumo vapor expirat, quem turbinat aura,
Vicinoſque lares inimico murmure terret.
Vndique conueniunt populi, quos publica tangunt
Commoda, Vulcanum Neptuno vincere tentant.
Materiem rapit hic flammis, cedroſque ſubeſas
Proijcit in præceps, vellit laquearia, menſas
Scriniaque euoluit largas ille ingerit vndas;
Donec flamma ſuo tandem tumulata ſepulcro
Cum fremitu cadit in cineres.
P. Car. de Luca l. 22. Dom: Laur.

Incendium Ætnæ & Veſuuij. Vide ſup. ſub Tit. Montes.

H O M O.

NVnc formetur homo, ſummi quem tangat imago
Numinis, & noſtram celſo donatus honore
Induat interius formoſæ mente figuram.
Hunc libet erectis ſublimem incedere plantis,
Incipiat rectos in cœlum tollere vultus,
Factorem quærat proprium, cui mente fideli
Impendat famulam longæua in tempora vitam,
Hæc ait, & fragilem dignatus tangere terram.
Temperat humentem conſperſo puluere limum,
Moliturque nouum diues Sapientia corpus.
Iamque arcem capitis ſublimi in vertice ſignat,
Septiforem vultum rationis ſenſibus aptans
Olfactu, auditu, viſu, guſtuque potentem:
Tactus ad hæc, ſolus toto qui corpore iudex

Sen-

Sentiat, & proprium ſpargat per membra vigorem,
Flexilis arctatur recauo ſic lingua palato
Preſſius in cameram pulſantis verbere plectri,
Percuſſus reſonet modulatus in aere ſermo.
Exin ſucciduum porrecto in corpore pectus
Spargit, ramoſas poſt fortia brachia palmas.
Succedit ſtomacho medius, qui regmine molli
Inter vtrumque latus foueat vitalia venter.
Diuiduam partem femur excipit, aptius vt ſe
Alternus moueat duplicato poplite greſſus.
At parte ex alia, fingit quam conditor idem
Occipiti ſubmiſſa ſuo deſcendere ceruix
Incipit, & vaſtos compagibus addere neruos.
Spina rigens crebris inter commercia nodis
Diffundit duplicem coſtarum ex ordine cratem.
Pars interna nouos vitæ formatur ad vſus.
Viuifico primum corda vitalia regmen
Naturale parant, plagam ne ſentiat vllam,
Maſſaque congeſtis pendens abſconditur extis,
Additur & tenui paſcendus ab aere pulmo;
Vt concepta trahens lenti ſpiramina flatus,
Accipiat reddens, reddatque quas ſumpſerat auras
Perque vices crebro pellatur anhelitus hauſtu.
Dextra tenet iecoris vegetandam ſanguine fontem,
Quo clauſum venæ ſpargunt per viſcera flumen.

Auic. Auitus l. 1. de Orig. Mun.

Et primum humanæ ſobolis, vitæque parentem
Terrena de fæce ſatum, iam fictile noſtri
Principium, ſubitos in luminis elicis ortus.
Olli vitales auræ ſpirabilis hauſtus.
Atque animam ſenſu pollentem, & numine mentis
Ducentemque tua ſimiles ab imagine vires,
Diuino afflatu vegetos infundis in artus.
Tantum animis terra auſa tuis venit arbiter orbis
Ex humili noua forma ſolo, micat arduus ore,
Attollitque animos, & conſcia lumina cœlo,
Miratur ſubitum ſe ſe genus: vnde repente,
Munere quod tam dulcem animam, quo flamine ſenſim
Hauſerit æthereum, lapſumque in pectora Numen.
Sentit opes animi, ſentit diuinitus auctum
Pectus, & arcana fœcundam Pallade mentem.

P. Pulcharellus l. 1 e 2.

Suſtulit inde rudem madido cum puluere glebam,
Et ſubitum Plaſtes fingere cœpit opus,
Mollis in oblongum tenuatur imago cylindrum,
Et coit in teretem ſumma figura globum.
Huic ſua cæſaries, nareſque, aureſque, genæque,
Luminaque, & iunctis labra propinqua labris,
Additur his ceruix, humero tenduntur vtroque
Brachia, cum digitis vtraque palma ſuis.
Adduntur medio lutea præcordia trunco:

Obſer-

Obſerat ima cauus pectoris antra penus.
Iungitur & duplex duplici coxendice poples,
Et duo, ſuſtentent qui duo genua, pedes.
Intextis laterum firmantur mollia coſtis,
Fictaque ſunt ſimili cetera membra luto.
Hæc hominis poterat iam forma gemella vocari,
Prædita ſi motu forma, ſonoque foret.
Non erat ergo leui ſimulacra iacentia flatu,
Numen ab agnata ſurgere iuſſit humo,
Surrexere pedes: ſtetit incita machina ſurſumque:
Ardua ad æthereos ſuſtulit ora lares,
Senſus ineſt oculis; calidis præcordia venis:
Pulſa vigent, motu brachia, lingua ſono.
P. Iac. Bidermanus l. 2. Her. el. 1.

Nam Deus in pura meditatus ludere maſſa,
Molle opus in varias ſpecies diſcriminat: illic
Ignem oculo accendit; cauat hic anfractibus aurem;
Naribus hic, orique aperit, iuguloque meatus,
Compingitque luto facili præcordia, tamquam
Preſſa ſolent manibus parere coagula lactis
Ad motum neruos adhibet, ſenſumque paratos;
Aere pulmones agitat; cerebrumque medulla,
Corque vapore implet vitali, ſanguine venas.
Brachia diſtendit ſurſum, tum crura deorſum:
Compagem inualidam firmatis roborat intus
Oſſibus & tenera ſuperinduit arida carne.
Nec piguit limo ſuperam diuinitus auram
Inſpirare, rudique operi ad cœleſtia nato,
Æternas adhibere manus; quo ſurgeret vnum
Summum animal, terris leges, & iuſſa daturum,
Par ſuperis, affine Deo, numenque ſecundum.
Ex P. Laur. le Brun. to. 2. eloq. Poet.

Iam ceruix tornata globo ſurgebat in arcem
Corporis, & mundi arbitrium, diſcrimine colli
Flexilis, incumbens humeris, cerebroque grauante:
Cernua delatum nutu accipiebat honorem.
Integra in exanimi facie ſpirabat imago
Præſtantis formæ, maieſtatiſque futuræ.
Ardua frons, magni iuſto diademate mundi
Nata premi diſtenta, ſuperciliiſque decoros
Lunatis referens arcus, cœlumque ſuperbis
Affectare docens votis: adituſque recluſi
Senſibus, addictos mundi famulantis in vſus.
Diſcluſi ſub fronte oculis turgentibus orbes
Additaque in celeres ciliis tamen hiſpida, nictus
Palpebra, ſidereæ felix cuſtodia flammæ,
Inque ſonos terebratæ aures; & odoribus, alti
More tubi, faciles aquila ſub nare canales,
Dentibus inſtructum vallum; ſuſpenſa palato
Lingua ſonis; generiſque capax per ſæcla futuri
Pectus, & humanæ fatorum gentis, in amplos
Ingen-

Ingentique pares oneri, curæque nepotum
Excreſcens humeros, ampla quoque mole patebat,
Pectore cor, teneri clauſum munimine ſepti,
Immodicos, innabat aquæ, vitalis in æſtus
Sanguinis; aerias ceu follis anhelus in auras,
Pulmo fouet, perflatque iecur: vitæque ſupellex
Omnis, & abſenti ſine motu languida vita.
Inde, velut magni ramalia frondea trunci,
Brachia, & in geminos crurum diſcrimina tractus:
Formatæque manus ſceptro, mundique potentes
Imperio; iuſſæque ſolum calcare ſuperbo,
Et quondam calcare gradu vel ſidera plantæ.
Turgida vena tubis artus diffuſa per omnes
Errat, & vndantem ſpecies ea ſanguinis amnem
Spargit, & infuſum ſucco pingente colorem.
Membra thoris ſtipata vigent, compactaque firmo
Robore, per validos it vis aggeſta lacertos,
Iuſtaque in anguſtam ſpecies riget ardua molem.

P. Ant. Chanut in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Corporis & oris pulchritudo.

O Vbi purpureo ſuffuſus ſanguine candor,
Sidereique orbes, radiataque lumina cælo,
Et caſtigatæ collecta modeſtia frontis,
Ingenuique ſuper crines, molliſque decoræ
Margo comæ? blandis vbi vnam ora arguta querelis,
Et mixtæ riſu lacrymæ, penituſque loquentis
Hiblæis vox miſſa fauis? cui ſibila ſerpens
Poneret, & ſæuæ vellent ſeruire nouercæ.

Statius l. 2 ſilu. c. 1.

Dulcis adhuc viſu, niueo natat ignis in ore
Purpureus, fuluoque nitet coma gratior auro.
Nec dum prima noua lanugine vertitur ætas:
Tranquillæque faces oculis, & plurima vultu
Mater ineſt. *Et infra.*
Illius è roſeo flammatur purpura vultu,
Et gemmis lux maior ineſt, & blandius aurum,
Atque ipſi par forma Deæ, ſi pectoris angues
Ponat, & exempla placetur caſſide vultus.

Statius l. 1. Achill.

Vni quicquid habet, dederat natura decoris,
Vni etiam dederat gratia quicquid habet.
Candor erat dulci ſuffuſus ſanguine, qualem
Alba ferunt rubris lilia mixta roſis.
Vt nitidum læti radiabant ſidus ocelli.
Sæpè amor accenſas retulit inde faces:
Soluerat effuſos quoties ſine lege capillos,
Infeſta eſt trepidis viſa Diana feris.
Siue iterum adductos fuluum collegit in aurum,
Compta cytheraeo eſt pectine viſa Venus.

Vſque

Vſque illam parui furtim componere Amores
Sunt ſoliti, & facili gratia blanda manu.
Ang. Politianus in Eleg. Albitiæ.

. . . . aurea nunquam
Vertice defluxit coma pulchrior: aut ſua circum
Gratior intonſam ſuſpendit tempora nubem.
Fulget lux oculis gemino formoſior aſtro:
Acceſſit frontique decus, totoque rubentes
Lætitias aperit ſpectabilis ora iuuentus
Ipſa nouus ſquamis interlucentibus ambit
Arma nitor: maiorque humeris, habituque decoro
Et viſu ante omnes anguſtior emicat Heros.
P. Al. Donatus l. 3. Conſtan.

Quantus in auguſto lepor, & quæ gratia vultu?
Qui labris afflatus honos? quæ pugna colorum?
Aut potius quàm certa animat concordia frontem?
Qui ſoles oculorum ardent? vos ò mihi ſoles
Eſte boni, dum tanta audax incendia luſtro.
P. Vinc. Guiniſius car. 71.

Ambiguum eſt formæ ne decus, clari ne pudoris
Altius emineat. ſic blanda modeſtia fronti
Inſidet, ingenuo ſic enitet ore venuſtas.
Inceſſu geſtuque grauis, ſed ridet honeſta
Maieſtate lepor. manibus ſua munera plenis
Gratia cum geminis coniuncta ſororibus vni
Et largas diſpenſat opes: quis ſuaue rubentes
Enumerare genas natiuo murice tinctas?
Quis claros oculorum orbes? quis verticis aurum
Eualeat? quis frontis ebur? non cana repandis
Lilia ſic folijs albent, non alba liguſtra
Ingenito ſic lacte natant: non defluus Arcto
Candicat alpinis niueus ſic rupibus agger
Tortilis in nodum flauet coma, mille perurgens
Errabunda vias; ornat crinale capillos
Lege recompoſitos, quos ambiat almus Apollo.
Ingenuas proprios dicas duo ſidera cœlo
Scintillare faces, ſemper viuacia, ſemper
Mite verecunda referentia luce ſerenum.
Bened. Milanus in Epithal. Mag. Auſtr.

Illa per Eoas fama celeberrima terras,
Ore Deam referens, poterat Ioue digna videri.
Tantus honos oculis inerat, frontique, geniſque.
Is rubor in labris, roſeam qui vinceret Eo:
Is nitor in digitis, niueum qui vincere longè
Poſſet ebur: placidique lepos tam melleus oris,
Vt ſic Suada loqui cuperet. per colla fluebat.
Æmula cæſareis phœbo; greſſuſque modeſti
Ceu magnæ Iunonis erant.
Gaſp. Barlæus Her. 14.

Ingenuis decor ipſe genis, toto ore venuſtas
Ipſa micat, Chariteſque ſedent: ea lilia fronti,
Hi rutilis ignes oculis, ea purpura labris.
Puniceis nix illa genis, colloque nitenti
Hoc ebur, vndantiſque ſinus hic lacteus amnis,
Hæ manibus, digitiſque roſæ.. non pulchrior ortu
Phoſphorus, aut ſero veſper cum ſurgit olympo,
Aut Venus occiduo radijs cum proxima ſoli
Fulgurat.

P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

.... Iamque alta ſilentia rumpit
Irenæ ſpecies: oculos ſtupet ille nigrantes;-
Hic caput argutum, minimæque in margine frontis
Miratur refugos vitta ſtringente capillos.
Hic laudat digitos Tithoni coniuge dignos:
Ille niuem ceruicum, & quod male fida per vlnas
Carbaſa furantur: gracili quoque clauſus in auro
Pes placet, & Parij candorem marmoris æquat.
Aſpice quàm blandas iaculantur lumina flammas!
Quàm tenui ſuſpenſa gradu veſtigia firmat!

P. Lud. Collotus in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Corpus deformatum, extenuatum, ſqualidum.

Hirtus erat crinis, caua lumina, pallor in ore,
Labra incaua ſitu, ſcabri rubigine dentes,
Dura cutis, per quam ſpectari viſcera poſſent:
Oſſa ſub incuruis extabant arida lumbis,
Ventris erat pro ventre locus, pendere putares
Pectus, & à ſpinæ tantummodo crate teneri.
Auxerat articulos macies, genuumque tumebat
Orbis, & immodico prodibant tubere tali.

Ouidius l. 8. met.

Eſt furtim lento miſeris durantia tabo
Viſcera, & exurit ſiccatas ſanguine venas
Per longum celata fames: iam lumina retro
Exeſis fugere genis, iam lurida ſola
Tecta cute; & venis male iuncta trementibus oſſa
Extant conſumptis viſu deformia neruis.

Sil. Italicus l. 2.

Vt ecce pallet oris exanguis color:
Pædore macies liuido ambedit genas:
Florens receſſit ſanguis: exucto cutis
Corpore reſiſtit arida & tactu aſpera:
Tempora lacunis bina ſubſidunt cauis:
Introrſus acies abijt, & mœſtis putres
Oculi cauernis penitus abſtruſi latent.
Creuere digiti: pectoris cratis loco

Emer-

Emergit omnis: tubere immodico artuum
Structura ſurgit: prominent ſupra modum.
Nexus latentes ante compago oſſium.
Artus per omnes carne ſubducta patet:
Menſura nulli iuſta membrorum manet.

P. Bern. Stephonius ac. 1. ſc. 2. in Flau.

Exeſum eſurie, & ſcabra rubigine corpus
Lurida corrugat macies, atque aſperat artus.
Squalet apex, fuſique altè ſub crinibus extat
Gorgonis in morem, ſtrigoſum, & tortile collum.
Vlnificæ nuda oſſa, manus, nuda oſſa lacerti,
Atque humeri, atque altè nodoſo in pectore crates.
At cauus in coſtas aluum ſinus abdit inanes
Appreſſam ad lumbos penitus, curuamque lacuna.

P. Pulch. lib. 1. Paon.

Non illi ambroſijs coma mollis odoribus halat.
Non rubor in vultu, candorque reciprocus errat,
Non labris ſua forma, neque eſt ſua gratia formæ.
Omnia languenti ſimilis, faciemque, coloremque,
Atque oculos ſenſim vicina in morte natantes
Squalida pannoſo malè pectora condit amictu,
Nudus, inops, laceríque cadaueris argumentum,

P. Vinc. Guiniſius car. 13.

CORPORIS STATVRA.

Homo excelſior Statura.

IPſum inter pecudes vaſta ſe mole mouentem
Paſtorem Polyphemum, & littora nota petentem:
Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptũ,
Trunca manum pinus regit, & veſtigia firmat.
Poſtquam altos tetigit fluctus, graditurque per æquor
Iam medium, nec dum fluctus latera ardua cinxit.

Virgil. l. 2. Æn.

Miſcebat campum membrorum in prælia portans,
Celſius humano robur viſaque pauentes
Mole Gigantei vertebat corporis alas.
Orhrys marmarides: lati ſuper agmen vtrumque
Ingens tollebant humeri caput, hircaque toruæ
Frontis cæſaries, & crinibus æmula barba.
Vmbrabat rictus: ſqualore huic hiſpida diro.
Et villoſa feris horrebant pectora ſetis.

Sil. Italicus l. 5.

Quanta vides campis, ſi quando effoſſa vetuſtas,
Robora trunca virûm, & formoſi fragmina ſæcli?
Apparent ſpatioſæ vrnæ, Marteſque ſepulti:
Pulſantur grauibus raſtris, pulſantur aratris.

Coſta-

Coſtarum horrendæ buræ, ramique lacertorum,
Atque ſinu immenſæ capitum curua oſſa, lacunæ,
Et magni vmbones humerum, caſtrique tororum
Stant glebis confuſa ſolo, Mauortia quondam
Pectora, nunc fractæ crates.
P. Pulcharellus l. 1. Paon.

Enacidùm ſed præcipuè eſt horrenda Gigantem
Prodigioſa, fidemque ſupra, vſque in nubila moles.
Tot pariter Libano credas inſiſtere cedros:
Tot ſimul immotis decurrere montibus ornos.
Vidimus & plures, quorum cum mole profunda
Membrorum, iuxta poſiti nullum inſtar habere
Horruimus, viſique pares nos eſſe locuſtis.
Sic me humilem ſtratumque ſolo reptare putabam,
Sic ſocios: illi immenſa ſe mole ferebant,
Corpora quam centum ex noſtris haud viribus æquent.
P. Ant. Millieus l. 6 Moyſ. Viat.

Pumiliones ſiue Nani.

HIc audax ſubit ordo Pumilonum
Quos natura breui ſtatu peracto
Nodoſum ſemel in globum ligauit:
Statius l. 6. ſil.

Memnonios iuxta fines, & Gangis arenas
Eſſe genus fama eſt, quo non anguſtius vllum
Limite naturæ, atque opibus communibus æui:
Nec breuior forma ſpecies, nec finibus ætas
Vlla virum, non vlla magis ludicra venuſtas.
Vix totis vitæ ſpatijs adoleſcere tantum
Ius natale ſinit, quantùm longiſſima ſurgunt
Colla gruum: namque illæ grues armata laceſſis
Progenies, bello inferior, nec corpore maior. *Et inf.*
Hinc breuis aſpectu, atque humili contracta figura
Summa virùm pubes, canoque infantia mento,
Atque hab tus multis non plus creſcentibus illo.
P. Pulcharellus l. 1. Paon.

Extremum Oceani quà ſe ſe littus Eoi
Pandit, inacceſſo compeſcens æquora ponto;
Pygmæi quondam (vt fama eſt) gens inclita bello
Antiquas fixere domos. Forma ipſa, colorque
Myrmidonum ex atavis formicarumque vetuſta
Stirpe ſatum probat acre virùm genus. altius vno
Si quiſquam aſſurgat cubito, iam creditur illis
Eſſe Gigas; clamant Polyphemi è ſanguine natum
Monſtrum immane, ingens. nec membris longius æui
Porrigitur ſpatium: nam quarto (vt fama) parentes
Fœcundæ pariunt anno, octauoque ſeneſcunt.
Et vita eſt, & forma breuis: ſed bellicus ardor
Auguſtoque ingens animus ſub pectore feruet.

Alci-

Spargitur, ac faciles præbere alimenta carinæ,
Nunc pice, nunc liquida rapuere incendia cera.
Nec flammas ſuperant vndæ, ſparſiſque per æquos
Iam ratibus, fragmenta ferus ſibi vindicat ignis.
Hic recipit fluctus: extinguat vt æquore flammas:
Hi ne mergantur, tabulis ardentibus hærent.

Idem eodem lib.

.. .. piceo iubet vnguine tinctas
Lampadas immitti iunctis in vela carinis
Nec piger ignis erat per ſtupea vincula, perque
Manantes cera tabulas, & tempore eodem
Tranſtraque nautarum, ſummique arſere ceruchi.
Iam prope ſemuſtæ merguntur in æquora claſſes,
Iamque hoſtes, & tela natant: nec puppibus ignis
Incubuit ſolis: ſed quæ vicina fuere
Tecta mari, longis rapuere vaporibus ignem..
Et cladem fouere Noti..

Idem l. 10.

Caſtra leui calamo, cannaque intorta paluſtri
Aggreditur furtim armorum tutantibus vmbris:
Ac tacita ſpargit cœlata incendia nocte.
Inde vbi collecti rapidam diffundere peſtem
Cœperunt ignes, & ſe per pinguia magno
Pabula ferre ſono, clarè expatiantur in auras,
Et frenos volucri propellunt lumine flammæ.
It totis inimica lues cum turbine caſtris,
Atque alimenta vorat ſtrepit Vulcanus anhelo
Arida, & ex omni manant incendia tecto.
Sentitur pleriſque prius quàm cernatur ignis
Excitis ſomno, multorumque ora vocantum
Auxilium inuadunt flammæ: fluit vndique victor
Mulciber, & rapidis amplexibus arma, viroſque
Corripit; exundat peſtis; ſemuſtaque caſtra
Ardenti volitant per nubila ſumma fauilla..

Siluius Italicus l. 17.

Nox adeò nimium calidis flagrauerat vmbris
Mutaque ad ardentem caluere ſilentia lunam,
Arida fumoſi ſtabant fœnilia tecti,
Prima vbi Flaminio Romæ trans mœnia Circo
Longa ſuburbanos celebrauerat area ludos
Hic primum obſcuras noctis flagrantis in horas
Sponte ſua calamis hæſere ardentibus æſtus,
Et natis ſtipulæ dederunt, & pinguia culmi
Nutrimenta focis, ſubito populatur agreſtes
Ignis opes, cœloque vndans, longèque ſonanti
Altior incendit flagranti vortice nubes.
Caudice quin ſecto, ſiluiſque aduecta Sabellis
Robora, quæ rectis opifex claudebat acernis,
Ignis edax paſcit, iam lapſo incendia muro

Ire

Ire ſuperductis vicina palatia flammis,
Tectorumque, hominumque. altas geminare ruinas.
P. Al. Donatus l. 2 car. 11.

Nec plura his, iaculata facem ſtetit illicet arſit
Extemplo fulgur, tonitruque exterrita pinus
Euomuit flammarum vndas, & fragmina cœlo
Suſtulit auulſæ diſiecta mole carinæ.
Horrifico ſed enim tabulata excuſſa fragore
Aere diſſiliunt, truncique cadauera membris,
Seminecesque artus, & grandes orbe molares,
Flagranteſque trabes nube euoluuntur eadem,
Et cœlo confuſa gemunt; magno inde ſonore
Præcipitant, pelagus ſtridenti extinguit in vnda.
Nec verò ſtetit hic ſtrages, ſed tempore eodem
Africus incumbens pelago, tædaſque volantes,
Præcipiteſque globos, & ſaxa reciproca longe
Detulit, & ſocias ſubeuntes ponè carinas
Inuoluit flammis: illæ piceo vnguine pingues
Accipiunt inimicum ignem, ſimilique fatiſcunt
Clade ambæ, furit immiſſis Vulcanus habenis.
Tranſtra par, & liquidis manantia robora ceris,
Auulſaſque trabes diſterminat æquore toto.
Triſtes relliquias, fluitat captiua ſupellex,
Scuta virum, galeæque, & Cypria gaza per vndas,
Signaque rapta ducum, transfixaque pectora remis
Et ſingultantes extis fumantibus artus.
P. Fam. Strada l. 2 prol. 3 par. 2.

Sicut arundinea in ſilua, quaſſantibus auſtris,
Ad calamos hæſere faces, ſtipulamque ſonantem.
Ilicet vndantes cœlum occulucre fauillæ.
Et ſtipata globis nitida agmina ſcintillarum
Implicuere acies: nam prona ferentibus auris
Materies flammam ſtipula, ventoſque laceſſit:
Excurrunt, redeunt, ſibi ſe fugientibus inſtant,
Quocunque incubuit, & leuia impulit agmina turbo.
Ant. Millieus l. 7. Moyſ. Viat to. 1.

Nec mora, corripiunt ſubiecta cubilia peſtem,
Atque vbi tæda fuit, iam nunc incendia ſurgunt;
Quoque magis victor veſtigia promouet ignis,
Auget opes magis inde ſuas, & creſcit eundo.
Iamque adeò pueri latus inſuperabile turbo,
Flammeus aggreditur, iam pectora proximus audet
Lambere; cùm ſubitis perculſa timoribus horret
Flamma vorax, reprimitque gradum, valloque vaporum
Se ſe arcet vapor, & puerum rogus ipſe tuetur,
Qui petit, obſequio permutat vota nocendi.
P. Vinc. Guiniſius car. 12.

Iamque vndabat edax facibus ſummiſque ruebat
Tempeſtas immiſſa iugis, atque alta voraces,

Euoluit ſublime globos, aut vortice rauco
Vallibus ima furit tectis aurata vetuſtis
Robora inardeſcunt, præbentque ſuperba cadentes
Nutrimenta Domus: caſu glomerantur acerbo
Antiquos teſtatâ ducum monumenta triumphos. *Et inf.*
.. .. Penetralibus altis
Peſtis edax, ardorque inerat, populataque paſcit
Limina: terribili iaculatus in aera fumo
Æſtuat igne vapor colliſaque verberat aſtra.
Nec minus & rapido ventorum turbine gliſcit
Exitiale malum, muriſque ambuſta ruinam
Saxa dabant; totis ſpirant liquefacta metallis
Signa ducum, & mixto labuntur flumina riuo,
Pictaque erythræis pereunt laquearia gemmis,
Inque ſuos cineres moles auguſta recumbit.
P. Alex Donatus l. 7. Conſt.

Non aliter ſcintilla faces ſi paruula magnas
Intulit in cœcas ædes ſub nocte ſilenti,
Incumbuntque Noti, calido ſe vortice flumen
Prouehit ignitum, flammis torrentibus aulam
Obruit, eructat fractis incendia tectis:
Dependet quaſſata domus, patuliſque feneſtris
Cum fumo vapor expirat, quem turbinat aura,
Vicinoſque lares inimico murmure terret.
Vndique conueniunt populi, quos publica tangunt
Commoda, Vulcanum Neptuno vincere tentant.
Materiem ſapit hic flammis, cedroſque ſubeſas
Proijcit in præceps, vellit laquearia, menſas
Scriniaque euoluit largas ille ingerit vndas;
Donec flamma ſuo tandem tumulata ſepulcro
Cum fremitu cadit in cineres.
P. Car. de Luca l. 22. Dom. Laur.

Incendium Ætnæ & Veſuuij. Vide ſup. ſub Tit. Montes.

H O M O.

NVnc formetur homo, ſummi quem tangat imago
Numinis, & noſtram celſo donatus honore
Induat interius formoſæ mente figuram.
Hunc libet erectis ſublimem incedere plantis,
Incipiat rectos in cœlum tollere vultus,
Factorem quærat proprium, cui mente fideli
Impendat famulam longæua in tempora vitam,
Hæc ait, & fragilem dignatus tangere terram.
Temperat humentem conſperſo puluere limum,
Moliturque nouum diues Sapientia corpus.
Iamque arcem capitis ſublimi in vertice ſignat,
Septiformem vultum rationis ſenſibus aptans
Olfactu, auditu, viſu, guſtuque potentem:
Tactus ad hæc, ſolus toto qui corpore iudex

Sen-

Sentiat, & proprium ſpargat per membra vigorem,
Flexilis arctatur recauo ſic lingua palato
Preſſius in cameram pulſantis verbere plectri,
Percuſſus reſonet modulatus in aere ſermo.
Exin ſucciduum porrecto in corpore pectus
Spargit, ramoſas poſt fortia brachia palmas.
Succedit ſtomacho medius, qui tegmine molli
Inter vtrumque latus foueat vitalia venter.
Diuiduam partem femur excipit, aptius vt ſe
Alternus moueat duplicato poplite greſſus.
At parte ex alia, fingit quam conditor idem
Occipiti ſubmiſſa ſuo deſcendere ceruix
Incipit, & vaſtos compagibus addere neruos.
Spina rigens crebris inter commercia nodis
Diffundit duplicem coſtarum ex ordine cratem.
Pars interna nouos vitæ formatur ad vſus.
Viuifico primum corda vitalia regmen
Naturale parant, plagam ne ſentiat vllam,
Maſſaque congeſtis pendens abſconditur extis,
Additur & tenui paſcendus ab aere pulmo;
Vt concepta trahens lenti ſpiramina flatus,
Accipiat reddens, reddat quas ſumpſerat auras
Perque vices crebro pellatur anhelitus hauſtu.
Dextra tenet iecoris vegetandam ſanguine fontem,
Quo clauſum venæ ſpargunt per viſcera flumen.
Auit. Auitus l. 1. de Orig. Mun.

Et primum humanæ ſobolis, vitæque parentem
Terrena de fæce ſatum, iam fictile noſtri
Principium, ſubitos in luminis elicis ortus.
Olli vitales auræ ſpirabilis hauſtus.
Atque animam ſenſu pollentem, & numine mentis
Ducentemque tua ſimiles ab imagine vires,
Diuino afflatu vegetos infundis in artus.
Tantum animis terra auſa tuis venit arbiter orbis
Ex humili noua forma ſolo, micat arduus ore,
Attollitque animos, & conſcia lumina cœlo,
Miratur ſubitum ſe ſe genus: vnde repente,
Munere quod tam dulcem animam, quo flamine ſenſum
Hauſerit æthereum, lapſumque in pectora Numen.
Sentit opes animi, ſentit diuinitus auctum
Pectus, & arcana fœcundam Pallade mentem.
P. Pulchurellus l. 1. e 2.

Suſtulit inde rudem madido cum puluere glebam,
Et ſubitum Plaſtes fingere cœpit opus,
Mollis in oblongum tenuatur imago cylindrum,
Et coit in teretem ſumma figura globum.
Huic ſua cæſaries, nareſque, aureſque, genæque,
Luminaque, & iunctis labra propinqua labris,
Additur his ceruix, humero tenduntur vtroque
Brachia, cum digitis vtraque palma ſuis.
Adduntur medio lutea præcordia trunco:

Obſe-

Obſerat ima cauus pectoris antra penus.
Iungitur & duplex duplici coxendice poples,
Et duo, ſuſteutent qui duo genua, pedes.
Intextis laterum firmantur mollia coſtis,
Fictaque ſunt ſimili cetera membra luto.
Hæc hominis poterat iam forma gemella vocari,
Prædita, ſi motu forma, ſonoque foret.
Non erat ergo leui ſimulacra iacentia flatu
Numen ab agnata ſurgere iuſſit humo,
Surrexere pedes: ſtetit incita machina ſurſumque
Ardua ad æthereos ſuſtulit ora lares,
Senſus ineſt oculis; calidis præcordia venis
Pulſa vigent, motu brachia, lingua ſono.
P. Iac. Bidermanus l. 2. Her. el. 1.

Nam Deus in pura meditatus ludere maſſa,
Molle opus in varias ſpecies diſcriminat: illic
Ignem oculo accendit; cauat hic anfractibus aurem;
Naribus hic, orique aperit, iuguloque meatus,
Compingitque luto facili præcordia, tamquam
Preſſa ſolent manibus parere coagula lactis
Ad motum neruos adhibet, ſenſumque paratos;
Aere pulmones agitat; cerebrumque medulla,
Corque vapore implet vitali, ſanguine venas.
Brachia diſtendit ſurſum, tum crura deorſum:
Compagem inualidam firmatis roborat intus
Oſſibus: & tenera ſuperinduit arida carne.
Nec piguit limo ſuperam diuinitus auram
Inſpirare, rudique operi ad cœleſtia nato,
Æternas adhibere manus; quo ſurgeret vnum
Summum animal, terris leges, & iuſſa daturum,
Par ſuperis, affine Deo, numenque ſecundum.
Ex P. Laur. le Brun. to. 2. eloq. Poet.

Iam ceruix ornata globo ſurgebat in arcem,
Corporis, & mundi arbitrium, diſcrimine colli
Flexilis, incumbens humeris, cerebroque grauante
Cernua delatum nutu accipiebat honorem.
Integra in exanimi facie ſpirabat imago
Præſtantis formæ, maieſtatiſque futuræ.
Ardua frons, magni iuſto diademate mundi
Nata premi diſtenta, ſupercilijſque decoros
Lunatis referens arcus, cœlumque ſuperbis
Affectare docens votis: aditusque recluſi
Senſibus, addictos mundi famulantis in vſus.
Diſcluſi ſub fronte oculis turgentibus orbes.
Additaque in celeres cilijs tamen hiſpida, nictus
Palpebra, ſidereæ felix cuſtodia flammæ,
Inque ſonos terebratæ aures; & odoribus, alti
More tubi, faciles aquila ſub nare canales,
Dentibus inſtructum vallum; ſuſpenſa palato
Lingua ſonis; generiſque capax per ſæcla futuri
Pectus, & humanæ fatorum gentis, in amplos

Ingen-

Ingentique pares oneri; curæque nepotum
Excreſcens humeros, ampla quoque mole patebat,
Pectore cor, teneri clauſum munimine ſepti,
Immodicos, innabat aquæ, vitalis in æſtus
Sanguinis; aerias ceu follis anhelus in auras,
Pulmo fouet, perflatque iecur: vitæque ſupellex
Omnis, & abſenti ſine motu languida vita.
Inde, velut magni ramalia frondea trunci,
Brachia, & in geminos crurum diſcrimina tractus:
Formatæque manus ſceptro, mundique potentes
Imperio; iuſſæque ſolum calcare ſuperbo,
Et quondam calcare gradu vel ſidera plantæ.
Turgida vena tubis artus diffuſa per omnes
Errat, & vndantem ſpecies ea ſanguinis amnem
Spargit, & infuſum ſucco pingente colorem.
Membra thoris ſtipata vigent, compactaque firmo
Robore, per validos it vis aggeſta lacertos,
Iuſtaque in anguſtam ſpecies ripet ardua molem.

P. Ant. Chanut in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Corporis & oris pulchritudo.

O Vbi purpureo ſuffuſus ſanguine candor,
Sidereique orbes, radiataque lumina cælo,
Et caſtigatæ collecta modeſtia frontis,
Ingenuique ſuper crines, molliſque decoræ
Margo comæ? blandis vbi vnam ora arguta querelis,
Et mixtæ riſu lacrymæ, penituſque loquentis
Hiblæis vox miſſa fauis? cui ſibila ſerpens
Poneret, & ſæuæ vellent ſeruire nouercæ.

Statius l. 2 ſilu. c. 1.

Dulcis adhuc viſu, niueo natat ignis in ore
Purpureus, fuluoque nitet coma gratior auro.
Nec dum prima noua lanugine vertitur ætas:
Tranquillæque faces oculis, & plurima vultu
Mater ineſt. *Et infra.*
Illius è roſeo flammatur purpura vultu,
Et gemmis lux maior ineſt, & blandius aurum,
Atque ipſi par forma Deæ, ſi pectoris angues
Ponat, & exempla placetur caſſide vultus.

Statius l. 1. Achill.

Vni quicquid habet, dederat natura decoris,
Vni etiam dederat gratia quicquid habet.
Candor erat dulci ſuffuſus ſanguine, qualem
Alba ferunt rubris lilia mixta roſis.
Vt nitidum læti radiabant ſidus ocelli.
Sæpè, amor accenſas rettulit inde faces:
Soluerat effuſos quoties ſine lege capillos,
Infeſta eſt trepidis viſa Diana feris.
Siue iterum adductos fuluum collegit in aurum,
Compta cytheraeo eſt pectine viſa Venus.

Vſque

Vſque illam parui furtim componere Amores
Sunt ſoliti, & facili gratia blanda manu.
Ang. Politianus in Eleg. Albitiæ.

. . . . aurea nunquam
Vertice defluxit coma pulchrior: aut ſua circum
Gratior intonſam ſuſpendit tempora nubem.
Fulget lux oculis gemino formoſior aſtro:
Acceſſit frontique decus, totoque rubentes
Lætitias aperit ſpectabilis ora iuuentus
Ipſa nouus ſquamis interlucentibus ambit
Arma nitor: maiorque humeris, habituque decoro
Et viſu ante omnes auguſtior emicat Heros.
P. Al. Donatus l. 3. Conſtam.

Quantus in auguſto lepor, & quæ gratia vultu?
Qui labris afflatus honos? quæ pugna colorum?
Aut potius quàm certa animat concordia frontem?
Qui ſoles oculorum ardent? vos ò mihi ſoles
Eſte boni, dum tanta audax incendia luſtro.
P. Vinc. Guiniſius car. 71.

Ambiguum eſt formæ ne decus, clari ne pudoris
Altius emineat. ſic blanda modeſtia fronti
Inſidet, ingenuo ſic enitet ore venuſtas.
Inceſſu geſtuque grauis, ſed ridet honeſta
Maieſtate lepor. manibus ſua munera plenis
Gratia cum geminis coniuncta ſororibus vni
Et largas diſpenſat opes: quis ſuaue rubentes
Enumerare genas natiuo murice tinctas?
Quis claros oculorum orbes? quis verticis aurum
Eualeat? quis frontis ebur? non cana repandis
Lilia ſic folijs albent, non alba liguſtra
Ingenito ſic lacte natant: non defluus Arcto
Candicat alpinis niueus ſic rupibus agger
Tortilis in nodum flauet coma, mille perurgens
Errabunda vias; ornat crinale capillos
Lege recompoſitos, quos ambiat almus Apollo.
Ingenuas proprios dicas duo ſidera cœlo
Scintillare faces, ſemper viuacia, ſemper
Mite verecunda referentia luce ſerenum.
Bened. Milanus in Epithal. Mag. Auſtr.

Illa per Eoas fama celeberrima terras,
Ore Deam referens, poterat Ioue digna videri.
Tantus honos oculis inerat, frontique, geniſque.
Is rubor in labris, roſeam qui vinceret Eo:
Is nitor in digitis, niueum qui vincere longè
Poſſet ebur: placidique lepos tam melleus oris,
Vt ſic Suada loqui cuperet. per colla fluebat.
Æmula cæſareis phœbo; greſſuſque modeſti
Ceu magnæ Iunonis erant.
Gaſp. Barla'is Her. Il. 4.

Inge-

Ingenuis decor ipſe genis, toto ore venuſtas
Ipſa micat, Chariteſque ſedent: ea lilia fronti,
Hi rutilis ignes oculis, ea purpura labris.
Puniceis nix illa genis, colloque nitenti
Hoc ebur, vndantiſque ſinus hic lacteus amnis,
Hæ manibus, digitiſque roſæ... non pulchrior ortu
Phoſphorus, aut ſero veſper cum ſurgit olympo,
Aut Venus occiduo radijs cum proxima ſoli
Fulgurat.

P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

.... Iamque alta ſilentia rumpit.
Irenæ ſpecies: oculos ſtupet ille nigrantes;-
Hic caput argutum, minimæque in margine frontis
Miratur refugos vitta ſtringente capillos.
Hic laudat digitos Tithoni coniuge dignos:
Ille niuem ceruicum, & quod male fida per vlnas
Carbaſa furantur: gracili quoque clauſus in auro
Pes placet, & Parij candorem marmoris æquat.
Aſpice quàm blandas iaculantur lumina flammas!
Quàm tenui ſuſpenſa gradu veſtigia firmat!

P. Lud. Collotus in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Corpus deformatum, extenuatum, ſqualidum.

Hirtus erat crinis, caua lumina, pallor in ore,
Labra incaua ſitu, ſcabri rubigine dentes,
Dura cutis, per quam ſpectari viſcera poſſent:
Oſſa ſub incuruis extabant arida lumbis,
Ventris erat pro ventre locus, pendere putares
Pectus, & à ſpinæ tantummodo crate teneri.
Auxerat articulos macies, genuumque tumebat
Orbis, & immodico prodibant tubere tali.

Ouidius l. 8. met.

Eſt furtim lento miſeris durantia tabo
Viſcera, & exurit ſiccatas ſanguine venas
Per longum celata fames: iam lumina retro
Exeſis fugere genis, iam lurida ſola
Tecta cute; & venis male iuncta trementibus oſſa
Extant conſumptis viſu deformia neruis.

Sil. Italicus l. 2.

Vt ecce pallet oris exanguis color:
Pædore macies liuido ambedit genas:
Florens receſſit ſanguis: exucto cutis
Corpore reſiſtit arida & tactu aſpera:
Tempora lacunis bina ſubſidunt cauis:
Introrſus acies abijt, & mœſtis putres
Oculi cauernis penitus abſtruſi latent.
Creuere digiti: pectoris cratis loco

Emer-

Emergit omnis: tubere immodico artuum
Structura ſurgit: prominent ſupra modum,
Nexus latentes ante compago oſſium.
Artus per omnes carne ſubducta patet:
Menſura nulli iuſta membrorum manet.

P. Bern. Stephonius ac. 1. ſc. 2. in Flau.

Exeſum eſurie, & ſcabra rubigine corpus
Lurida corrugat macies, atque aſperat artus.
Squalet apex, fuſique altè ſub crinibus extat
Gorgonis in morem, ſtrigoſum, & tortile collum.
Vlnificæ nuda oſſa, manus, nuda oſſa lacerti,
Atque humeri, atque altè nodoſo in pectore crates.
At cauus in coſtas aluum ſinus abdit inanes
Appreſſam ad lumbos penitus, curuamque lacuna.

P. Pulch. lib. 1. Paon.

Non illi ambroſijs coma mollis odoribus halat.
Non rubor in vultu, candorque reciprocus errat,
Non labris ſua forma, neque eſt ſua gratia formæ.
Omnia languenti ſimilis, faciemque, coloremque,
Atque oculos ſenſim vicina in morte natantes
Squalida pannoſo malè pectora condit amictu,
Nudus, inops, lacerique cadaueris argumentum.

P. Vinc. Guiniſius car. 13.

CORPORIS STATVRA.

Homo excelſior Statura.

IPſum inter pecudes vaſta ſe mole mouentem
Paſtorem Polyphemum, & littora nota petentem:
Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptū,
Trunca manum pinus regit, & veſtigia firmat.
Poſtquam altos tetigit fluctus, graditurque per æquor
Iam medium, nec dum fluctus latera ardua cinxit.

Virgil. l. 2. Æn.

Miſcebat campum membrorum in prælia portans:
Celſius humano robur viſaque pauentes
Mole Gigantei vertebat corporis alas.
Othrys marmarides: lati ſuper agmen vtrumque
Ingens tollebant humeri caput, hircaque toruæ
Frontis cæſaries, & crinibus æmula barba.
Vmbrabat rictus: ſqualore huic hiſpida diro.
Et villoſa feris horrebant pectora ſetis.

Sil. Italicus l. 5.

Quanta vides campis, ſi quando effoſſa vetuſtas,
Robora trunca virûm, & formoſi fragmina ſæcli?
Apparent ſpatioſæ vrnæ, Marteſque ſepulti:
Pulſantur grauibus raſtris, pulſantur aratris.

Coſta-

Coſtarum horrendæ birræ, ramique lacertorum,
Atque ſinu immenſæ capitum curua oſſa, lacunæ,
Et magni vmbones humerum, caſtrique tororum
Stant glebis confuſa ſolo, Mauortia quondam
Pectora, nunc fractæ crates.
P. Pulchareλlus l. 1. Paon.

Enacidùm ſed præcipuè eſt horrenda Gigantem
Prodigioſa, fidemque ſupra, vſque in nubila moles.
Tot pariter Libano credas inſiſtere cedros:
Tot ſimul immotis decurrere montibus ornos.
Vidimus & plures, quorum cum mole profunda
Membrorum, iuxta poſiti nullum inſtar habere
Horruimus, viſique pares nos eſſe locuſtis.
Sic me humilem ſtratumque ſolo reptare putabam,
Sic ſocios: illi immenſa ſe mole ferebant,
Corpora quam centum ex noſtris haud viribus æquent.
P. Ant. Millieus l. 6. Moyſ. Viat.

Pumiliones ſiue Nani.

HIc audax ſubit ordo Pumilonum
Quos natura breui ſtatu peracto
Nodoſum ſemel in globum ligauit:
Statius l. 6. ſil.

Memnonios iuxta fines, & Gangis arenas
Eſſe genus fama eſt, quo non anguſtius vllum
Limite naturæ, atque opibus communibus æui:
Nec breuior forma ſpecies, nec finibus ætas
Vlla virum, non vlla magis ludicra venuſtas.
Vix totis vitæ ſpatijs adoleſcere tantum
Ius natale ſinit, quantùm longiſſima ſurgunt
Colla gruum: namque illa grues armata laceſſis
Progenies, bello inferior, nec corpore maior. *Et inf.*
Hinc breuis aſpectu, atque humili contracta figura
Summa virùm pubes, canoque infantia mento,
Atque hab tus multis non plus creſcentibus illo.
P. Pulcharellus l. 1. Paon.

Extremum Oceani quà ſe ſe littus Eoi
Pandit, inacceſſo compeſcens æquora ponto;
Pygmæi quondam (vt fama eſt) gens inclita bello
Antiquas fixere domos. Forma ipſa, colorque
Myrmidonum ex atauis formicarumque vetuſta
Stirpe ſatum probat acre virùm genus. altius vno
Si quiſquam aſſurgat cubito, iam creditur illis
Eſſe Gigas; clamant Polyphemi è ſanguine natum
Monſtrum immane, ingens. nec membris longius æui
Porrigitur ſpatium: nam quarto (vt fama) parentes
Fœcundæ pariunt anno, octauoque ſeneſcunt.
Et vita eſt, & forma breuis: ſed bellicus ardor
Anguſtoque ingens animus ſub pectore feruet.

Alci-

Alciden contra ſtetit olim hæc improba virtus,
Cùm vix inualido poſſet contingere iactu
Herois ſublime caput, miſſaque ſagitta
Aerij celſam perſtringere verticis arcem.
P.Gilb.Ionninus in Parn.Poet.Soc.Ieſu.

HOMINES MONSTROSI.

Typhœus,

LOngè alios inter vaſta ſe mole Typhœus
In ſuperos aduerſus agit, qui brachia centum
Montibus armatur totidem, iactuque minatur
Centeno: gemini dira ceu luce cometæ
Immanes ardent oculi, deformiaque amplo
Ora patent rictu: coma ſuccreſcentibus hydris
Stridet, & intentis mentum ſerpentibus horret,
Monſtroſis geminus connectitur ilibus anguis,
Attollitque virum: ſed quantus nocte ſerena
Ille lycaonias ſpiris ingentibus arctos
In morem t'uuij, geminoſque interligat axes.
Sic ſubit; horrendumque fremens, magnumque ſuperbo
Ore tonans, ſublime caput ſuper æthera tollit,
Quantus Athos, quantuſue Cilix ſe Taurus in auras
Tollit, & elato turbat vaga ſidera cono.
Ille furit, centumque Deos in prælia poſcit,
Cognatamque aciem populoſo corpore portat
Plurimus, idem vnus.
P.Gilb.Ionninus in Parn. Poet.Soc.Ieſu.

Geryon triplici corpore.

QValis Atlantiaco memoratur littore quondam
Monſtrum Geryones immane tricorporis iræ:
Cui tres in pugna dextræ varia arma gerebant
Vna ignes ſæuos, aſt altera ponè ſagittas
Fundebat, validam torquebat tertia cornum,
Atque vno diuerſa dabat tria vulnera niſu.
Sil. Italicus l.13.

Cacus Semihomo.

HVic monſtro Vulcanus erat pater: illius atros
Ore vomens ignes, magna ſe mole ferebat.
Faucibus ingentem fumum (mirabile dictu)
Euomit, inuoluitque domum caligine tetra;
Proſpectum eripiens oculis, glomeratque ſub antro
Fumiferam noctem commiſtis igne tenebris.
Et infra .... pedibuſque informe cadauer
Protrahitur. nequeunt expleri corda tuendo
Terribiles oculos, vultum, villoſaque ſetis
Pectora ſemiferi, atque extinctos faucibus ignes.
Virgilius l.8.Æn.

Cacus Auentinæ timor, atque infamia ſiluæ
Non leue finitimis hoſpitibus malum:
Dira viro facies, vires pro corpore, corpus
Grande, pater monſtri Mulciber huius erat *Et inſ.*
Queis vbi nil agitur, patrias male fortis ad artes
Confugit, & flammas ore ſonante vomit.
Quas quoties proflat, ſpirare Typhoea credas
Et rapidum Ætnęo fulgur ab igne iaci.
Ouidius l.1. Faſt.

Cyclops.

. . . . ipſe arduus, altaque pulſat
Sidera, (Dij talem terris auertite peſtem
Nec viſu facilis, nec dictu affabilis vlli,
Viſceribus miſerorum, & ſanguine veſcitur atro.
Et inſ. . . . . ſummo cum monte videmus
Ipſum inter pecudes vaſta ſe mole mouentem
Paſtorem Polyphemum, & littora nota petentem.
Monſtrum horrendũ, informe, ingens cui lumen ademptũ.
Virgilius l.3. Æn.

Aſpice ſim quantus: non eſt hoc corpore maior,
Iuppiter in cœlo (nam vos narrare ſoletis
Neſcio quem regnare Iouem) coma plurima toruos
Prominet in vultus, humeroſque vt lucus obumbrat.
Nec mea quod duris horrent denſiſſima ſetis
Corpora, turpe puta: turpis ſine frondibus arbor,
Turpis equus, niſi colla iubæ flauentia velent.
Vnum eſt in media lumen mihi fronte, ſed inſtar
Ingentis clypei.
Ouidius l.13. met.

ANIMVS HVMANVS.

CRede animam non eſſe Deum, ſed crede creatis
Maiorem cunctis, ipſam quoque crede creatam;
Formata eſt namque ore Dei, quæ non erat ante,
Sed formata habitu pulcherrima, p'ctaque rebus
Diuinis, & plena Deo, ſimiliſque creanti:
Non tamen ipſa Deus, quoniam generatio non eſt,
Sed factura Dei eſt animam factore minorem
Maioremque alijs, atque omnibus imperitantem
Corruptela putris naſcentem turbida carnis
Concipit, ac membris tabentibus interfuſam:
Participat de fæce ſua.
Prudentius in Car. de nat. Anima.

Mens.

SEd nihil ac Mens eſt æquè mirabile: Veſtæ
Detrectat ſoror hæc, aut terræ filia dici.

Ex

Ex ſummo regale genus deducit Olympo:
Portio cœleſtis; diuinæ particula auræ
Immenſi ſine fine capax, imperuia Letho.
Languida membra iacent ſtratis; tamen illa vagatur
In ſomnis montes, ſaltus, mare, flumina, ſiluas,
Luſtra petit, tortaque volat pernicius haſta
Dumque volat venti, & cœli ſecura quieſcit
Totum agitat corpus; tota eſt in corpore toto;
Atque ſuos inſtar citharœdi temperat artus.
Hos immora mouet. præſentem agnoueris eſſe
Quomodo ſit, neſcis. cupies numerare, ſed vna eſt.
Obſeruas vnam: triplici ſe munere prodit.
Impetat; & nutum ſequitur manus, accelerat pes;
Vix vt ab imperio facti properatio diſtet.
Ipſa ſibi mandat, ſua nec mandata capeſſit.

P. Iac. Balde Poem. l. 3. ſat. 13.

. . . . quem ſpiritus vnus
Intus alit, cunctoſque potens diffuſa per artus
Mens agitat, varioſque latens ſe munere pandit.
Non ſpectata oculis, fatorum erepta periclis,
Interituſque ignara mali, rationis, & æqui
Virtutumque auguſta parens, venerabile cœli
Depoſitum, cui cœleſtes ſapientia curas,
Alternaſque vices rerum, verique recluſit
Arcanos doctrina ſinus.

Gaſp. Barlaus Heroic. l. 1.

Conſcientia.

QVicumque pectus conſcium fraudis gerit,
Sollicitumque nefas,
Clauſoque cælat hoſpitem culpam ſinu:
Quem ſcelus attonitum
Cæcam obſtinatus vltor in pœnam vocat;
Ancipitemque animum
Maior Megæra verbere occulto quatit;
Nec faciles oculos
Nocturna ſaltem mitior mulcet quies:
Dum ſcelerum facies
Crinem implicatæ viperis minacibus,
Et Stygias oculis
Euentilantes ignea tædas manu,
Sollicitas agitant,
Terrentque tenebras; & reuerſarum diem
Somnia dira vocant;
Refertque nox ingrata, quod vidit dies
Teſtis, & aura nefas.
Ille vt maligno conditum nimbo iubar
Viderit, & trepidis
Ignem frementem nubibus claudi arduo
Audierit ſtrepitu;

Ad

Ad prima pallet fulgura, & meriti arbiter
Ipſe ſui trepidat.

P. Gilb. Ionninus l. Epod. Ode 12.

VITÆ HVMANÆ MISERIA.

ILle ſuperbos aditus Regum
Duraſque fores expers, ſomni
Colit: hic nullo fine beatus
Componit opes gazis inhians,
Et congeſto pauper in auro eſt.
Hic clamoſi rabioſa fori
Iurgia vendens improbus, iras
Et verba locat; nouit paucos
Secura quies, qui velocis
Memores æui tempora numquam
Reditura tenent. dum fata ſinunt
Viuite læti: properat curſu
Vita citato.

Seneca in Cho. act. 4. Her. Fur.

Quod vitæ ſectabor iter? ſi plena tumultu
Sunt fora, ſi curis domus anxia, ſi peregrinos
Cura domus ſequitur; mercantem ſi noua ſemper
Damna manent, ceſſare vetat ſi turpis egeſtas;
Si vexat labor agricolam, mare naufragus horror
Infamat, pœnæque graues in cœlibe vita,
Et grauior cautis cuſtodia vana maritis:
Sanguineum ſi Martis opus, ſi turpia lucra
Fœnoris, & velox inopes vſura trucidat?
Omne æuum curæ: cunctis ſua diſplicet ætas.
Senſus abeſt paruis lactentibus, & puerorum
Dura rudimenta, & iuuenum temeraria pubes
Afflictat fortuna viros per bella, per æquor,
Iras, inſidiaſque catenatoſque labores
Mutandos ſemper grauioribus. ipſa ſenectus
Expectata diu, votiſque optata malignis
Objicit innumeris corpus lacerabile morbis.
Diffidet ambiguis ſemper mens obuia votis,
Nec voluiſſe homini ſatis eſt, optata recuſat.
Eſſe in honore placet, mox pœnitet; & dominari
Vt poſſint, ſeruire volunt. idem auctus honore
Inuidiæ objicitur.

Auſonius Idyl. l. 15.

Quid regale iubar, vel opum quid gloria prodeſt?
Quid populi plauſus, deliciæque iuuant?
Sunt auræ ſonitus, vel opus quod aranea texit.
Nectunt, ſint quamuis aurea, vincla manus,
Quid decor eſt formæ? veluti roſa ſera ſuperbit?
Sole oriente oritur, ſole cadente cadit.

Lubri-

Lubrica ſors regni, ſpinoſis anxia curis,
Inſtabilis fertur vi male nixa rotæ.
Neſciat aduerſos caſus, partiſque fruatur
Tuta tamen trepido corde futura timet.
Vrbanus VIII. in car. de fel. hum. fuga.

Protinus exclamo: Vitæ ò mendacia noſtræ:
Quanta ſub hoc vitæ nomine monſtra latent?
Sic ergo tumulata æui pars maxima noſtri
Clauditur, extremam flebilis ante diem?
Sic viuens tumulo excipior, partimque ſuperſtes
Poſſum ego productor funeris eſſe mei?
Sic ſpe decipior, ſic mortem in pectore condo,
Sic ego pro vita funera lenta traho?
Anni florentes anni, decor irritus æui,
Et male conſtantis ludicra forma boni.
Aug. Maſcardus l. 1. ſil.

Nos agit, & verſat leuitas: mutamur in horas:
Et nihil eſt, quod nos votaque noſtra regit.
Nunc odijs animus, nunc expugnatur amore:
Nunc ſpes, nunc agitat pectora noſtra metus.
Deijciunt luctus, attollunt gaudia: motus
Turbida mens ſequitur, nec capit ipſa ſuos.
Aut rapit inſtabilem breuis, & non vera voluptas;
Aut animus cæptum deficit inter opus.
Fluctuat infelix, quacumque impellitur aura,
Nec ſatis exactum, cedat an obſtet, habet.
Cedimus impulſu minimo. meliora peroſos
Cauſa leuis cogit deteriora ſequi.
Viuimus incerto multi: pars maxima nullo
Conſilio. pauci quo vocat vſus, eunt.
Quem ſua non vexant faſtidia? perdere vitam
Maxima, dum neſcit viuere, turba ſolet.
P. Sidr. Hoſchius l. 1. Eleg. 4.

Vita delicijs affluens.

TVm gemma collum, gemma diſtinguit caput,
Gemma ſiniſtram, dexteram gemma grauant.
Illuſa conchis aſperis ſquallet chlamys,
Sordes adoptat puluis Erythræas Arabs.
Aures rotundi murices laſſas trahunt.
Hinc iam labores cernere operoſos licet.
Statuuntur ecce regio ſumptu domus,
Ingentis inſtar vrbis amplexæ ambitum.
Atria columnis fulta millenis ſedent:
Immane viſu celſa murorum minis
Moles in auras arduum exertat caput.
Variata ſaxo tecta Tænario calent
Strepitu clientum; turba famulantum terit
Achate limen lubricum inuiſæ domus.
Prætexta gemmis aula populorum capax

Ex-

Explicat auara dona longinqui maris:
Pictæ lacunar aureum tollunt trabes:
Certata paries bella Gangaridum indicat.
Hic vel ſuperbis ſplendet aulæis nitor,
Vel fila tendit varia belluatus labor.
Elephante diues albicat ſecto torus:
Elephante texto culmen auratum albicat.
Tum citrea menſa pluribus ſurgit locis
Sedes per amplas. lucet in menſis nitor
Aureus; & vſus qui ſit argenti memor
Numerare cuſtos neſcit; è ſcripto docet.
Quod apparatu quæritur tanto bonum?
Materia ſcelerum facilis: è luxu potens
Animi libido: cordis excordis tumor:
Preſſurus alios faſt.s: effrænis furor
Et illa mentis Helena deceptæ procax,
Decorum charybdis, tetra populatrix opum,
Legum ſepulchrum turpe, virtutum rogus,
Laudum voluptas prodiga, & fraudum ſinus.

P. Ber. Stephonius in Flau. ac. 2. ſc. 1.

Non mihi Erythræi ſerpunt per colla lapilli
Gemma nec vlla meis ardet in articulis.
Nec vidui certa nodantur lege capilli,
Nec mihi ſub Coa veſte ſuperbit humus,
Quid mihi ſi Crœſi ſine te fluit aureus amnis,
Ebriaque in Tyrio murice dormit ouis?
Odi ſuffuſas radianti lampadas auro:
Aurea ſunt oculi lampas, Alexi, tui.
Non ego delector cythara ſidibuſque canoris:
Sola mihi gratum vox tua carmen erit,
Non mihi Panchæo nubes efflantur odore:
Suauis odorata tu mihi meſſe magis.
Non mihi ſidereis gemmaſcunt floribus arua:
Tu narciſſus eris, tu mihi ſola roſa.

P. Franc. Remondus el. 8.

Et tua barbaricæ fouere cubilia veſtes,
Perque coronatos viſum ſplendere penates
Sidonio pictum fuco velamen & auro.
Et tibi regali fulſit domus inclita gaza
Turritas ambita fores, vndante corona
Mane ſalutantum & iuſſis adſtare frementum.
Te Charitum fouere ſinus, pulchrumque decorem
Afflauere oculis, & ouantes indole mores
Egregia, & ſtimulis dulcis cum mollibus iras.
Et bello faciles, & amantes ardua vires.
Te quoque te procerum lectæ videre cohortes
Diuitias inter proauum geſtire ſuperbas;
Et teneros animantem æui florentis amores,
Laudis ad æternum patriæ ſuccedere culmen
Quantus eras, quàm largus opum, quàm diuite cenſu.
Et quibus heroum titulis, qua prole potentum
Fœta domus, quæ te tantum ſuſcepit alumnum.

P. Pulcharellus l. 1. car 7.

O Bar-

Barbaros fruſtra tibi nunc tapetes
Bactra depingunt operoſa; fruſtra
Aſpero Seres properata textu
Vellera fingunt.
Siue Sarrano reuolutus oſtro
Aureum limen, biforeſque valuas,
Seu colorato rutilum lacunar
Gange laboras.
Nobilem vincat licet aula Memphin,
Et Paron, ditemque Tyron ſuperbo
Marmore, & multa Babylonis arte
Atria condas.
P. Io. B. Maſculus l. 3. Ode 31.

Vita paucis contenta.

O Cœleſtum epulas, ò priſca modeſtia vitæ.
Imperio ſatus auctoris, digitiſque Tonantis
Fictus homo, nulloſque humiles effictus ad vſus,
Ad cœli ſed natus opes, ſed factus ad altæ
Sceptra domus, factus ſupremi ad regna Parentis,
Oſtrea non cænat Gaurana, nec arte magiſtra
Dona laboratæ frugis: ſed ab arbore menſis
Poma legit. vacuaque leuis ſpatiatus in vmbra,
Texta per & nemorum, viridis perque æquora campi
Traducit tacitæ ſecreta ſuæ obuia mentis.
Quid memorem, vt veteris poſt prima piacula noxæ
Aſtris æqueui gemina cum prole parentes
Aut molli ſtipula fruticoſo aut vimine textas
Incoluere caſas, campiſque nitentis fraga,
Moraque, & excuſſa legere ſub ilice grandes.
Nempe ſub vmbrifera ducebant fronde choreas,
Si quando rarum ſilueſtri è vite racemum
Carpſiſſent, corylique leues ex arbore baccas.
P. Tarq. Gallutius l. 1. car. 10.

Cui ſæua numquam lumine rideat
Fortuna blando, & cruda neceſſitas
Vnum hoc honoris vult licere
Pauperiem benè ferre poſſe.
Semota curis parua cubilia,
Cœnaſque laudat ſub tenui lare
Sine auro, & oſtro: nil inemptis
Funera de dapibus pauentes.
Illi nec atræ ſollicitudines,
Mentemque turbant ſomnia triſtia;
Non fundus illi, vineæque
Increpuere hyemes iniquas.
Edocta cenſu viuere paupere
Laudatur illi vita beatior:
Fallax auarè percupitas
Damnat opes operoſiores.
Non præter æqui currere limites
Aureiſque mentem non dare vinculis;

Ser-

Setuare ſemper diffluentes
Inter opes animum innocentem.
P. Oddo de Comitibus par. 3 fil. Rhet.

Vita cultus mediocris.

AVreus recti tenor, & decori
Cura ſeruati, mediumque rerum
Additum extremis, ſed vtrinque certo
Fine reductum.
Dicitur virtus, celebrata multis
Nota quàm paucis, & in ore pulchrum
Nomen; at rarus quod honore palpat,
Moribus æquat.
Tu caue, ne quò vaga penna mentis
Erret indulgens ſibi nequid ex lex
Peccet affectus; flagret inter æqui
Septa cupido.
Sit voluptati modus, ara ponit
Terminum votis libeatque tantum
Quod licet; nec te patiatur vltra
Ire voluntas.
P. Vinc. Guiniſius ode 13.

Non ſatis eſt firmam ventis committere nauem
Cætera ſi deſint, firma carina parum eſt.
Arbor & antennis, & velis apta ferendis
Ex æquo mediam temperet arte ratem.
Et latere à gemino ſpatijs æqualibus abſit,
Ne pars hæc oneris plus ferat, illa minus.
Vela quoque aptentur quæ ſint aptiſſima, quæris?
Non minima, at magnis eſſe minora velim.
Apta habili moderare manu: modo ſtringe tumentes
Vt venti fuerint, & modò pande ſinus.
Nec ventis aude confidere: contrahe prudens
Quæ Zephyro nimium vela ferente tument.
P. Sidron. Heſchius l. 1 el. 3.

Vita egentiſſima.

.... Aſpicite, affectis vt viribus heros
Æger, inops rerum ſolo decumbit in antro
Fuſus humi, & ſtipulas inter proiectus agreſtes.
Et ſocium ſolamen abeſt, & cura medentum
Nulla parat ſtudio peſtem lenire ſalubri,
Nec lectas accincta dapes, & dona miniſtrat.
Iam faciles morbo neruos facit acris egeſtas
Debilis auxilio, vitæ immemor, aſpera cultu,
Quæ tenuem victum, indigno dat munere menſæ.
Vix laceris aptum tectis, & poſte reuulſo
Hoſpitium, nuda languentem excepit arena;
Ni fors ipſa totum folijs, & faſce paluſtri.
Littoreoſque vluæ cumulos, & virgea culmo
Stramina ſilueſtri, & ſtipulæ ſubſternat aceruum.

Hic ille abiectum duro latus aggere fultus
Triſte iacet; nec rebus adeſt niſi languor egenis.
P. Pulcharellus l. 1. c. 7.

Vita Religioſa.

HVius ab ambroſiæ pubes adoleuerat hauſtu
Sacra Deo, & tantum cœleſtibus hoſpita curis.
Inque pios digreſſa lares à ſede paterna.
Fortunata fames illis, indictaque menſis
Exilia, & quondam grati penuria cenſus,
Ipſa animant annoſa pias ieiunia vires.
Nec tamen aut ignaua dies, aut ſumma laborum
Plena minus; ſeruant annonæ ruſtica iura.
Nulla quies; nec vomis agros, nec ſarculus hortos
Deſerit. vrgentur ſegeres, vrgentur ariſtæ.
Perque hymem ſementis opus, tritura per æſtum.
Eſt ſuus eſt nocti labor, & menſura quieti
Parca redit. nocturna agitant ſolemnia templis:
Alterni ingeminant voces ad carmina Diuum
Vſque ſub euectam ad pendentia ſidera noctem.
Tum nuda exercent ſtimulis, & verbere membra
Quiſque ſui vindex: ſetoſo tegmen amictu
Aſperat obſtrictos artus, aut ærea nectit.
Vinclorum ſeries, cinctuque volubile ferrum.
Aſſiſtunt vigiles animi ad commercia Diuum,
Atque oculis fera ſuus eſt prouentus ab hora.
Sternit humi feſſos durus ſopor, agger arenæ
Ceruici, vel ſcabra ſilex ſuppoſta iacenti
Quamquam hyemes inter gelidas, lucumque niualem
Fagina rimoſos texunt virgulta penates
Debile Rhiphæi ſibilis munimen ab Euri
Nec petit à menſis victum tam nobile robur.
Sat vigor ille animæ: ſatis vna eſt cura litato
Sæpe Deō veſci: veniunt largo vbere vires.
P. Pulcharellus l. 2. Paon.

Ergo per ætatem inualidam ieiunia longos
In ſolidum producta dies, vulgaria vitæ
Fercula; ſollicitam cura cibus obuius artem
Reſpuit, in duros ſine lege parabilis eſus.
Hinc procul enormes, irritamenta ſuperbi
Fluminis, illecebræ; procul hinc ferale gementis
Naturæ exitium, deſolatique rapinis
Orbis opes, & præda gulæ procul vncta palati
Gaudia, & in menſas bellaria blanda ſecundas,
Ardua mens, interque dapes, & triſtia dulcis
Penſa mali, ſurrecta polo, ducebat ab aſtris
Ambroſiam, nectarque merum; facilemque tenebat
Arcta Deum, ſenſuque animum tangente carebat.
Mollia ſic ſpretæ figens veſtigia terræ,
Degebat ſuperas inter non hoſpita mentes
Empyreis immixta choris; adamante perenni
Hic animum connexa Deo, defixaque cœlo,

Freta-

Fretaque delicijs ſuperum libabat Olympi
Gaudia, mortalis tolerans incommoda vitæ.
P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Vita ex Virtutis regula traducta.

IPſa peregrinos laſciua pecunia mores
Dedidiciſſe volet, poterit moderata placere,
Et lucri minor eſſe fames. ſuccreſcet honeſtum
Pectoribus, rectique tenax induſtria nolet
Eſſe ſuum, quidquid ſolerti fraude paratur.
Qui ſapiet, plus diues erit, qui plurima votis
Præcipient, & multa petent, caruiſſe petitis
Supplicium voti referent, *Et infra.*
Ille trucem, patuliſque inhiantem faucibus auro
Trudet auaritiam, & vim caſtigabit habendi.
Non vltra tumidos veſana ſuperbia cenſus
Iactabit ſecura mali, ſed gnara futuri
Diuitias doctrina reget. non prodiga lautæ
Sortis, & effrenis patrimonia tota vorabit
Luxuries, dubiæque terent ſeſtertia cœnæ.
Virtuti comes vtilitas, & moribus ibit.
Fœnora Relligio, vſuras moderabitur æqui
Regula, nec pulchro ſeiunget lucra decoro.
Contrahet innocuus candor, ſine crimine vendet
Simplicitas. non ſæua rigor vadimonia poſcet,
Aut faciet mora parua reum; nec credula multum
Accerſcit ſibi damna fides. *Et infra.*
..... non ciues vexabit cœca proteruos
Ambitio, & fallax mendaci gloria fuco.
Ille ſatis pretij, & fautorum ſemper habebit.
Qui recte faciet, commercia ſpernet honorum,
Atque emptas Aſtrea togas. iniuria nulli,
Sed cunctis erit æqua Themis, legeſque ſequetur
Quas ſcripſit natura ſibi, fixitque medullis
Communis recti ratio, nec iniqua potenti
Confundet ius omne manu; vel lenta nefando
Concedet veniam ſceleri: procul improba Siren.
Quæque virum Cypris pulchros effæminat annos,
Mænibus his aberit. ſpernet moderata voluptas
Quicquid dulce nocet. permixtaque turba malorum
Temperiem lætis rebus dabit.
Gaſp. Barlæus Heroic. l. 3.

Vita ſolitaria piorum hominum in Eremo.

NVnc alij ex alijs occulta per antra ſecuti
Impleuere nemus. iam ſacro carmine pernox
Silua ſonat, noctemque odis cæleſtibus æquat
Iuſſa dies, iterumque diem nox æmula tentat.
Dum canit alternas Superis pia muſica laudes,

Ecce madent calidis perfuſa liquoribus ora,
Quacunque aſpicio, liuentque perennia fletu
Lumina, ſemianimeſque arenti in corpore vultus,
Accitaque fame, & quæſita torrida longa
Labra ſiti validis viden vt præcordia pugnis
Tundit nuda lapis? reſonat caua pectora plauſu.
Adſtanteſque gemunt vicino à verbere rupes.
Quid, quod & armatos alijs ſæuire lacertos
In ſua terga iubent, fuſoque piare cruore
Exiguas labes nullo cogente laborant?
Hos vigilata iuuat ſolidæ per tempora noctis
Figere genua ſolo, ſed lumina condere cælo,
Hos iuuat aut ſetis, aut aſpro includere villo
Corpus at his nudos iocus eſt aquilonibus artus
Atque hyemes vltro, brumaſque laceſſere. Gaudens
Et fixo durare gradu, dum nocte repulſa
Matutina ferant reducem dilucula ſolem;
Atque iterum gaudent vigiles labentia fixo
Aſtra videre gradu, & ſtabiles mirantibus annis
Plurima in immota traducere luſtra columna.

P. Iac. Bidetmanus l. 3. Heroid.

Vita militaris.

DVrum à Stirpe genus: natos ad flumina primum
Deferimus, ſæuoque gelu duramus, & vndis.
Venatu inuig lant pueri, ſiluaſque fatigant:
Flectere ludus equos, & ſpicula tendere cornu
At patiens operum, paruoque aſſueta iuuentus
Aut raſtris terram domat, aut quatit oppida bello.
Omne æuum ferro teritur, verſaque iuuencum
Terga fatigamus haſta: nec tarda ſenectus
Debilitat vires animi, mutatque vigorem:
Canitiem galea premimus: ſemperque recentes
Conuectare iuuat prædas, & viuere rapto.

Virgilius l. 9. Æn.

.... mox ille per auia ſecum
Luſtra gradu maiore trahens, viſiſque docebat
Arridere feris, nec fracta ruentibus vndis
Saxa, nec ad vaſtæ trepidare ſilentia ſiluæ.
Iam tunc haſta manu, iam tunc ceruice pharetræ,
Et ferri properatus amor, durataque multo
Sole, geluque cutis. tenero non fluxa cubili
Membra ſed ingenti ſaxum commune magiſtro.
Vix mihi biſſenos annorum torſerat orbes
Vita rudis, volucres cum iam præuertere ceruos
Et Lapithas cogebat equo, præmiſſaque curſu
Tela ſequi, ſæpe ipſe gradu me præpete Chiron
Dum velox ætas, campis admiſſus agebat
Omnibus, exhauſtumque vago per gramina paſſu.
Laudabat gaudens, meque in ſua colla leuabat.
Nunquam ille imbelles Oſſæa per auia Lynces
Sectari, aut timidos paſſus me cuſpide Damas

Ster-

Sternere, ſed triſtes turbare cubilibus Vrſas,
Fulmineoſque Sues, & ſicubi maxima Tygris,
Aut ſubducta iugis fœtæ ſpelunca Leænæ:
Ipſe ſedens vaſto facta expectabat ab antro;
Si ſparſus magno remeaſſem ſanguine, nec me
Ante niſi inſpectis admiſit ad oſcula telis. *Et inf.*
Nunc docet ingenti ſaltu me iungere foſſas,
Nunc caput aerij ſcandentem pondere montis
Quo fugitur per plana gradu: ſimulacraque pugnæ
Excipere immiſſos curuato vmbone molares;
Ardenteſque intrare caſas, peditemque volantes
Siſtere quadrijugos.

Statius l.2. Achill.

Mox vbi firmaſti recto veſtigia greſſu
Non tibi deſidias molles, nec marcida luxu
Otia, nec ſomnos genitor permiſit inertes:
Sed noua per duros inſtruxit membra labores.
Et cruda teneras exercuit indole vires:
Frigora ſæua pati, grauibus non cedere nimbis:
Æſtiuum tolerare iubar, tranſnare ſonores
Torrentum furias, aſcenſu vincere montes,
Planitiem curſu, valles, & concaua ſaltu.
Nec non in clypeo vigiles perducere noctes,
In galea potare niues: nunc ſpicula cornu
Tendere, nunc glandes baleari ſpargere funda:
Quoque magis nimium pugnæ inflammaret amorem,
Facta tui memorabat aui.

Claudianus de 3. Conſ. Hon.

.... ſi bella tonant, prius agmina duris
Exercere ſtudijs, & ſæuo præſtrue Marti.
Non brumæ requies, non hibernacula ſegnes
Eneruent torpore manus. ponenda ſalubri
Caſtra loco. præbenda vigil cuſtodia vallo,
Diſce vbi denſari cuneos, vbi cornua tendi
Æquius, aut iterum flecti: quæ montibus aptæ
Quæ campis acies, fraudi quæ accommoda vallis,
Quæ via difficilis, ridit ſi mœnibus hoſtis.
Tum tibi murali libretur machina pulſu,
Neu tibi regificis tentoria larga redundent
Delicijs, neue impellens ad ſigna miniſtros
Luxuries armata trahat: neu flantibus Auſtris,
Neu pluuijs cedas: neu defenſura calorem
Aurea ſubmoueant rapidos vmbracula ſoles,
Inuentis vtare cibis, ſolabere partes
Æquali ſudore tuas. ſi collis iniquus,
Primus ini: ſiluam ſi cædere prouocat vſus,
Ne pudeat ſumpta quercum ſtrauiſſe bipenni;
Calcatur ſi pigra palus, tuus ante profundum
Prætentet ſonipes. fluuios tu protere curru
Hærentes glacie: liquidos tu ſcinde natatu.

Claudianus de 4. Conſ. Hon.

Sed mox cùm ſolidum ſpirarent pectora Martem
Seriaque erigerent pugnacem claſſica dextram,

Is Patri Guſtaue comes, bellique labores
Et regni vis eſſe tuos, vnuſque parenti
Imperioque vacas. & iam matura recentem
Accendit Bellona Ducem, lætiſque rueutem
Implicuit furibunda tubis. concurrere turmis
Cominus, & nudis inter fulgentia telis
Agmina, quà globus ille virûm denſiſſimus vrget.
Ferro aperire viam; lituis impellere ſegnes,
Hìc ſparſas glomerare acies, hic pandere iunctas,
Lunata nunc ire manu, nunc ſtare rotunda,
Nunc reuocare ſuos, nunc tutis fidere vallis,
Spes omnis, votumque fuit, tibi ſæpe paratæ
Sordebant epulæ, ſomnumque abrupit Enyo,
Aut vigilem clypeo recubantem vidit, & acres
E galea potare niues, aut fonte remotum
Illimi fœdas auidè ſorbere paludes.

P. Gaſp. Barlæus Heroic. l. 1.

Vita ruſtica.

O Fortunatos nimium, ſua ſi bona norint,
Agricolas, quibus ipſa procul diſcordibus armis
Fundit homo facilem victum iuſtiſſima tellus.
Si non ingentem foribus domus alta ſuperbis
Mane ſalutantum totis vomit ædibus vndam,
Nec varios inhiant pulchra teſtudine poſtes,
Illuſaſue auro veſtes Ephyreiaque æra:
Alba nec Aſſyrio fucatur lana veneno.
At ſecura quies, & neſcia fallere vita
Diues opum variarum: at latis otia fundis,
Speluncæ, viuique lacus: at frigida tempe,
Mugituſque boum, molleſque ſub arbore ſomni
Non abſunt: illi ſaltus & luſtra ferarum
Et patiens operum, paruoque aſſueta iuuentus,
Sacra Deum, ſanctique Patres.

Virg. l. 2. Georg.

Beatus ille, qui procul negotijs,
(Vt priſca gens mortalium)
Paterna rura bobus exercet ſuis,
Solutus omni fœnore:
Nec excitatur claſſico miles truci,
Nec horret iratum mare:
Forumque vitat, & ſuperba ciuium
Potentiorum limina.
Ergo aut adulta vitium propagine
Altas maritat populos:
Inutileſque falce ramos amputans
Feliciores inſerit:
Aut in reducta valle mugientium
Proſpectat errantes greges:
Aut preſſa puris mella condit amphoris,
Aut tondet infirmas oues;

Vel cùm decorum mitibus pomis caput
  Autumnus aruis extulit.
Vt gaudet inſitiua decerpens pyra,
  Certantem & vuam purpuræ.
Libet iacere modò ſub antiqua ilice,
  Modò in tenaci gramine.
Labuntur altis interim ripis aquæ,
  Quæruntur in ſiluis aues,
Fonteſque lymphis obſtrepunt manantibus
  Somnos quod inuitet leues.

Q. Horatius Ep. Ode 2.

Ergo vbi cælicolæ paruos tetigere penates,
Summiſſoque humiles intrarunt vertice poſtes,
Membra ſenex poſito iuſſit releuare ſedili,
Quo ſuper iniecit textum rude ſedula Baucis,
Inde foco tepidum cinerem dimouit, & ignes
Suſcitat extentos, folijſque, & cortice ſicco
Nutrit, & ad flammas anima perducit anili:
Multifidaſque faces ramaliaque arida tecto
Detulit, & minuit, paruoque admouit aheno.
Quodque ſuus coniux riguo collegerat horto.
Truncat olus folijs: furca leuat ille bicorni
Sordida terga ſuis nigro pendentia tigno,
Seruatoque diu reſecat de tergore partem
Exiguam, ſectamque domat feruentibus vndis.
Interea medias fallunt ſermonibus horas,
Sentirique moram prohibent, erat alueus illic
Fagineus, dura clauo ſuſpenſus ab anſa,
Is tepidis impletur aquis, artuſque fouendos
Accipit. In medio torus eſt de mollibus vluis
Impoſitus lecto, ſponda, pedibuſque ſalignis.
Veſtibus hunc velant.

Ouidius l. 8. met.

Non alia magis eſt libera, & vitio carens
Ritusque melius vita, quæ priſcos colat,
Quam quæ relictis mœnibus ſiluas amat.
Non illum auaræ mentis inflammat furor,
Qui ſe dicauit montium inſontem iugis,
Non aura populi, & vulgus infidum bonis,
Non peſtilens inuidia, non fragilis fauor.
Non ille regno ſeruit, aut regno imminens
Vanos honores ſequitur, aut fluxas opes
Spei, metuſque liber. *Et infra.*
Sed rure vacuo potitur, & aperto æthere
Innocuus erat; callidas tantum feris
Struxiſſe fraudes nouit, & feſſus graui
Labore niueo corpus Iſmeno fouet.
Nunc nemoris alti denſa metitur loca,
Sedemque mutat. iuuit aut amnis vagi
Preſſiſſe ripas, ceſpite aut nudo leues
Duxiſſe ſomnos, ſiue fons largus citas
Diffundit vndas, ſiue per flores nouos
Fugiente dulcis murmurat riuo ſonus.

Excuſſa ſiluis poma compeſcunt famem,
Et fraga paruis vulſa dumetis cibos
Faciles miniſtrant. certior ſummus premit
Secura duro membra verſantem toro.
Non in receſſu furta, & obſcuro improbus
Quærit cubili, ſeque multiplici timens
Domo recondit: æthera ac lucem petit,
Et teſte cœlo viuit.

Seneca in Hipp. ac. 2. ſc. 1.

Hæc mihi paupertas auguſtior: hæc mihi tecta
Culminibus maiora tuis. tibi quærit inanes
Luxuries nocitura cibos: mihi donat inemptas
Terra dapes, rapiunt Tyrios tibi vellera ſuccos
Et picturatæ ſaturantur murice veſtes.
Hic radiant flores, & prati viua voluptas
Ingenio variata ſuo fulgentibus illic
Surgunt ſtrata toris. hic mollis panditur herba
Sollicitum curis non abruptura ſoporem.
Turba ſalutantum latas tibi perſtrepit ædes:
Hic auium cantus, labentis murmura riui.
Viuitur exiguo melius.

Claudianus l. 1. in Ruff.

Felix qui proprijs æuum tranſegit in aruis:
  Ipſa domus puerum quem videt, ipſa ſenem.
Qui baculo nitens, in qua reptauit arena
  Vnius numerat ſæcula multa caſæ.
Illum non vario traxit fortuna tumultu
  Nec bibit ignotas mobilis hoſpes aquas.
Non freta mercator timuit, non claſſica miles,
  Non rauci lites pertulit ille fori.
Indocilis rerum, vicinæ neſcius vrbis,
  Aſpectu fruitur liberiore poli.
Frugibus alternis non Conſul computat annum;
  Autumnum pomis, Ver ſibi flore notat.
Idem condit ager ſoles, idemque reducit,
  Metiturque ſuo ruſticus orbe diem.
Ingentem meminit paruo qui gramine quercum,
  Æquæuumque videt conſenuiſſe nemus.
Sed tamen indomitæ vires, firmiſque lacertis
  Ætas robuſtum tertia vidit auum.

Claudianus in Epigr.

Felix ille animi, diuiſque ſimillibus ipſis
Exigit innocuæ tranquilla ſilentia vitæ.
Vrbe procul, voti exiguus, ſortemque benignus
Ipſe ſuam fouet, ac modico contentus aceruo,
Non ſpes corde auidas, non curam paſcit inanem,
Securus quò ſceptra cadant, cui dira minentur
Aſtra, & ſanguinei iubar exitiale cometæ.
Non illum fragilis fauor indociliſque potenti
Plebs, ſeruare fidem euectum, popularibus auris
Caſuro imponit ſolio, nec ducit hiantem
Huc illuc vanos oſtentans purpura faſces.
Rure agit in vacuo, ſpatijſque indulget aperti
Æthe-

Ætheris, aut operi inſudans aut ille ſupinos
Euadens curſu in montes. hinc ſcilicet omnes
Gratæ epulæ; nudis Acheloum in pocula palmis
Aduocat, excuſſæque cibos dant brachia ſiluæ,
Et feſſa in duro renouantur membra cubili.
Hinc agilis ſubito ora vigor, robuſtaque magno
Pectore vis habitat, forteſque animoſa tuentur
Membra tori, & crudo tendunt ſe robore nerui.

Vide rel. *Aug. Politianus in Ruſt.*

O delicati blanda ruris otia
Curis & ambitu procul:
O dulce murmur limpidorum fontium,
O grata rerum opacitas,
O ſibilantes arborum ingentium comæ,
O prata verè gemmea.
O ſolitudo amica cogitantibus,
O horror, ò ſilentium:
Cui nunc canoro gutture obſtrepunt aues,
Nunc canna paſtoris vagi,
Seu mane oues in læta ducit paſcua,
Seu veſpere reducit domum.
O menſa nec luxu affluens, nec ſordida
Dapibus parata ruſticis.
O cella tantum lectuli vnius capax,
O ſomne liber & leuis.
O ad beatam tuta vitam ſemita
Ignota vulgi ſenſibus.

M. Ant. Muretus in lib. carm.

O vos felices ſiluæ, rurisque coloni,
Pauperies opulenta quibus ſua dona miniſtrat,
Ambitione procul, ſeuaque cupidine fraudum,
Ni fera, ſi quando eſt laqueis fallenda doloſis.
Paſtori certant aer, mare, ſidera, tellus
Fundere quidquid opum naturæ amplectitur orbis
Sed aurum, radijs argentum luna corruſcis,
Terra dapes, mel apes, grauidi pompa aurea rami,
Vbera lactis oues, gutture carmen aues,
Murmur aquæ vitis gemmas, leuis aura ſuſurros,
Et matutinum manna ferunt folia.
Dant choreas leui commoti flamine flores,
Et fugientem auram flexa ceruice ſalutant.
Ipſe ſuas dum mulcet oues in gramine læto
Agreſti tenerum modulantur arundine carmen.
Rex terat auratum pulchra teſtudine limen,
Bella canat, partoſque ferat ſuper aſtra triumphos:
Nobis pugna feræ, hoſtis, aper, fera claſtica cornu,
Sunt caueæ carcer, pro denſo retia vallo,
Miles inardeſcens acres, vis fida, moloſſi,
Pro populo viridem prætexens populus amnem,
Aut aſſultantes teneris cum matribus agni.

P. Mar. Bettinus in Lyc. l. 5. fragm. 3.

Felix ſorte ſua, quem non ignaua ſequentem
Otia, rus patrium dulci complectitur vmbra

Longè illi curæ inſomnes, comitumque laborum
Inuiſæ facies, quæ multa & magna mouentem
Huc celerem, atque illuc rapiant, perque ardua verſent.
Ipſi ſibi ſemper vacat, aggrediturque quod inſtat:
Aruaque quæ quondam proaui non magna tenebant,
Exercet patiens operum; armentoque quotannis
Sortitus ſobolem, fortiſſima corpora tauros
Inde legit, quod de hinc domitos aſſueſcere cogat
Seruitio, & terram impreſſo proſcindere aratro.
Non pretio nummos redimit, pretioue redemptos
Occupat, & fœnus tabulis ſubducit auaris.
Fœnus amat, quod ſponte ſua iuſtiſſima tellus
Et grauidæ pecudes, & meſſis reddit, & arbor.
Ergo illum aprici colles, campique feraces
Curarum experrem accipiunt hic imperat aruis
Ipſe ſuis, terraſque docet parere volentes,
Nec regum, ſua regna videns, ſuſpirat honores.
Nunc vites ſerit, & verni cum palmitis ætas
Prima viret, tenerum virgis, forcaque bicorni
Tollit humo; dein & validi propagine fœtus
Populeas latè ſtirpes, vlmoſque maritat.
Venerit inſitio; iuuat hunc, iuuat arboris illum
Felicis fruticem peregrino includere ligno
Finduntur nodi: reſecantur, inutile pondus
Siluestres rami: ramus felicior alter
Inſeritur: ſurgunt vdo noua germina libro.
Mirantur platani malos, mirantur & vlmi
Ignotas glandes: & non gentilibus ornus
Stat curuata pyris, nec ſe ſe agnoſcit in illis:
Nunc apibus fætis cellas, diſtentaque melle
Horrea rimatus populat, puriſque recondit
Aurea dona cadis: nunc mollis vellera lanæ
Infirmo pecori frondente ſub ilice tondet.
Inde vbi formoſum pomis & mitibus vuis
Frugifer Autumnus flauis caput extulit aruis;
Quam iuuat & plenis pendentem vitibus vuam
Carpere certantem Tyrios anteire rubores:
Nunc iuuat ignauos æſtus vitare ſub alta
Ilice; nunc viridi ſubmittere corpus in herba,
Quà ripæ, & ripis natæ frondentibus vmbræ,
Æſtibus & medio ſuadent decedere ſoli.
Interea gelidi fugiunt per gramina riui.
Arboribuſque vagantur aues: nemus omne querelis
Perſonat. irriguo qua fons argenteus agro
Labitur, attritos inter leuis vnda lapillos
Obſtrepit, & dulces inuitat murmure ſomnos.
At cum iam pluuia, & niuibus, canaque pruina
Frigidus hibernum contriſtat Iuppiter annum,
Quæ non aucupijs, quæ non venatibus illic
Gaudia proueniunt? altis de montibus actus
Fertur aper: fruſtra ille animos, ſetaſque comantes
Arrigit, & ſpumis albene ſpumantibus ora
Fulmineumque acuit nodoſa ad robora dentem,
An-

Audaces inſtant Vmbri, forteſque Moloſſi
Albanumque genus, non certi cedere, quamquam
Nunc hos obliquo, nunc illos diſſipat ictu.
Forſitan & tutas placeat leuioribus ire
In prædas ſtudijs. venit hic quoque grata voluptas
Ex facili capienda. plagas & retia læui
Diſtendit furca, turdoſque inuitat edaces
Callidus: & ſparſis incautos fallit oliuis
Aut pauidum ſequitur leporem, laqueoque tenaci
Strymoniam captat volucrem, iucunda laboris
Præmia.

P. Iac. Vallius in Paraphr. Horat.

Me melior natura fouet, ſine fraude miniſtrat,
Quicquid læta Ceres donat mortalibus ægris,
Piſa, fabas, milliumque recens, gratoſque palato
Seligo phaſeolos. ſuperum bellaria ſordent.
Deliciaſque Iouis cocta ſat lente laceſſo
Cœna mihi breuis eſt, properataque prandia laudo.
Et quoties genio iuuat indulgere, parantur
Iuſcula de rapto teneris ab ouilibus agno,
Aut olus, aut herbis maceratæ mollibus offæ.
Et pultes liquidæ, & ventris buccella Phaliſci.
Sors priuata mihi eſt, bobus diffindo paternis
Rus modicum; nec me ſumptis in fœnora nummis
Sorbet edax vſura, mihi cum mollia donant
Vellera lanigeræ pecudes, holoſerica ſperno,
Palliaque, & Tyrio ſaturatas murice veſtes.
Cum caput Autumnus maturis extulit vuis,
Poma fatigatis carpo pendentia ramis,
Ebriaque aggeſtis ſpumant mihi præla racemis.
Voti ſumma mei eſt, cultura feracis agelli,
Et pecus, & pleno turgentes vbere vaccæ.

Gaſp. Barlæus Heroic. l. 4.

Vita ruſtica, & regia comparatio.

.... ſurgunt mihi ſplendida centum
Poſtibus, & phrygio conſtant laquearia ſaxo,
Auratæque domus. tuguri tu pauperis hoſpes
Squallida tecta colis. ſternunt tibi vilia lectum
Stamina, vel graciles decerpti è flumine iunci.
Hic tibi lecticæ grandes, & ſtrata parantur
Mollia, quæque grauem proiectet pluma ſoporem.
Hic aulæa nitent, picturatoſque tapetas
Aſpicis, & regum poſitos hoc ordine vultus;
Rure vaga tenuis diſcurſat aranea tela,
Et nitor omnis abeſt. ingens hic area laudi,
Materieſque patet: patriam defendimus armis,
Vos imbelle pecus. rutilum nos ſtringimus enſem,
Dum vobis ſulco attritus ſplendeſcere vomer
Aſſuleſcet. infeſtum muris depellimus hoſtem,
Vobis gleba labor. *Et infra.*
.... rapiunt aliena potentes;

Nec

Nec proprij fines, nec regnum ſufficit vnum:
Spes mundos inſana vorat, neſcitque libido
Imperij conſtare ſibi. mox ſæua miſellos
Exercet cenſura reos, pœnaſque relaxat
Diuitibus quoties indignis præmia currunt,
Et probitas contempta luit? quàm limina reges
Ambitioſa terunt? quàm ſe regalibus illa
Infert veſtibulis peſtis, quæ grandibus æra
Faucibus, & pandis deglutit rictibus aurum,
Hæc tua Cyre domus. tali penetralia feruent
Remigio ſcelerum, tales inuitor ad artes.
His mea rura carent, non iſta piacula damnant
Agricolam. ſi ruſticitas tibi ſpernitur inſons,
Hac liceat ſine labe frui venerabilis aula eſt,
At metuenda magis. multo ſpectabilis auro,
Nec minus & vitijs. quos vult, extollit in altum,
Vt modo præcipitet. ne ſplendida tecta pyropo
Obijce, barbariciſque intexta monilia baccis;
Plus ſecura ſuò eſt agreſtis villa colono,
Nec cuſtoditum cataphracto milite limen.
Si te Perſa colit, ſi te veneratur Orontes;
Quos metuas regnator habes, ſint fercula menſis.
Illecebroſa tuis: capiti non vna minatur
Sica tuo, lautiſque inſtat ceruicibus enſis.
Plus mihi fumifero per brumam cocta camino
Perna ſatis, præſtatque tuis lac dulce placentis.
Eſt aliquid fateor Regi placuiſſe: ſed ille
Quàm præceps, fluxuſque fauor. vicinior oſtro
Proximior tumulo eſt. etenim ſine ſanguine neſcit
Placari vindex animus.

Idem ibidem.

Vita mari ſimilis.

Vita mare eſt: res plena metu, res plena tumultu,
Vtraque mortales credite, vita mare eſt.
Neutri tuta fides: quot fluctibus aſpera ſurgunt
Æquora, tot cauſas illa timoris habet.
Saxa maris ſcopuli; vitæ, ſua cuique cupido
Hei mihi quot ſcopulus perdidit ille rates.
Et fluit, & refluit, rapiturque, & voluitur æſtu,
Et ſtabile in ſola mobilitate mare eſt.
Littora nunc repetit, nunc littora deſerit vnda,
Occurritque ſibi, ſeque reuerſa fugit.
Æſtuat, & diſcors etiam ſibi vita reſiſtit.
Perque ſuos æſtus noſtraque noſque rapit.
Et modo quod prodeſt, temerè auerſatur & horret,
Et modò quod lædit, per ſua damna petit.
Et dolet, & gaudet; ſperatque, timetque; ſibique
Cedit & obſiſtit; neſciaque ipſa ſui eſt.
Nec magis immite eſt pelagus quàm vita, nec iræ
Plus habet: hoc monſtris, nec minus illa ſcatet.

Eſt maris, & vitæ curſus metuendus & anceps
Publica naufragijs vtraque facta via eſt.
Aſpicis vt vexent crudeles æquora venti?
Præliaque in pelago, cum pelagoque gerant?
Vita quid hæc aliud niſi triſtis & aſpera pugna eſt?
Pace caret pelagus, vitaque pace caret.
Si qua tamen pax eſt, nihil eſt incertius illa:
Iam boreas franget, quam tulit ante ratem.

P. Sidr. Hoſchius l. 1. Eleg. 1.

Vita Aulica. Vide infra Tit. Aula.

ÆTATES HVMANÆ.

ÆTatis cuiuſque notandi ſunt tibi mores.
Reddere qui voces iam ſcit puer, & pede certo
Signat humum, geſtit paribus colludere, & iram
Colligit, ac ponit temerè, & mutatur in horas.
Imberbis iuuenis tandem cuſtode remoto
Gaudet equis, canibuſque, & aprici gramine campi,
Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper:
Vtilium tardus prouiſor, prodigus æris,
Sublimis, cupiduſque, & amata relinquere pernix
Conuerſis ſtudijs ætas, animuſque virilis
Quærit opes, & amicitias, inſeruit honori:
Commiſiſſe cauet, quod mox mutare laboret.
Multa ſenem circumueniunt incommoda: vel quod
Quærit, & inuentis miſer abſtinet, ac timet vti:
Dilator, ſpe longus, iners, auiduſque futuri.
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, cenſor, caſtigatorque minorum.

Q. Horatius in lib. de Arte.

Infans.

MAter vt infantem, gremio quem læta fouebat,
Ducentem cum lacte ſinum, poſt dulcia mammæ
Tædia, iactantem palmas, ludoque licenti
Vbera carpentem, pannis inuoluit, & arcto
Strictum faſciolis cunarum carcere claudit.
Tum ſuper in ſpeciem cameræ velamina tendens,
Et flentis lacrymas, indignantiſque dolorem
Deſpicit, & placidum iubet ore canora ſoporem
Carpere, nec vano fruſtra indulgere labori.
Hic gemit, & motis violenta in ſtamina pugnat.
Brachiolis, & anhelus hiat, gemituque frequenti
Clauſtra quatit, longiſque ciet laſſa ora querelis.
Blanda fatigatos cantu dum nœnia ſomnos
Aduocat, & feſſo placidam dant vincla quietem.

P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Vide infra Tit. Indoles generoſa.

Puer,

Puer.

O Merito dilecte puer, primordia quærens
Diſtrahor, hinc anni ſtantes in limine vitæ,
Hinc me forma rapit; inde modeſtia præcox,
Et pudor, & tenor probitas maturior æuo.
O vbi purpureo ſuffuſus ſanguine candor,
Sidereique orbes, radiataque lumina cœlo,
Et caſtigatæ collecta modeſtia frontis,
Ingenuique ſuper crines, mollisque decoræ
Margo comæ?

Statius l.2.ſilu.car.1.

At parte ex alia cognatis pendulus vlnis
Geſtabatur Halys, ſpes vna parentis, & vna
Cura parentis Halys: Pario illi marmore forma
Candidior, maliſque venuſta rubentibus ora:
Et chlamys à Tyrio bis cocta nitebat aheno.
Aurea purpuream mordebat fibula veſtem;
Aureus è collo Mæander, & aurea circum
Cingula. non alij ſpecies, aut gloria maior
Omnibus è pueris. hic nondum certa profari
Gnatus, ab inuito trudebat verba palato.

P. Iac. Bidermanus l.1. Her.

Paruus eram, trinoque minor: tamen vbere pulſus
Et duce iam nullo carpere doctus iter.
Longa vacillantem turbabant carbaſa greſſum,
Tardabatque breues inuida ralla pedes.
Balba reluctantem trudebant guttura vocem,
Ibat & infanti blæſus ab ore ſonus.
Magnus arundo labor, magnuſque erat otia puluis;
Deque luto ſtructæ, maxima Troia caſæ.
In nebulis tumulata ſuis Dianæa iacebat
Eſſe quod ingenium debuit, vmbra fuit.

P. Io. Biſſelius Vern. l.1. el.2.

Ante genas dulces quam flos iuuenilis obumbret,
Oraque ridenti lanugine veſtiat ætas.

Claudianus de Conſ. Prob.

Iuuenis.

Vix puerile mihi tempus confecerat ætas,
Cum primo malas ſignabat Regulus æuo:

Silius Italicus l.6.

Iam nitidum vitæ dubios ver ibat in annos
Aureaque auſpicijs ætas, & florea mento
Quatuor exactum luſtris impleuerat orbem.
Olli purpureę lanuginis occiduus flos
Defluere, & ſuauè indecores tabeſcere malę.
Triſtiaque obſeſſis contagia ſerpere membris.

P. Pulcharellus l.1. Paon.

Tum

Tum demum pueris æuo florente iuuentus
Occipit, & molli veſtit lanugine malas.
Lucretius l.5.

.:........... Aurea nunquam
Vertice defluxit coma pulchrior: aut ſua circum
Gratior intonſam ſuſpendit tempora nubem.
Fulget lux oculis gemino formoſior aſtro:.
Acceſſit frontique decus, totoque rubentes
Lætitias aperit ſpectabilis ore iuuentus.
Ipſa nouus ſquamis interlucentibus ambit
Arma nitor: maiorque humeris, habituque decoro,
Et viſu ante omnes auguſtior emicat Heros.
P Al. Donatus l. 3. Conſt.

Senex.

POſt vbi iam validis quaſſatum viribus æui
Corpus, & obtuſis ceciderunt viribus artus:
Claudicat ingenium, delirat linguaque, menſque,
Omnia deficiunt, atque vno tempore deſunt.
Lucretius l.3.

Iam mea cygnæas imitantur tempora plumas,
Inficit & nigras alba ſenecta comas.
Iam ſubeunt anni fragiles, & inertior ætas,
Iamque parum firmo me mihi ferre graue eſt.
Ouid. l.4. Triſt. el.1.

Iam mihi deterior canis aſpergitur ætas,
Iamque meos vultus ruga ſenilis arat;
Iam rigor, & quaſſo languent in corpore vires,
Nec iuueni luſus qui placuere, iuuant.
Nec me ſi ſubito videas cognoſcere poſſis:
Ætatis facta eſt tanta ruina meæ.
Ouid. l.1. de Pon. el.5.

Sed quàm continuis, & quantis longa ſenectus
Plena malis! deformem, & tetrum ante omnia vultum
Diſſimilemque ſui, deformem pro cute pellem,
Pendenteſque genas, & tales aſpice rugas; *Et inf.*
Vna ſenum facies, cum voce trementia labra,
Et iam læue caput, madidique infantia naſi.
Frangendus miſero gingiua panis inermi.
Iuuenalis Sat.10.

Iamque æuo laſſata cutis, ſulciſque genarum
Corruerat paſſa facies rugoſior vua:
Flaua minus preſſo ſinduntur vomere rura:
Nec vento ſic vela tremunt. miſerabile turpes
Exedere caput tineæ: deſecta patebant
Interualla comæ: hoc nam dedecus addidit oris
Luxuriæ fortuna ſuæ; cùm pallida nudis
Oſſibus horrorem dominis præberet imago
Decolor, & macies occurſu læderet omnes.
Claudianus l. 1. in Eurtop.

Cùm tibi trecenti Conſules Vetuſtina,
Et tres capilli, quatuorque ſint dentes,

Pe-

Pectus cicadæ, cruſculumque formicæ:
Rugoſiorem cùm geras ſtola frontem.
Et comparata rictibus tuis ora
Niliacus habeat crocodilus anguſta,
Meliuſque ranæ garriant Rauennates
Videaſque quantum noctuæ vident mane.
Martialis l. 3. Ep. 78.

... . iuuat, æternumque iuuabit
Indefeſſam ætatem annis, æuoque ſuperbam
Canitiem, & ſeros obitus vidiſſe parentum:
Ipſa etiam clamantis avi, raucumque ſonantis
Oſcula captantem, tremulas luſiſſe per vlnas. *Et inf.*
Ille æuum bis dena ſuper iam luſtra premebat
Acer adhuc animi, & promiſſo temporis audax.
Nam ſpecies longæua viro, ſed cruda ſenectus,
Et fandi decus ingenio, & canor additus ori.
P. Pulch. lib. 1. Paem.

Primum ſeniculus ille viſus eſt vultu,
Edentulus, capularis, obſitus rugis,
Similemque lanæ ſuccidæ gerens barbam,
Colore naſum coctili parem cancro,
Oculum natantem in lippirudinis ſtagno.
Et ſcipionem motitabat ambuſtum,
Grandemque gibbum poſtferebat in tergo.
P. ..ng. Gazæus in lib. Pia. Hilar.

Iam tarda flauis non receſſuras niues
Aſperſit ætas crinibus
Auroque puro barba nuper concolor
Argento inerte palluit.
Mæandri olores, aut amygdalum refert
Prococibus albam floribus.
Solito minores iamque ſubſidiaria
Cryſtallus auget litteras,
Geminæque curuo narium Lunæ iugo
Equitant, & hinc inde inſident.
Vt lumina iuuant nuper atris æmula
Aprilibuſque ſolibus.
P. Gilb. Ionninus Epod. Ode 4.

Non ſum qui fueram, perijt pars maxima noſtri:
Hoc quoque quod ſupereſt: languor & horror habet.
Iam minor auditus, guſtus minor, & ipſa minora
Lumina, vix tactu noſcere certa queo.
Nullus dulcis odor, nulla eſt iam grata voluptas:
Senſibus expertem quis ſupereſſe putet?
En lethæa meam ſubeunt obliuia mentem:
Nec confuſa ſui iam meminiſſe poteſt.
Ad nullum conſurgit opus, cum corpore languet,
Atque intenta ſuis obſtupet ipſa malis
Pro niueo, rutiloque prius, nunc inficit ora
Pallor, & exſanguis funereuſque color.
Aret ſicca cutis, rigidi ſtant vndique nerui
Et lacerant vncæ tabida membra manus

Quon-

Quondam ridentes oculi, nunc fonte perenni
    Deplangunt pœnas nocte, dieque ſuas.
Et quos grata prius ciliorum ſerta tegebant,
    Deſuper incumbens hiſpida ſilua premit.
Ac velut incluſi cœco conduntur in antro:
    Neſcio quid toruum, vel furiale vident.
Iam pauor eſt vidiſſe ſenem, nec credere poſſis
    Hunc hominem humana qui ratione caret.
Si libros repeto, duplex ſe littera ſindit:
    Largior occurrit pagina nota mihi.
Claram per nebulas videor mihi cernere lucem:
    Nubila ſunt oculis ipſa ſerena meis.
Iam ſubeunt morbi, ſubeunt diſcrimina mille:
    Iam dulces epulæ, deliciæque nocent,
Cogimur à gratis animum ſuſpendere rebus,
    Atque vt viuamus, viuere deſinimus.
Et iam me, dudum cui nulla aduerſa nocebant,
    Ipſa quibus regimur, nunc alimenta grauant.
Quæ modo profuerat, contraria redditur eſca,
    Faſtidita iacet, quæ modo dulcis erat.
Quid, quod nulla leuant animum ſpectacula rerum,
    Nec mala tot vitæ diſſimulare licet?
Turpe ſeni vultus nitidi, veſteſque decoræ,
    Atque etiam eſt ipſum viuere turpe ſenem.
Crimen amare iocos, crimen conuiuia, cantus.
    O miſeri, quorum gaudia crimen habent!
Hinc me ſollicitum torquent ſuper omnia curæ:
    Hinc requies animo non datur vlla meo.
Stat dubius, tremuluſque ſenex, ſemperque malorum
    Credulus, & ſtultus quæ facit ipſe timet.
Laudat præteritos, preſentes deſpicit annos.
    Hoc tantum rectum, quod ſapit ipſe, putat.
Se ſolum doctum, ſe iudicat eſſe peritum,
    Et quod ſit ſapiens, deſipit inde magis.
Multa licet nobis referens, eademque reuoluens
    Horret & alloquium conſpicit ipſe ſuum.
Deficit auditor, non deficit ipſe loquendo.
    O ſola fortes garrulitate ſenes
Omnia nequicquam clamoſis vocibus implet,
    Nil ſatis eſt, horror quæ placuere modo.
Arridet de ſe ridentibus, & ſibi plaudens
    Incipit opprobrio lætior eſſe ſuo.
Hæ ſunt primitiæ mortis, his partibus ętas
    Defluit, & pigris paſſibus ima petit.
Non habitus, non ipſe color, non greſſus euntis,
    Non ſpecies eadem, quæ fuit ante, manet.
Labitur ex humeris demiſſo corpore veſtis,
    Quęque breuis fuerat, iam modo longa mihi eſt.
Contrahimur, miroque modo decreſcimus ipſi,
    Diminui noſtri corporis oſſa putes.
Nec cœlum ſpectare licet, ſed prona ſenectus
    Terram, à qua genita eſt, & reditura, videt.
Fitque tripes prorſus, quadrupeſque vt paruulus infans,

Et

Et per ſordentem flebile ſerpit humum.
Iam pena eſt totum quod viuimus: vrimur æſtu,
Officiunt nebulæ, ventus & aura nocet.
Hinc miſerum ſcabies, hinc tuſſis anhela fatigat.
Continuos gemitus ægra ſenecta feret.
Corn. Gallus El. 1.

Id verò infelicis anus miſerabile viſu
Prodigium. rugis exanguibus horrida vultu
Effigies, cani turpes, informia raptis
Ora genis, macieque cutis confecta ſuprema;
Exeſi lacrymis oculi, quæ fonte perenni
Sulcauere genas; ſurdæ prope vocibus aures;
Balba pigris & lingua ſonis, & anhelitus auræ
Putris, & à ſenio feſſis pulmonibus ingens
Spirandi labor, & fractæ per inertia vires
Membra, graduſque labans, & vita ſimillima morti.
P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Sunt quas dedecorant hiulca naris,
Obſtipum caput, & retorta ceruix,
Aut centum facies arata rugis
Sunt quas depretiant putres mammillæ,
Et fœdis recubans caper ſub alis.
Illi dens veluti ferocis apri
Pando prominet ore, pendulumque
Labrum non finit admouere labro.
Hanc gibbus populo eximit Quiritum:
Illa eſt cernua, & iſta prona multum
Terram vel gradiens deoſculatur.
Claudam ſpernimus, odimuſque luſcam,
Et balbam, tremulamque, garrulamque.
At tu tartareo tremenda vultu,
Mater Tiſiphones, ſoror Megæræ,
Orci filia ſquallidum cadauer
Impuriſſima ſordium cloaca,
Vno in corpore plus habes malorum.
Gaſp. Barlaus poem. p. 2.

VESTITVS, ET CVLTVS INSIGNIS.

Ipſe peregrina ferrugine clarus, & oſtro
Spicula torquebat Lycio Cottynia cornu:
Aureus ex humeris ſonat arcus, & aurea vati
Caſſida: tum croceam chlamydemque ſinuſque crepantes
Carbaſeos fuluo in nodum collegerat auro,
Pictus acu tunicas, & barbara tegmina crurum.
Virg. l. 11. Æn.

Ipſe bis Oebalio ſaturatam murice pallam
Lucenteſque auro tunicas (hoc neuerat vnum
Mater opus) tenui collectus in illa vinclo
Cornipedis læuo clypeum demiſerat armo

Enſe

Enſe grauis nimio, tereti iuuat aurea morſu
Fibula, pendentes circum latera ardua cinctus.
Statius l. 9. Theb.

. . . . it ſtamine veſtis
Purpureo ex humeris, medio quam cingula nodo
Adducunt lateri. laxo tum libera limbo
Se fundit, genibuſque tenus demiſſa coercet.
P. Alex. Donatus l. 1. c. 16.

Lumine picta chlamys nitidos illabitur artus:
Lineaque extremas, quæ ſutilis errat in oras,
Murice Mæandros; rutiloque interluit auro,
Gemmantique ſinus caſtigat fibula nodo.
Idem l. 1. c. 19.

. . . . niueis intermicat aurea brachis
Tænia: præfulgens auro ſeptemplice thorax
Irradiat: villoſa nigræ ſeu pallia telæ,
Siue quater ducto radiantur ianthina limbo:
Pinnula gemmiferis internitet alba galeris.
Idem l. 2. c. 4.

Puniceo cui picta chlamys Sidonia limbo
Ex humeris imos velabat pendula talos,
Auro texta graui, varioque opulenta lapillo.
P. Iac. Bidermanus l. 3. Herod.

Veſtitus & ornatus regalis.

PLena maris rubri ſpoliis, colloque, comiſque
Diuitias Cleopatra gerit, cultuque laborat.
Candida Sidonio prælucent pectora filo,
Quod Niloticis acus compreſſum pectine Serum
Soluit, & extenſo laxauit flamina velo.
Lucanus l. 10.

. . . . aſperat Indus
Velamenta lapis, pretioſaque fila ſmaragdis
Ducta virent: amethyſtus ineſt, & fulgor Iberus
Temperat arcanis hyacinthi cœrula flammis.
Auget acus meritum, picturatumque metallis
Viuit opus; multoque ornantur iaſpide vultus,
Et varijs ſpirat Nereia bacca figuris.
Quæ tantum potuit digitis mollire rigorem
Ambitioſa colus? vel cuius pectinis arte
Traxerunt ſolidæ gemmarum ſtamina telę?
Quis iunxit lapides oſtro? tribuere colorem
Phœnices, Seres ſubtegmina; pondus Hydaſpes.
Claudianus de 4. Conſ. Hon.

. . . . hunc oſtro, & tota Sidone rubentem,
Fuluum auro chlamydem, nitida frœnatus habena
Portat equus, tenero facilis parere magiſtro:
Et ſuus huic aureum ſuſpendit baltheus enſem:
Et ſeries in torque coruſcis aſpera gemmis,
Et criſtatus apex, & gemmea flamma galero.
P. Pulchar. l. 1. c. 2.

Vtque data infanti eſt abeundi copia, vidit
Pur-

Purpuream à tergo chlamydem, limboſque rigenti
Conſpicuos auro, & flauam diademate cingi
Cæſariem, ac plenis pendere monilia baccis.
Nec deerat manibus ſceptri geſtamen eburni.
P. Iac. Bidermanus l. 2. Herod.

In veſtitu & cultu luxus.

Remouete famulę purpuram, atque auro illitas
Veſtes; porcul ſit muricis Tyrij rubor,
Quę fila ramis vltimis Seres legunt.
Breuis expeditos zona conſtringit ſinus,
Ceruix mundi vacua; nec niueus lapis
Deducat aures Indici donum maris.
Odore crinis ſparſus Aſſyrio vacet.
Seneca in Hypp. ac. 2. ſc. 1.

Ingreditur forma inſignis, cultuque puella
Picta peregrinas tunicaſque ſinuſque crepanti
Argento ſaturos, atque auro intertexto.
Cui caput implicitum gemmis; it flexile collo
Aurum ingens, mixtis oneroſa monilia baccis,
Propexique nitent electro molle capilli,
Nexilibus quos in nodum collegerat hamis;
Aureaque ex humero demiſſam fibula veſtem
Epis opibus grauidam, & Gangetide gaza
Subnectit; media micat ardens fronte pyropus,
Crebraque conſertis pendent redimicula gemmis.
Hier. Vida l. 1. Chriſt.

Qualis vbi dono formæ defenſa nitentis
Impauidos mulier greſſus per caſtra ferebat
Aſſyrij Iuditha caput meſſura Tyranni.
Gratia cui multo depinxerat ora lepore,
Eloquijque ſales facilis, riſuſque decenti
Maieſtate graues; vndant diffuſilis auri
Flauentes errore comę, zephyroque procaci
Tortilis alludit per eburnea colla capillus.
Indica bacca aures digitos accendit iaſpis,
Armillę palmas, triplici torquata monili
Colla cyclas: varioque pedes talaria ſocco
Ardet & intextis amaranthis, candet acantho
Veſtis, & vndoſo lambit veſtigia limbo.
P. Ber. Stephonius car. 1.

Exclamant, totoſque petunt pro munere Seres
Cum manicis peplum, & picta cum cyclade pallam
At natę crinale aurum, mundumque iugalem,
Et gemmam articulis, atque auribus, & graue ſoccis
Argentum; vittaſque leues, & molle flabellum.
P. Pulcharellus l. 2. Paon.

Vos ille, matres, murice perlitas
Tingebat olim diuite ab Africa,
Peplumque, pallam & diſcolorem
Sidonio variabat oſtro,
Ardebat auro purpura Lydio

Et

Et ſi flore cyclas picta croci, haud ſemel
Incocta Sarranos rubores,
Et Tyrio repetita aheno:
Conchiliato lana ſuperbijt
Infecta fuco, quam Babylonius
Signis rigentem neuit auro,
Et Phrygijs animauit vmbris.
Ceruice torquem ſuetus eburnea
Et fulgurantem nectere iaſpida;
Monile baccatum pyropis
Ferre dabat, variamque ceſtum.

P. Io Bapt. Maſculus l. E. Ode 31.

Arma mea, armillæ; mea tela potentia, mitræ,
Florida Sidonia ſit mea veſtis acu
Annulus in digitis clypei ſeptemplicis inſtar,
Et ceruſſa mihi caſſidis inſtar erit
Thoracem poterunt penſare monilia: flauæ
Pro galea poterunt eſſe comante comæ
Sic ego. mox pictam Phrygio ſubtegmine pallam,
Quem dederat nuptæ prima iuuenta, peto.
Inde laboratis, multoque rigentibus auro
Cingor, & immenſum per ſola Syrma traho.
Tum madidos myrrha ſtudeo fucare capillos
Ambroſioque omnes tingere rore ſinus.
Et digitos omnes ardentibus vrere gemmis,
Feſtaque in inſuetum ponere ſerta caput.

P. Iac. Bidermanus l. 2. Heroid. ep. 4.

Fulgurat thorax ſcutulatus auro:
Ceu volaturum manicæ capaces
Aeris plangunt; retinent trilici
Gauſapa nodo.
Fluminis ritu vada negligentis
Sparſa reſtagnat coma, mille formis
Pilei ludunt: operoſa cingit
Spira galerum.
Mygdonis ſupra caput inſtat ales
Pendulis tergum quatiens flagellis.
Barba vel ſilua eſt, vel acuta nullam
Proijcit vmbram.

P. Iac. Balde l. 3. ſil. Ode 3.

Huic inquieto fibulæ morſu chlamys
Claudit redundantes plicas:
Excludit ille pallio vngam manum.
Includit alter alteram.
Huic diffluentem zona diſpenſans togam
Laxas coercet fimbrias.
Rugiſque legem baltheus gemmis tumens
Præſcribit anguſta vice.
Huic curta parcos exprobrans tunica ſinus
Huic vſque talos verberat,
Huic diſſipata lege rugarum fluit,
Ipſumque verrit puluerem.

Huic

Huic ſumptuoſus cento per totum patet,
Pannoſque pannis ſubſuit.
Sic ipſa ſtulti cogimus foramina
Supplere mentitum decus.
Huic quas pauebat, inſuit veſti feras,
Geminiſque depreſſum nemus
Ramis inumbrat aureis, & hoc ſuum
Horrore pretium temperat
Illuſa quin & gemmeo veſtis gelu
Auroque ridet textili.

P. Alb. Ines. Lyr. cent. 1. Ode 24.

Veſtitus & cultus Magicus.

.... ipſe funeſto integit
Vates amictu corpus, & frondem quatit.
Lugubris imos palla perfundit pedes.
Squallente cultu mœſtus ingreditur ſenex,
Mortifera canam taxus adſtringit comam.
Vocat inde Manes, teque qui Manes regis,
Carmenq; magicum voluit,& rapido minax
Decantat ore, quidquid aut placat leues
Aut cogit vmbras.

Seneca in Oed. act. 3. ſc. 1.

Aptetur humeris (moris id Suſis vrget),
Tenui papyro varia conſuto chlamys
Notis arata ſplendide Babylonijs.
Laneus in orbem vinciat nexus comam:
Terno colore diſcolor cingat caput
Ter vitta; numerus inferos impar trahit.
Puniceus ignes, cœrulus fluctus ſolet
Concire, furvus pallidos Manes ligat.
Percuſſa Diti ſanguinem mittat ſacrum
Siniſtra vena, ſanguis hic Diti datur,
Quem reddet hoſtis arte mactatus meâ.
Nunc exeratur virga; quam noctis nigris
Defenſus vmbris; dexterum nudus pedem
Gelidas ad Arctos, falce cantata, ſua
De matre raptam fronde fraxinea exui.

P. Bern. Stephonius in Flau. act. 1. ſc. 2.

Ecce Dymas aderat, verſoque Acherontia vultu
Monſtra refert, flammas oculis, vittaſque capillis
Innexerat, humentes roranti ſanguine vittas.
Non habet ora color, liuent tamen ora venenis.
Angue coronabat frontem, ſed ſibilus anguis
Faucibus eructat, linguiſque micantibus ignem.
It nigra ex humero, neque velat pectora veſtis,
Poplite lapſa tenus, lateribus aſtricta duobus
(Nam ſpiris morſuque ligant) incingitur hydris:
Nudus & ille pedem, nudataque brachia iactat,
Dextra facem præfert, fractoque erepta ſepulcro
Fumiferis ſtridet flammis erepta cupreſſus
Raptum læua gerit modo matris ab vbere natum.

Heu

Heu puer: heu primas vix luminis hauſerat auras,
Et ferro abruptas plorauit luminis auras.
P. Alex Donatus l.6.Conſt.

It pedibus nudis: adeo eſt impoſta locorum
Dira ſuperſtitio cœcis, ritùſque ſeueri.
Diſcinctus ſtygia ſaturam ferrugine pallam
Diſcinctaſque trahit tunicas. tum frondibus atris
Canitiem premit intonſam: taxiſque cupreſſos
Inſerit, & diram capiti dat concolor vmbram.
Ex adipe humano, picibuſque in fomite tortis
Extincto fert læua facem, quam protinus igni
Tartareo accendant iuſſæ per carmina laruæ,
Adijciantque crucem ſubluſtri lumine flammam.
Fert pateram multo ſpumantem ſanguine dextra.
P. Ant. Millieus l.22. Moyſ. Viat.

Vide Tit. Magicum opus, ſeu Incantamentum.

Veſtitus & cultus Sacerdotis Chriſtiani ad aram operantis.

AT ipſe quiddam immurmurans ęuo grauis
Antiſtes, arę ritè ſuccedit loco.
Vtrumque ſeptus pube ſacrifica latus
Pręraſum amictu lineo obnubit caput.
Dein Alba lino textili ad talos fluit.
Prolixa tunica; fune quam torto ſtatim
Adſtans miniſter vndique in nodum legit.
Vocant man:plum, lęua quem nexum manus
Subſtricta geſtat ſericum. palmum breuis
Menſura ſuperat operis: è collo Stola
Demiſſa pendet, opere tum Phrygio chlamys
Adaperta vtrinque, diuite iniectu ſuper,
Exterior humeros, pectus interior tegit.
P. Ber. Stephonius in Flau. ac.2. ſc.3.

Induit auguſtum pulchrè tunicatus honorem,
Et Bacchum, & Cereris candida dona parat.
Colla nitent circum lino vittata repando,
Porrectumque humeros penſile tegmen obit,
Hinc tegit vndanti niueum velamine corpus
Carbaſus, effuſo ludere criſpa ſinu
Atque ea, qua palmas pariter contingit vtraſque,
Quaque ſubit iugulum ſumma, vel ima pedem,
Mille per inſcriptos cum marginibus Mæandros
Ducit acu pictas ſutile flumen aquas.
Inſtita cuſpidulis punctim eminet vltima crebris,
Hirtaque mentito ſtamina ſente rigent.
Hinc teres, & longum ſpira ſimulatus in anguem
Per latus à tergo ceſtus vtrumque venit
Et cohibens fluitantem alto ſub pectore pallam,
Labitur à nexu plurimus ante ſinum.
Zona coronato ſuſpenditur aurea collo,
Nec procul allapſu ſpectat vtroque pedes.

Hæc duplici ex armo, duplici tranſuerſa ſub ala,
Quadrifido ductu pectora ſumma notat
Candidaque appreſſat turgentem ad cingula byſſum
Vinctaque ſub geminum pendet vtrinque latus.
At breuior læuo dependet zona lacerto.
Pendula cui duplex palmula vincta fluit,
Vltimus iniectu longo deſcendit amictus
Poſt humeros æquè lapſus, vt ante genu.
Vtraque pars longè promiſſa penſilis ora:
Neutra latus tangit, brachia neutra tegit.
Verſicolor textu decor, & ſpectabile Serum
Miſcet opus roſea dœdala fila Tyro.
Sic habitu, ſic ille nitens in veſte decora,
Parturit arbitrio, parturit ore Deum.

P. Pulcharellus l. 3. car. el. 4.

Miranturque virum, vultuſque infuſa micantes
Numina, fulgenteſque animos, habituſque decoros.
Et virtata regunt ſe tegmine colla niuali,
Fluxaque carbaſeis velamina flexibus vndant.
Penſilia vt collo, & totos demiſſa per artus
Alba plicaturo ſtringuntur carbaſa cinctu
Vtque interciſam, quæ telæ cuſpidat oram,
Sutilis extremos circumfluit inſtita limbos,
Zona decuſſato tum pectore lintea preſſat
In geminum diducta femur; breuiorque ſiniſtra
Brachia, & intortis cohibent oloſerica vinclis.
Vtque humeros ingens, vt pectora velat amictus
Stamina ſidonio miſcens aurantia fuco:
Binaque linigerum non vittæ nexilis vlli
Liberat ora latus, nec candida brachia veſtit.

P. Alex Donatus l. 2 car. 2.

Colligit in frontem geminis pendentia virris,
Lina repanda: humeris mox aptat, & explicat: alba
Mox promiſſa tegit corpus, nodoque tenaci
In geminum reuocata latus. criſpataque, velum eſt
Ore Sacerdotis quo ſpes enauigat orbis,
Et precibus ſubit aſtra, rigent vaga ſtamina punctim.
Mentito circum depicta in margine flore.
A collo in geminas quærens diuortia partes,
Pendula zona humeris lapſu deſcendit honoro,
In geminos diducta pedes, tranſuerſa ſub armo,
Et premit obiectu turgens ad pectora linum:
Zona minor læuum decorat partita lacertum,
Quod cruce ligat iniecta. toga penſilis vlnas,
Et duplex fugit ampla latus, quam fila colorant
Dœdala, ſacrifici venerabile pondus amoris.

P. Car. de Luca l. 28. Dom Laur.

Veſtitus & ornatus Pontificis Maximi.

VEla ſacris intende humeris, & carbaſa collo
Funde, & ad extremos Setaba lina pedes.

Ei-

Virgatamque ſuper læuam, argentoque trilicem,
Et quæ purpureo lumine vela tremunt.
Et veſtem illuſam variè, cui gemmea nexu
Fibula coniunctum mordet vtrumque latus.
Adde decus capiti, gemma quod fulget & auro,
Et triplici canas ſtemmate cinge comas.
P.Tar.Gallutius l.2.el.20.

Veſtitus Summi Sacerdotis Hebr.

...... ſolemnes adſtat iam Flamen ad aras
Orbe comam rutilus, cinctuque biuerticis auri,
Conſpicuus vultu Simeon, iamque obſitus æuo.
Huic Phrygus fulgoris honos in veſte decora,
Aureoque intextos diſcriminat igne pyropos:
Palla ſuper flammata Tyro ſed candida ſubtus
Carbaſus, vndanti lambit veſtigia limbo,
Tegmine ſub Tyrio, læuo demiſſus ab armo
Terga per & pectus, pariter ſe obliquat vtrinque
Baltheus; hunc lateri ſignis, auroque coruſcum
Gemmea candenti committit fibula morſu.
Vlima purpureis humeris iniecta ſupernè
Serica, velato parcè illabentia tergo.
P.Pulcharellus l. 1. car.1.

Tum ſenuit gemmis, bicolor tum veſte Sacerdos
Lambebat tunicæ tenuis nam biſſina talos
Carbaſus, albentique ſinu criſpata fluebat.
Integit hanc veſtis, textoque hyacinthina limbo
Incumbit genibus, totamque alterna per oram
Aurea puniceis reſonant crepitacula malis:
Palla ſuper, vario texunt quam licia filo.
Illa nitens auro, Tyrios oſtrina rubores,
Alba niues, hauſit Venetos aut cœrula ſuccos
Illa etiam geminis bipatentem multa ſub alis
Tænia ſeu nectit, ſeu baltheus alligat aluo.
Tum veterum biſſena ducum, cœlataque in auro
Nomina ſculptus onyx humeros grauat: inde catenis
Aureus appendit duodenas pectore gemmas,
Et ſubter vario lucentia ſerica textu.
Lamina tum Cydarim, & lunatæ cornua mitræ
Antemicans, mediæ ſupereminet aurea fronti.
P.Alex.Don. l.2. c 2.

Tum Tunicam duplici è byſſo, tortaque nitentem
Inductam collo ad talos à vertice ſundit.
Non rugis, non illa ſinu, non follibus vndat,
Sed manicis habiles artus ad munia ſtringens
Tenditur, & membris hæret concinna mouendis,
Ceu campeſtre ſagum, tegitur quo miles in armis
Hanc circum medio voluens in pectore zonam
Multiplicem textu, pictiſque imitante colubri
Floribus exuvias hyacintho, & murice cingit.
Amplexu gemino renes, & pectora flamen
Implicuit cocco, redeunt in pectora nodi.

Deſluit ad tunicæ, ſuperat quæ tœnia, limbum,
Vt ſpolium extremas allambat textile ſuras.
P. Ant. Millieus l. 13. Moyſ. Viat.

FAMES ET SITIS.

Fames.

QVæſitamque Famem lapidoſo vidit in agro
Vnguibus & raris vellentem dentibus herbas.
Hirtus erat crinis, caua lumina, pallor in ore,
Labra incana ſitu, ſcabri rubigine dentes
Dura cutis, per quam ſpectari viſcera poſſent:
Oſſa ſub incuruis extabant arida lumbis.
Ventris erat pro ventre locus: pendere putares
Pectus, & à ſpinæ tantummodo crate teneri.
Auxerat articulos macies, genuumque tumebat
Orbis, & immodico prodibant tubere tali.
Ouidius l. 8 met.

Os furiæ nomenque Fames, at rara capillo,
Criſpa genas, rugiſque fluens, & fœda ſenectus
Luminibus candet croceis, & funera vibrat
Tartarei vultus rabies, & pallidus horror.
Exeſum eſurie, & ſcabra rubigine corpus
Lurida corrugat macies, atque aſperat artus
Squallet apex, fuſiſque altè ſub crinibus extat
Gorgonis in morem ſtrigoſum, & tortile collum
Vlnificæ nuda oſſa manus, nuda oſſa lacerti
Atque humeri, atque altè nodoſo in pectore crates,
At cauus in coſtas aluum ſinus abdit inanes
Appreſſam ad lumbos penitus, curuamque lacunam.
P. Pulcharellus l. 1. Pacon.

Pallida compenſant veteres ieiunia menſas,
Et macie lenta vindicat ora fames.
Impranſus traduco diem; ventrique ſoporem
Pro veteri cœna præparat atra Ceres.
Sed didicit condire fames ſua fercula: mollit
Corna, graueſque vetat dentibus eſſe rubos.
Et morſu ſpoliare docet nemora, inque ferinos
Irruere, ſtomacho non renuente cibos.
Ah quoties vili deſidero furfure paſci?
Sed neque de vili furfure paſtus adeſt.
P. Iac. Bidermanus l. 3. Hero. ep. 1.

Fames in vrbe ſæuiens.

EST furtim lento miſeris durantia tabo
Viſcera, & exurit ſiccatas ſanguine venas
Per longum celata fames: iam lumina retro
Exeſis fugere genis: iam lurida ſola
Tecta cute, & venis male iuncta trementibus oſſa
Exſtant conſumptis vſu deformia neruis,

Hu-

Humentis rores noctis, terramque madentem
Solamen fecere mali, caſſoque labore
E ſicco fruſtra preſſerunt robore ſuccos.
Nil temerare piget, rabidi ieiunia ventris
Inſolitis adigunt veſci; reſolutaque nudos
Linquentes clypeos, armorum tegmina mandunt.

Sil. Italicus l. 2.

Namque Ceres lætas morientibus arida culmis
Abſtulerat meſſes, fœcundaque ſemina terris:
Tum ſterilis nemorum fruges depaſcitur annus,
Et violenta fames Italas circumuolat vrbes
Iam raras auidis vellebant dentibus herbas,
Impaſtique domos fugiunt, arniſque repertæ
Indoluere dapis; rabidos agit ardor edendi,
Luctuſque, & languor: facies & lurida mortis
Inficit, & morbis habitat pallentibus artus.

P. Al. Donatus l. 1. car. 1H.

Lento membra trahens paſſu, ſine milite regi
Militat eſuries; vacuis quæ ſæua medullis
Expatians, tritis pariter Cerealia poſtquam
Munera conſumpſit culmis, ſine more modoque
Eſſe iubet veſcum, quicquid latrantis hiantem
Compeſcit ſtomachi rabiem, paucaſque nocenti
Prorogat in luces dilatum pondere fatum,
Quin ſcelus, humanis ieiunia ſoluere membris
Cœperat eſſe pium tantum ſuaſere furorem
Dira ſuperſtitio potuit, mentiſque profanus
Error, & infandæ cognata ferocia genti.
Hinc macies primum, cœco deſin viſcera tabes
Fomite depaſcens, longus quid mutet in ægris,
Aut minuat, vix morbus habet. mirata colorem
Per vultus errare ſuum Libytina, vagari
Exangues animas, & egentes corporis vmbras
Credidit atque nouæ ſibi fila retexere vitæ.

Ex P. Laur. de Brun. El. Poet. t. 2. in Parat.

Depone fulmen victor, en totis hians
Inſana volitat faucibus pauidam fames
Hauſtura plebem. cernis vt vacua rotat
Ieiuna fronte lumina? vt pendentibus
Fœda ora buccis diffluunt? manus eſt rapax,
Fremit otioſo in ventre ieiunus furor.
Ecce, ecce faucibus horrida ceraſtis volat
Ferale monſtrum. virus implacidum aridas
Serit in medullas; decoloratæ accubat
Super ora plebis, fugit exangues genas
Exſucca turpi membra populatur lue,
Auidaque inanes brachia excutiunt penus.
Vt quiſque pauido occurrit, alternis pauent,
Terrentque; ſpectra mutuo aſpectu intremunt,
Adeſa graciles membra connectunt fibræ,
Infida moles oſſium aut cadit, aut labat.
Lugenda miſeri fata patiuntur: parum eſt,
Lugenda faciunt, rapere quadrupedum cibos.

Lautum eſt. vorarunt ora quod fugiant loqui.
Itum in Thyeſtis ſcelera: cognatas dapes
Dente inſecuti languido, ſæpe in truci
Periere morſu.

Ex P. Laur. le Brun. El. Poet. to. 3.

Vrbem autem miſeranda fames, & tabida vexant
Talibus haud pridem aſſueti ieiunia ventris.
Nondum etiam abſiſtit; ſed mitis egentia paſtus
In furias rabida ora vocat, rituque ferino
Inſuetas tentare dapes, obſcena ſubægit
Pabula per foſſas, & ſicubi ceſpite viuo
Cincta palus, limo, pigraque vligine torpens,
Gramina terra legunt, vdoque in littore putres
Contactu ſalis, & ſpumoſæ aſperginis herbas.
Pars languente vado latebras ſcrutatur adeſi
Pumicis, atque inter muſcoſa cubilia mœnas
Prona legit, pelagi virus, cancroſque rubentes,
Oſtreaque, & piſces vnda fugiente relictos.
Hos fœda ingluuies, dictu mirabile, adegit
Ambeſas etiam rictu conſumere pelles.
Scortea deripiunt ciſtis; & ſcortea rhedis
Tegmina: lenteſcunt balthei, properataque flammis
Aruina ſubigunt pingui, ſolatia longæ
Fœda famis. Vix illa fidem voluentibus annis
Inuenient, crebro quæ teſte audita recordor.
Mortua namque alios ſociorum, incoctaque aheno
Membra ferunt morſu, horrendum, violaſſe profano.

P. Dion. Petauius in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Euecta culmis repit in macie ſeges,
Et ægra tabe languet, & fruges negat.
Rictus caninos exerit turpis fames
Impaſta paſcens corpora, ah nimium vorax,
Per oſſa regnat liuida, in vacuo furit.
Serpunt plateis heu viri, non iam viri,
Sed Vmbræ Auerni, meſta laruarum manus;
Horrenda macies torridos artus coquit,
Totumque corpus horridum rugis arat:
Exilis anima, quam nimis tædet ſui,
Hæret labellis in ſuas mortes tenax.

P. Nic. Cauſinus in Trag. ſacris.

Fames in Caſtris.

SEd patitur ſæuam, veluti circumdatus arcta
Obſidione, famem, nondum ſurgentibus altam
In ſegetem culmis: cernit miſerabile vulgus
In pecudum cecidiſſe cibos, & carpere dumos,
Et morſu ſpoliare nemus, lethumque minantes
Vellere ab ignotis dubias radicibus herbas.
Quæ mollire queunt flamma, quæ frangere morſu,
Quæque per abraſas vtero demittere fauces,

Plu-

Plurimaque humanis antehac incognita menſis
Diripiens miles ſaturum tamen obſidet hoſtem.
Sil. Italicus l.6.

Sitis, ſiue homo ſitiens.

AT Sitis aduerſo zonæ torrentis ab Auſtro
Ipſa pares exuta metus, inuiſaque terris
Diſſimulans exempla venit, pellucida ventum
Caprabat chlamys, internos ardentis in æſtus
Pectoris, vndantemque ſinum diffuſa volabat.
Flammeus ore rubor; vibrans micat acribus ignis
Ex oculis, totoque vorax accenditur ardor
Corpore: guttur hiat patulum, ſtat lingua palato
Arida, & aeriæ flatu ſe temperat auræ,
More canum producta labris nigrantibus: alto
Pectore flamma rogi furit, & vitalia paſcens
Intima, præcluſam vocem raucedine ſicca
Impedit, & laſſis ductas pulmonibus auras,
Vnica torrentis ſuperat ſolatia flammæ.
P. An. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Finibus in Liciæ longo Dea feſſa labore
Sidereo ſiccata ſitim collegit ab æſtu *Et infra.*
.... caret os humore loquentis,
Et fauces arent, vixque eſt via vocis in illis.
Hauſtus aquæ mihi nectar erit, vitamque fatebor
Accepiſſe ſimul vitam dederitis in illis.
Ouidius l.6. met.

Inde hominum, pecudumque labor, defecta labare
Omnia: nec dirani viſcera ferre ſitim.
Vbera cùm querulus vagitu poſceret infans,
Repperit agnatos lacte carere ſinus
Et lacrymas oculi, cauſæ quas mille iubebant,
Fundere cum vellent, non habuere ſuas.
Hærebant ſicco præmortua verba palato,
Et ſæpe in medijs diriguere labris.
P. Iac. Bidermanus l. 2. Heroid. ep 4.

Sitis in exercitu.

IAmque inopes vndæ primum tellure refoſſa
Occultos latices, abſtruſaque flumina quærunt
Non tamen aut tectis ſonuerunt curſibus amnes,
Aut micuere noui percuſſo pumice fontes;
Antra nec exiguo ſtillant ſudantia rore,
Aut impulſa leui turbatur glarea vena.
Tunc exhauſta ſuper multo ſudore iuuentus
Extrahitur duris ſilicum laſſata metallis.
Quoque minus poſſent ſiccos tolerare vapores
Quæſitæ feciſtis aquæ. manus vtraque glebas
Exprimit ora ſuper; nigro ſi turbida limo
Colluuies immota iacet, cadit omnis in hauſtus
Certatim obſcenos miles, morienſque recepit.

Quas nollet victurus aquas: rituque ferarum
Diſtentas ſiccant pecudes, & lacte negato
Sordidus exhauſto ſorbetur ab vbere ſanguis.

Lucanus l.4.

Protinus Inachios haurit ſitis arida campos:
Diffugere vndæ, ſquallent fonteſque, lacuſque,
Et caua feruenti dureſcunt flumina limo.
Ægra ſolo macies, tenerique ab origine culmi
Inclinata ſeges, deceptum margine ripæ
Stat pecus, atque omnes quærunt armenta natatus
Aret Lerna nocens, aret Lyrcæus, & ignes
Inachus, aduoluenſque natantia ſaxa Charadrus. *Et inf.*
Ergo nec ardentes clypeos vectare, nec arctos
Thoracum nexus (tantum ſitis horrida torquet)
Sufficiunt, non ora modo, anguſtiſque peruſti
Faucibus, interior ſed vix quatit aſpera pulſu
Corda, gelant venæ, & ſiccis cruor æger adhæret
Viſceribus. tunc ſole putris, tunc puluere tellus
Exhalat calidam nubem, non ſpumeus imber
Manat, equum ſiccis illidunt ora lupatis,
Ora catenatas procul exertantia linguas.

Statius l.4. Theb.

CIBATVS.

Lac ex ſaccaro ſpumoſum.

ARtificl potius ſpumoſa coagula lacte
Ex quacunque caſa proximiora pete.
Villica dic tumida ſiphonibus impleat ollas
Qui ſapidi rorent eluuione feri.
It patinam lenti iaculentur flumina lactis,
Sic tamen, vt largo bulla tumore natet.
Tunc vbi crebra cauis aſpergo canalibus acta
Surget, vt hyberni verticis alba coma;
Inſpergat Braſilique ſalis, cannæque pruinam.
Hæc erit æſtiua ſub dape, Nix, & Hyems.
Temporis in puncto primis vix tacta labellis,
Vaneſcet gracili daps fugitiua cibo.

P.Io. Biſſelius Æſt.l.3. el.14.

Conuiuium opiparum.

IN primis Lucanus aper leni fuit Auſtro
Captus, vt aiebat cœnæ pater. acria circum
Rapula, lactucæ, radices: qualia laſſum
Peruellunt ſtomachum. ſiſer, alec, fœcula Coa.
Affertur ſquillas inter murœna natantes
In patina porrecta ſub hoc herus: hæc grauida inquit
Capta eſt, deterior poſt partum carne futura.
His miſtum ius eſt oleo, quod prima Venafri
Preſſit cella, garo de ſuccis piſcis Iberi,

Vi-

Vino quinquenni, verum citra mare nato.
Et infra..... deinde ſequuti
Mazonomo pueri magno diſcerpta ferentes
Membra gruis, ſparſi ſale multo, non ſine farre,
Pinguibus & ficis paſtum iecur anſeris albi
Et leporum auulſos, vt multo ſuauius, armos,
Quam ſi cum lumbis quis edat, tum pectore aduſto
Vidimus & merulas poni, & ſine clune palumbes.

Q. Hor. Flaccus l. 2. Sat. 8.

Inſtituunt de more epulas, feſtamque per vrbem
Regificè exſtructis celebrant conuiuia menſis.
Ipſe Deum cultu, & ſacro dignatus honore,
Præcipuis, multoque procul ſplendentibus oſtro
Accipitur ſublime thoris. non vna miniſtri
Turba gregis: poſuiſſe dapes his addita cura.
His adolere focos, hic ordine pocula ferre,
Nec non & certis ſtruitur penus aſpera menſa
Pondera cœlati fulgent antiquitus auri.
Eripiunt flammæ noctem, ſtrepituque mouentum
Murmurat alta domus.

Sil. Italicus l. 11.

De Tiburtino veniet pinguiſſimus agro
Hædulus, & toto grege mollior, inſcius herbæ,
Nec dum auſus virgas humilis mordere ſalicti,
Qui plus lactis habet, quàm ſanguinis: & montani
Aſparagi, poſito quos legit villica fuſo
Grandia præterea, tortoque calentia fœno
Oua adſunt ipſis cum matribus, & ſeruatæ
Parte anni quales fuerant in vitibus vuæ,
Signinum, Syriumque pyrum de corbibus iiſdem
Æmulæ Picenis, & odoris mala recentis:
Nec metuenda tibi ſiccarum frigore poſtquam
Autumnum, & crudi poſuere pericula ſucci. *Et inf.*
Sumine cum magno lepus, atque aper, & pygargus,
Et Scyticæ volucres, & phœnicopterus ingens,
Et Getulus oryx, hebeti lautiſſima ferro
Cæditur, & tota ſonat vlmea cœna Suburra.

Iuuenalis Sat 11.

Prima tibi dabitur ventri lactuca mouendo
  Vtilis, & porris fila reſecta ſuis.
Mox vetus, & tenui maior cordyla lacerto,
  Sed quam cum rutæ frondibus oua tegant,
Altera non deerunt tenui verſata fauilla,
  Vt Velabrenſi maſſa recocta foco.
Et quæ Picenum ſenſerunt frigus oliuæ.
  Hæc ſatis in guſtu: cætera noſſe cupis?
Mentiar vt venias, piſces conchylia, ſumen,
  Et cortis ſaturas, atque paludis aues.

Martialis l. 11. ep. 53.

Regius hoſpes adeſt: date regia munera menſis.
Regia ſunt perdix, quam Chaonis arua ſaginant,
Et pictæ Iunonis aues, & Phaſidis ales
Quæque necem cum fœce ſuæ ſibi parturit alui,

Quæque rubet pectus, quamquam non magna volucris.
Quin etiam illecebras tardæ famis adde marinas,
Primitias menſæ, conchas, muſcoque virentes,
Et quæ piſcator viridi legit oſtrea Gauro.
Regius ille epulis honor eſt, quæſita moloſſis,
Et multum ſudata fugæ, ſudata pauori
Præda, pharetratum quæ ſæpè fefellerit hoſtem,
Nec licet à menſis abſint regalibus vmquam
Lactentes vitulæ, & tuguri Lubrenſis alumnæ.
Harum vnam appropera velox, & tergore coſtas
Exue: cum geminis geminos lege cruribus armos,
Et ſaturos pingui lumbos, & molle crebrum.
Hinc mihi fruſta ſeca, poſſimque vt ſubdere teſtæ,
Quæque roret ſparſa pilum verſatile pruna.
Et quæ triticeæ compoſta volumine maſſæ
Vulcanus foueat, laterum lare tectus opaco.
At regina dapum eſt, roſeos incocta liquores
Ambroſia, & lauros Arabum bene pota ſapores,
Clinice, Pæſtani laticem de fronde roſeti
Et molitæ florem Cereris, multumque ſubactæ
Profer, & orizæ cape lactea liba liquatæ,
Et nitidum tunſæ Meleagridis adijce pectus,
Et flauentia mella croco florentis Hymetti.
Sacchareum largo pollen ſuperingere nimbo,
Atque recens mulſi rorem gregis adde coactum.
His congeſta ſuper ſucco lactente redundet
Thraſia nux, tunicis candentem exuta medullam,
Sed manibus contuſa tuis; ego rite vitellos
Expediam natu tepidos, & molle recentes.

P. Pulcharellus l. 2. Eglo. 8.

Leucophagum
Epulum candidum lautiſſimum.

REgia leucophago laus eſt. age Clinice, pubem
Aligeram criſtis inſignem, & pectore pingui
Carpe manu, & cortem celeri populare recurſu.
Dumque calent latices, & ahena vndantia flammis
Ingere deplumes pennatæ gentis aceruos.
Pectora tum ſectis conuelle tenerrima fruſtis,
Viribus extundenda tuis, vt liba coactu
Lucteolam ſolido maſſam coeuntia ſiſtant.
Tu neruos hic prome tuos. ego ſacchar & vndam
Expreſſam liquente roſa, & reliqua omnia promam.

Idem ibidem.

Conniuiorum apparatus & luxus.

VEntrinè tantum viuimus, Myſtę gulæ,
Voracitatis Præſules?
Sordent ſub axe patrio natæ dapes,
Auita ſordent fercula.

Et

Et ni macello farciatur Indico,
    Fames ſuperba murmurat.
Cupediarum quidquid aut Phaſia fouet,
    Aut diues Oriens educat,
Totis ematur cenſibus: nec annuo
    Crumena parcat cenſui.
Strepunt culinæ, fumus obfuſcat diem:
    Ætnæ fauillas crederes;
Troiamque rurſus, & ſu's captum dolis
    Fumare rurſus Ilium.
Immugientum hinc feruet ollarum cohors,
    Illinc ahenorum agmina.
Haſtata veruum ſtridet hinc, & hinc Phalanx,
    Mille legiones lancium.
Pippire volucres, garruloſque poſthumo
    Stridere gutture anſeres
Et quidquid igne pinſitur Vulcania
    De plebe cenſeres queri:
In quæſtionem turdus, & perdix gemit,
    Raptumque phœnicopteri
Quidquid ſapori ſeruit. acta in equuleum
    Omnis ferarum copia.
In ius vocati taurus, & lepus pyræ
    Adiudicantur igneæ.
Alter Prometheus ceruus explodit iecur
    Exenterantur bubali
Tortore ferro. dama carnifice rota
    Torretur Ixion merus.
Mox pharmacorum prodiga fluens manu
    Exoticorum copia
Inundat ollas: aduenæ Tmolo croci
    Pretioſa inaurant flumina.
Armantur apri pipere. amaris dulcia
    Ludunt amara dulcibus,
Poſt fata rurſum vitreum natat pecus
    Mellita ſuper flumina
Aſſerque pigri Nerei quondam accola
    Inter ſapores fluctuat.
Tum tortuoſa ſumptuoſo cochleæ
    Inuiſceratur hoſpite
Et quidquid infami oſtreorum gurgite
    Lucrina piſcatur Thetys.
En pauo vitæ medius à morte explicat
    Stellata caudæ lumina,
Et centum oculeis hoſpites ſignat comis
    Pupilla pennarum aurea.
At inde ſituram prouocat famem ſuis
    Gallina cincta prolibus
Galluſque ſemiuir, vel vuens Ardea
    Coo petita littore.
Anſerque Thuſcus, & coturnix Indicæ
    Raptura palmam Phaſidi.

P. Alb. Ines Lyr. cent. 1. Ode 92.

Cœna vilis & ruſticana.

APpoſuit primos epularum hinc orſus honores
Ruſtica quos aluit ſiluis labruſca racemos,
Queis male tum virus natiuum exemerat ęſtas.
Altera lanx habuit crudis embamma vitellis,
Et cum peſtillis bubulum Cerealibus aſſum.
Nigra Ceres illis cribrataque crate ſaligna,
Pinſa velut ſpiſſo qui torpuit aggere limus.
Tertia pars epulis, vel naribus vltima peſtis,
Exiguum lecta fruſtum de fœce macelli
Iuſcula quid memorem? ſi iuſcula dicere fas eſt
Pallentem, & nulla ſtellatam luce saginę
Illuuiem, cen tota tepens poſt lina lauacrum.
Vltima dona famis. quę munera prima petebat
Mala duo venere nouis cum frugibus horti,
Et ſuper è ſecto tenuis modò lamina caſeo.

P. Pulchatellus l. 2 car. Eclo. 8.

Vinum. Vide infra Tit. Vindemia.

EBRIETAS.

LAtice quiſquis madet Iacchi
Paria patitur dementato.
Furit vterque, breuius alter.
Breuis amentia fit temulentia.
Ignea torua lumina fronte
Nutant amenti, natant ebrio.
Labor vtrique iocus & choreæ.
Vtraque iactat iurgia lingua.
Pallidus horror occupat ora:
Errat curſu gradus incerto:
Colla labaſcunt, crura tremiſcunt,
Mens ingeſto merſa Lyęo
Fluctuat nullo Firma magiſtro:
Nunc audacibus tumida cœptis,
Nunc trementibus timida curis.

P. Mar. Bettinus l. 5. Lyc. Poet. cent. 5.

Iam naufragatur animus, & plantę labant,
Diluta languent viſcera.
Stupet cerebrum; ſed caput ducit choros
Vinum loquuntur lumina,
Vinoque ſtillant: tota mens vino madet,
Caduca fallit tibia.
Deliberanti ſter ne, num cadat pedi
Incurua ceruix annnit.
Reciprocantes, & dubij planum pedes
Super pauimentum natant.
Errat loquela, lingua tit bat, nant manus,
Eclypticique ſtant dies.

P. Alb. Ines. Lyr. cent. 1. Ode 92.

SOM-

SOMNVS ET SOMNI DOMVS.

Eſt prope Cimmerios longe ſpelunca receſſu,
Mons cauus, ignaui domus, & penetralia ſomni,
Quò nunquam radijs oriens, mediuſue, cadenſue
Phœbus adire poteſt: nebulæ caligine mixtæ
Exhalantur humo, dubiæque crepuſcula lucis.
Non vigil ales ibi criſtati cantibus oris
Euocat Auroram: nec voce ſilentia rumpunt
Sollicitiue canes, canibuſue ſagacior anſer:
Non fera, non pecudes, non moti flumine rami
Humanęue ſonum reddunt conuicia linguæ.
Muta quies habitat, ſaxo tamen exit ab imo
Riuus aquæ Lethes, per quem cum murmure labens
Inuitat ſomnos crepitantibus vnda lapillis.
Ante fores antri fœcunda papauera florent,
Innumeræque herbę: quarum de lacte ſoporem
Nox legit, & ſpargit per opacas humida terras
Ianua ne verſo ſtridorem cardine reddat,
Nulla domo tota eſt, cuſtos in limine nullus.
At medio thorus eſt hebeno ſublimis in antro
Plumeus, vnicolor, pullo velamine tectus,
Quo cubat ipſe Deus membris languore ſolutis. *Et inſ.*
Vix oculos tollens, iterumque, iterumque relabens
Summaque percutiens mutanti pectora mento
Excuſſit tandem ſibi ſe, cubitoque leuatus,
Quid veniat? (cognouit enim) ſcitatur. at illa
Somne quies rerum, placidiſſime ſomne Deorum,
Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris
Feſſa miniſterijs mulces, reparaſque labori.
Ouidius l. 11. met.

.... tuque ò domitor
Somne laborum, requies animi,
Pars humanæ melior vitæ,
Volucre matris genus Aſtreæ,
Frater duræ languide mortis,
Veris miſcens falſa, futuri
Certus, & idem peſſimus auctor.
Pater ò rerum, portus vitæ
Lucis requies, noctiſque comes,
Qui par Regi, famuloque venis
Placidus feſſum, leniſque foues:
Pauidum lethi genus humanum
Cogis longam diſcere mortem:
Preme deuictum torpore graui.
Seneca in Her. fur. in Cho. act. 4.

Stat ſuper occiduæ nebuloſa cubilia noctis
Æthiopaſque alios, nulli penetrabilis aſtro
Lucus iners ſubterque cauis graue rupibus antrum
It vacuum in montem, qua deſidis atria ſomni.

Secu-

Securumque larem ſegnis natura locauit.
Limen opaca quies, & pigra obliuia ſeruant,
Et nunquam vigili torpens ignauia vultu.
Otia veſtibulo, preſſiſque ſilentia pennis
Muta ſedent, abiguntque truces à culmine ventos;
Et ramos errare vetant, & murmura demunt
Alitibus; fugiens ſpeluncæ proximus amnis
Saxa inter, ſcopuloſque tacet nigrantia circum
Armenta, omne ſolo recubat pecus, & noua marcent
Gramina, terrarumque inclinat ſpiritus herbas
Ipſe autem vacuus curis humentia ſubter
Antra ſoporifero ſtipatus flore, tapetis
Incubat, exhalant veſtes, & corpore pigro
Strata calent ſupraque torum niger efflat anhelo
Ore vapor. manus hæc fuſos à tempore læuo
Suſtentat crines, hæc cornu oblita remiſit.
Sunt etiam innumero rerum vaga ſomnia vultu:
Vera ſimul falſis permixtaque triſtia blandis.

Statius l.10.Theb.

Noctis erat medium; & ſomnus ſua regna reuiſens
Amalium cura feſſum, vinoque grauatum.
Acceſſit prope (ſic ſuperi voluiſtis) & illum
Lethæa mulſit medicati aſpergine rami,
Terque recuſanti nutantia lumina clauſit.
At non, ſollicita euentu Theutilla futuro
Soluitur in ſomnum, vino dum languidus alter,
Et captus ſomno poſuit caput.

P.Gam.Strada l.2.Prol.6.Acad.2.

En Pandulina pandit inſtanti manus
Pandicula ſomno, corpus inuadam meum eſt.
Oſcædo, & os hiulcat; inuadam meum eſt.
Nictela nitit languidas feſſis genas
Conduplicat oculis; proditam primo impetu
Irrumpo in vrbem victor: innado mea eſt.
Nunc iunge vires Ronche, quin ronchos cies?
Dum corde toto tota bacchatur quies,
Dum victa victor membra componit ſopor.
Vos quoque ſoporis noctuli comites nigri
Hunc noctulini maximi Morphei genus
Properate propere ſomniorum examina
Ludibria ſomni obijcite dormirantibus.

P.Bern.Stephonius in Mimo ac.1.ſc.3.

Somne quies animi, curarum ſomne leuamen,
Et primus placidos inter habende Deos:
Seu prope Cimmerios tua te tenet aula iacentem,
Seu legis in tenera molle papauer humo:
Seu geminas aperis valuas, habituraque mittis
Somnia, ſeu mittis non habitura fidem:
Huc ades, & tacitis allabens leniter alis,
Noſtra ſoporifera lumina tange manu.
Tu reparas vires, reddiſque laboribus aptas;
Tu ſiſtis lacrymas, ægraque corda leuas.
Tu curas circum regalia ſceptra volantes,

Et

Et procul inuiſos cogis abeſſe metus.
Tu ſæuas acies cum tota viribus ira
Exuis, & melius quolibet hoſte domas.
Quaque venis, ſecura quies comitatur euntem:
Illa eſt grata tuæ cauſa, comeſque viæ.
Illa (nec inuideo) per te tot millia mulcet.
Cur non ſum de tot millibus vnus ego? *Et inf.*
Nil ago: blanditias, & non tibi debita verba
Perdimus, ò tenebris turpior ipſe tuis.
Somne niger, nigro cui pectus concolor ori,
Ferree, nec mites inter habende Deos.
Noxia ſomne quies, iacturaque maxima vitæ:
Hæc, hæc ſunt meritis nomina digna tuis.
Quæ peperit Furias, quæque vmbras nocte volantes,
Dicitur hæc eadem te peperiſſe parens.
Eumenidum frater, metuendaque mortis imago,
Sis procul, & longè lumina noſtra fuge.
Corpora, quæ ſternis, quid ſunt niſi funera? ſpirant;
Hoc vnum vitæ, cætera mortis habent.
Mors vires mentemque adimit quis mente, quis ore,
Quiſque manus promptus, te veniente, fuit?
Spes Priami Rheſus cauſa non occidit vna:
Proditus à ſomno, cæſus ab hoſte fuit.
Quid referam Danai generos, in vulnera quorum
Somnus fæmineas impulit ipſe manus?
Somnus amat fraudes: ſomno fraus vſa miniſtro
Exitio populos, regnaque tota dedit.
An mentes ideo noſtras curaque, metuque
Ad ſua ne vigilent damna, ſceleſte leuas?

P. Sidron. Hoſchius l. 2. El. 18.

Pellibus hirſutum ſomno caput, hiſpida membra
Pellibus in Scythicas hyemes, Arctonque rigentem,
In longas poſuit quà pigra cubilia noctes
Torpidus, & placidam tacito procul orbe quietem.
Humebant hebetes oculi, nictuque frequenti
Palpebra vix dubiam lucem tremebunda ferebat;
Pendebatque caput collo graue: lingua retentis
Hærebat taciturna ſonis; greſſuque labanti
Fallebant tremulas veſtigia languida plantas.
Dextra gerit plenum Lethæi fluminis vnda
Roreque nocturno, liquidoque papauere cornu,
Quo tenues auras, & quo mortalia tingit
Lumina, & irriguum fundit per membra ſoporem.

Ant. Chanut. in Parn. oet. Soc. Ieſu.

Dixerat omnipotens cum membra rubentia ſolui,
Et vigor attentis cæpit decedere neruis,
Et vires languere homini, nebulæque, vaporque
Erectum inclinare caput, collapſaque claudi
Lumina. quin cunctis ſubrepſit inertia mollis
Senſibus, ignaruſque ſibi quid fata pararent,
Languidulos artus viridi proiecit in herba,
Iamque illos tollens, iterumque, iterumque relabens,
Sæpius, & prono feriens ſua pectora mento,

Deſe-

Defecit ſibimet: donec demiſſus ab alto
Somnus adeſt, cinxitque ſuis caua tempora ſuccis
Et gelido aſpeiſit medicata papauera rore.
Dormit, marcentique animæ ſopor altius infert
Otia, componitque virum. non flamine frondes,
Non motæ ventis ſegetes, ſiluitque ſonorum
Quidquid erat.

Gaſp. Barlaus Heroic. l. 4.

VALETVDO.

Bona Valetudo.

Diua funeſtis inimica morbis,
Cui vigor mentis, ſolidumque robur
Et ioci dulces, animique ſemper
Gaudia cordi.
Te Voluptatis canimus parentem,
Candidam blandæ Veneris ſodalem;
Vnicum vitæ decus & malorum
Dulce leuamen.
O quies rerum, ò hominum benigna
Mater, ò cunctis veneranda; namque
Vt ſimul cœtus hominum caducos
Alma reuiſis.
Ilicet morbi fugiunt proterui,
Occidit febris truculenta, dirus
Occidit pallor, fera mors profundo
Exulat Orco.
Huc ades tandem bona Diua, & artus
Languidos aura refoue ſalubri,
Ne meam labes edat immerentem
Atra iuuentam.

M. Ant. Flaminius l. 1. car.

Mala Valetudo.

IAmque ego pectus iners, & inutile pondus, habebam
Nomina vix vitæ, cœtera mortis erant.
En vocat hæc vultus meſſis iam pallida falcem,
Hic in fronte cinis quod niſi funus olet?
Nonne vides medium vitæque, neciſque cadauer?
Membraque pars animi quantulacunque regit?
Scilicet huius erat iactura facillima vitæ:
Quæ ſit vita licet, plus habet vſque necis.
Iam mihi Perſephone nigram deſcripſerat horam;
Impendebat enim parua ruina domus.
Parua: minutatim nam longo ex tempore cœpit,
Quæque diu venit, non venit ante diem.

P. Vinc. Guiniſius eleg. 4.

Homo ægrotus.

Longus enim curis vitiatum corpus amaris,
Non patitur vires languor habere ſuas.
Os hebes eſt, poſitæque mouent faſtidia menſæ;
Et queror inuiſi cum venit hora cibi.
Vix igitur poſſis viſos agnoſcere vultus,
Quoque ierit, quæras, qui fuit ante color.
Paruus in exiles ſuccus mihi peruenit artus,
Membraque ſunt cera pallidiora noua.

Ouidius l.1.de Pon.el.vlt.

Tarquinio iucunda precor; quem diligis, æger
Ingemit, & lenta tabe pereſus abit.
Morbida vis faciles ſenſim populata medullas
Intentat properam viribus aucta necem.
Albida tabentes macies corrumpere malas
Cœpit, & inceſtat lur'dus ora color.
Feſſa labat ceruix, tuſſis quatit aſpera pectus.
Crura tremunt, cœcum viſcera vulnus alunt.
Flammaque paulatim graciles depaſcitur artus,
Abditaque inrrorſus lumina penè latent.
Et licet attritis ſuccos Epidaurius herbis
Miſceat, immitis permeat oſſa lues.

Aug.Maſcardus l.3.ſilu.

.... ſcilicet heu tuis
Immane quantum febris inæſtuat
Anhela membris, inquieta vt
Vena ſalit ſpatijs iniquis.
Et nunc inhorres frigore pallido,
Nunc te Chimæræ vis grauis igneæ
Exhaurit afflans, dum ſeuerè
Cura negat pia fontis vndas.
Vt cœcus humor pectore feruido
Deprœliatur? tendit vt intima
Præcordia ardor? flagrat Ætna
Vt tacita iecur æſtuoſum?
Scabraſque fauces vt ſitis aſperat:
Ceu frons ab ictu diſſilit æneo;
Iam cedit ars, ceſſere ſucci
Pœonij liquidumque nectar.
Dulcis iuuentæ nunc vbi murices?
Quid ſuperſtes nobilis illius
Formæ? aſſidenti ò dulce votum
Fratri, & amor breuior dolenti.

P.Io.Bap.Maſculus l.2.Lyr.Ode 37.

Quatuor incertus vitæ ſine lumine ſoles
Viderat affixus lecto Ludouicus, & artus
Dira febris torrebat adhuc. caligo iacentis
Ingruit ante oculos; morituro frigidus atram
Profluit in frontem ſudor: grauis arida languor
Pectora corrumpit: cedunt è corpore ſenſus,
Vis perit, & labris vox mortua conditur, omnes

Et

Et nati ſimul & coniux extrema legebant
Spiramenta animæ; cùm protinus halitus ore
Amplius haud errat patulo. iam labra rigeſcunt:
Iam macies malas minuit: pupilla quieſcit.

P. Car. de Luca l. 3. Dom Laur.

Proludet febris, aridumque ſiccis
Torrebit iecur inquieta flammis.
Increſcet dolor; improbèque ſuſum
Intra viſcera ſæuiet venenum.
Ægrum tu latus interim per omnes
Verſabis thalamo gemente partes:
Et vano Mithridaticam rogabis
Voto Pæonios opem magiſtros;
Qui nunquam tibi vinculo reſoluent
Affixos adamantino dolores.
Tunc toto macies ſubire vultu
Et palleſcere bellæ imago formæ,
Et liuere genæ, ſuique pergent
Oblita decoris rigere malæ:
Tunc mutæ titubare verba linguæ,
Et fractis oculi emori vitellis.
Tunc frigeſcere ſanguis, & gelata
Vitalis tenor abſtinere vena.
Ipſo tu tamen à gelu æſtuabis,
Cum frenis dolor irruet ſolutis.
Tunc pulſa requies abire ſomno,
Longè creſcere noctium tenebræ;
Tuque odiſſe dapes; ſuiſque clauſum
Se ſubducere ferculis palatum,
Tunc ſi nectareum miniſtret ægro
Suetus vernula, nauſeabis hauſtum,
Auditas toties, & appetitas
Porrò attendere fabulas pigebit.
Sordebit chelys, Orpheuſque nullas
Vllo murmure commouebit aures.

P. Iac. Bidermanus ſil. l. 2. ſilua 7.

Conijcit hæc ſe ſe membris, ſudorque per artus
Voluitur, & gelido lubricus amne rigor.
Quid faceret? molli deponit corpora lecto,
Nec fouet inſomni corpora nocte quies.
Sed tamen arcano peſtis violenta veneno
Allapſu grauior viſcera ad ima fluit.
Iamque exundanti tumefactum flumine corpus
Æſtuat, ac torrens veſcitur oſſa calor.
Nec mora, nec requies: ſtat inexuperabilis ardor,
Et mage crudeſcens membra deuſta vorat.
Peruigil inſomnem queritur dum voluere noctem,
Excubat, vt laceret pectora nocte dolor.

P. Al. Donatus l. 3. el. vlt.

Iam puer inſano cruciatus corpora morbo
Pallebat molli deiectus membra grabato.
Nec vigor vllus erat, tantum vis morbida venis
Sæuierat, penituſque omnes populata medullas

Non-

Nondum maturum perſuaſerat innida robur,
Scilicet arcanæ depaſtæ viſcera febres
Marmoreos validis torrebant ignibus artus.
Sanguine paulatim exucto robur oris honeſti
Dum cadit, & macies maculoſa tabe vagatur,
Et conſanguineus lethi ſe ſe vndique pallor
Fundit, vbique lues, & plurima mortis imago.
Quis queat exanguem ſine fletu cernere vultum
Deciduum, quis frontis ebur, formamque virilem
Triſte laborantem, & mortis ſub mole gementem?
Quis gemitus ſurda funeſtos ebibat aure,
Et querulam fibris vocem pereuntis ab imis
Emiſſam? nempe ardenti ceruice dolores
Bacchantur ſæuiſque caput feruoribus vrgent.

Bened. Milanus in Epic. Proſ. Colum.

Non obſcura graui ceruix oppreſſa veterno
Signa dabat, terraque oculi ſub nocte natantes:
Et quæ furtiuo populatur viſcera lapſu
Inſicera lues, lethi comes arida febris:
Quæ quamuis gelidis immixta rigoribus alget,
Acrius accenſos rurſus reuireſcit in ignes,
Proh rerum mutata fides iuuenilibus olim
Purpureum membris color elargitus honorem
Decidit, & ſolido viduantur robore vires,
Sanguis hebet venis: ſunt ora ſimillima buxo:
Suſtulit egregium macies inuiſa vigorem.
Quam ſubitò fugiunt contracto gaudia vultu,
Et riſus faciles, & vocis amabilis aura!

Idem in Soteria ad Card. Aſt. Colum.

Hactenus expertem morbi, ac ſecura trahentem
Tempora, continuò gelidus perualerat horror
Igneus hinc venis calor incidit, actaque ſenſim
Interius lenta febris contage peredit:
Non hæc alternis vicibus reuoluta, fugaxque
Sæpius, atque iterum recidiua in corpora ſerpens;
Sed non vlla pati docilis commercia nullo
Interrupta die flamma carpebat edaci.
Interea ſiccas torrens ſitis improba fauces,
Hauſtibus eluitur nullis, gliſcitque medendo.
Hoc tamen aſperius, morboque immanior omni,
Longa quod inſomnis pariter noctiſque, dieque
Tempora ducebam: nec me pars vlla quietis,
Illapſuſue ſopor languentia membra fouebat.

P. Dion. Petauiu. in Carm. Poet. Soc. Ieſu.

Morbidus, & pluribus corporis vitijs obnoxius.

IN maſſam corpus languor contraxit: at ingens
Attollit dorſum prægrandi tubere gibbus,
Obſtipumque infra caput obruit, arida pellis
Membra tegit, niſi qua vlceribus deformis hiulcis

Rum-

Rumpitur, atque iutus venas ſpectare trementes,
Et conſumpta finit ieiuni viſcera ventris.
Committi lumbis humeros, & crura putares;
Claudicat adductis quamquam crus debile neruis.
Immenſum genuumque orbes, talique rigentes
Intumuere, pedum articulos depaſcitur vlcus
Horribili ſanie. capitis iam dicere formam
Quis valeat; pilus occiput hiſpidus aſperat ægrum
Infami ſcabre, & putris porrigine tabi,
Cętera læue caput, teſtaque vrendo recocta
Torridius. cruor auriculis diſtillat adeſis.
Triſte ſupercilium ſpinoſius hiſtrice malæ
Illuuiem ſquallore tegit. ſed viſcus adempto
Ex oculo manat; dum vix bene ſanior alter
Suppeditat tenuem pertæſo viuere lucem.
Ex P. Laur. le Brun eloq. Poet. to. 1.

Phreneſis.

AC veluti accenſo feruet vbi ſanguine febris
Æſtiuique fouent ſoles, & Sirius ignis
Viſcera carpentem flammam; vapor ater in altam
Arcem animi læſo flammata bile cerebro
Subuehitur, furioſa mouens deliria menti
Confuſis ab imaginibus informia fingit
Monſtra, & terrificos agitato ſanguine vultus
Tum mente indomitis emota ardoribus ægri
Reijciunt medicatque manus monituſque ſalubres
Palpitat, & rabies ipſa inuolat ora medentum:
Sani igitur manicas properant, & vincla propinqui.
P. Ant. Millieus l. 16. to. 2.

Deliquium, ſeu defectio animi.

STant oculi rerum immemores, raptuque ſupino
Intenti lucem ablegant; cælumque requirunt.
Vitales toto requierunt pectore motus:
Nec vigor extinctus, tacito licet ore ſepultus.
Nempe animum ſubiere perempti funera nati;
Et dolor humanis ſoluit præcordia curis,
Affixitque polo mentem, ſenſumque ſequacem:
Atque animat vegetas per amica ſilentia vires.
P. Pulchatellus l. 1. car. 6.

At corpus ſine mente iacet, non labra gubernat
Halitus ad vocem; iam torpet anhelitus oris
In venis iam ſanguis hebet, non palpitat imum
Pectus, & in media cor pectoris arce quieſcit.
Lumina fixa parent, ſtant tegmina neſcia flecti,
Immotumque ſupercilium. ferale cadauer
Dixiſſes, niſi quod vitam ſapit oris honeſtas.
Neſcio quid ſpirat, vitæ ſine munere vultus.
P. Vinc. Guiniſius car. 9.

Tuſſis

Tuſſis & Phthiſis.

IAmque animæ tenerum follem, & vitale flabellum
Tabe liquans, ſæuibat edax in pectore morbus.
Hic matura lues, & fallere neſcia tempus,
Iam retegi, lentas æſtu ſuccendere venas.
Olli purpureæ lanuginis occiduus flos
Defluere, & ſuauè indecores tabeſcere malæ,
Triſtiaque obſeſſis contagia ſerpere membris.
P. Pulcharellus l. 2. Paon.

Quid tantum hanc pulſas animam mala pectoris hoſpes,
Et fragiles vitæ ſuccutis alta fores?
Quid me adeo ſpirare vetas atque ima profundo
Pectora ſingultu pulſa, repulſa premis?
Vincula ſi noſtrum fuerent adamantina pectus,
Impete ſat poterant diſſiluiſſe tuo.
Cede loco veſana, quid ò tam ſæua recurris,
Et toties pulſo gutture rauca ſonas?
Quid follem hoc geſtis vitalem inflare veneno?
I fera, ſic fauces inſice Gorgoneas,
Angor, & heu totos penitus traiecta per artus
Figere me tentat ſæua doloris acus.
Inſidioſa animæ clauſum penetrale pererras,
Et vitam è propria cominus arce petis.
Spumantem ex imo vix pectore vellimus æſtum,
Quo tenues animæ ſupprimis arcta ſinus.
Fuacibus inſultas, & ineluctabilis obſtas,
Ne faciles vitæ tranſigat aura vices.
Inque fatigatum repetitis pulſibus hauſtum
Nequicquam occluſos nititur ante fores
Dumque animæ tenues intercipis aſpera ductus,
Spiritus impulſu ſubſilit vſque tuo.
Frangitur, & victis nequicquam aſſultibus hæret,
Neſcius obſtructum rumpere vocis iter.
Nixibus immoritur preſſis, & creber anhelo
Obdita ſucceſſu pellere clauſtra fremit.
Ah latus, ah pectus laxa compage reſoluor.
Ilia quis tantus diſſuit ima labor?
Semper hic ex imis animam trahet oſſibus angor,
Spumeus & pleno gliſcet in ore rumor?
P. Pulcharellus l. 3. el. 9.

Cæcitas.

HEu ſubitas noctes! quantis cadit vmbra tenebris?
Vndique Cimmerio pingitur ore dies.
Nuſquam Hyperioniæ lucent mihi lampadis ignes,
Occulit ipſa ſuas inuida Luna faces.
Vrgeor æterna caligine: nigraque circum
Omnia. me ſolus non fugit iſte color.
Inde vagus prenſo veſtigia dirigo muro,
Aut baculo incertos pono regente pedes.
P. Iac. Bidermanus Heroum l. 3. ep. 5.

Peſti-

Peſt lentia.

HÆc ratio quondam morborum, & mortifer æſtus
Finibus Cecropijs funeſtos reddidit agros,
Vaſtauitque vias, exhauſit ciuibus vrbes.
Præterea iam paſtor, & armentarius omnis,
Et robuſtus item curui moderator aratri
Languebant, penituſque caſis contruſa iacebant
Corpora, paupertate & morbo dedita morti
Exanimis pueris ſuper exanimata parentum
Corpora nonnunquam poſſes retroque videre
Matribus, & patribus natos ſuper edere vitam.
Nec minimam partem ex agris ægrotis in vrbem
Confluxit, languens quem contulit agricolarum
Copia conueniens ex omni morbida parte.
Omnia condebant loca, tectaque: quo mage eos tum
Confertos ita aceruatim mors accumulabat.
Multa ſiti proſtrata viam per, proque voluta
Corpora ſilanos ad aquarum ſtrata iacebant
Intercluſa anima nimia ab dulcedine aquai.
Multaque per populi paſſim loca prompta, viaſque
Languida ſemianimo tum corpore membra videres
Horrida pædore, & pannis cooperta perire
Corporis illuuie: pellis ſuper oſſibus vna
Viſceribus cœcis prope iant, ſordique ſepultis.
Lucretius l.6.

Hic quondam morbo cœli miſeranda contra eſt
Tempeſtas, totoque autumni incanduit æſtu:
Et genus omne neci pecudum dedit omne ferarum:
Corrupitque lacus, infecit pabula tabo.
Nec via mortis erat ſimplex; ſed vbi ignea venis
Omnibus acta ſitis miſeros adduxerat artus;
Rurſus abundabat fluidus liquor, omniaque in ſe
Oſſa minutatim morbo collapſa trahebat.
Virgilius l.3.Georg.

Iura domoſque dabam; ſubito cum tabida membris
Corrupta cęli tractu; miſerandaque venit
Arboribuſque, ſatiſque lues, & lethifer annus,
Linquebant dulces animas, aut ægra trahebant
Corpora. tum ſteriles exurere Sirius agros:
Arebant herbæ, & victum ſeges ægra negabat.
Virgil.l.3.Æn.

Principio cęlum ſpiſſa caligine terras
Preſſit, & ignauos incluſit nubibus æſtus:
Dumque quater plenis expleuit cornibus orbem,
Luna quater plenum tenuata retexuit orbem,
Lethiferis calidi ſpirarunt æſtibus auſtri
Conſtat & in fontes vitium veniſſe, lacuſque
Milliaque inculto ſerpentum multa per agros,
Erraſſe, atque ſui fluuios temeraſſe venenis
Strage canum primò, volucrumque, auiumque, boumque,
Inque feris ſubiti deprenſa potentia morbi eſt.

Con-

Concidere infelix validos miratur arator
Inter opus tauros, medioque recumbere ſulco;
Lanigeris gregibus palatus dentibus ægros,
Sponte ſua lanæque cadunt & corpora tabent
Acer equus quondam, magnæque in puluere famæ
Degenerat palmæ, veterumque oblitus honorum
Ad præſepe gemit morbo moriturus inerti.
Non aper iraſci meminit, nec fidere curſu
Cerua, nec armentis incurrere fortibus vrſi.
Peruenit ad miſeros damno grauiore colonos
Peſtis, & in magnæ dominatur mœnibus vrbis.
Viſcera torrentur primo flammiſque fatiſcunt:
Indicium rubor eſt, & ductus anhelitus igni.
Aſpera lingua tumet, tepidiſque arentia ventis
Ora patent, auręque graues captantum hiatu.
Non ſtratum, non vlla pati velamina poſſunt,
Dura ſed in terra ponunt præcordia, nec fit
Corpus humo gelidum, ſed humus de corpore feruet.
Fontibus, & fluuijs, puteiſque capacibus hærent:
Nec ſitis eſt extincta prius, quàm vita bibendo.
Inde graues morbo nequeunt conſurgere, & ipſis
Immoriuntur aquis, aliquis tamen haurit & illas.
Tantaque ſunt miſeris inuiſi tædia lecti
Proſiliunt, aut ſi prohibent conſiſtere vires
Corpora deuoluunt in humum, ſugiuntque penates.
Ouidius l.7.met.

Nec vlla pars immunis exitio vacat:
Sed omnis ætas pariter, & ſexus ruit,
Iuueneſque ſenibus iungit, & natis patres
Funeſta peſtis, vna fax thalamos cremat,
Fletuque acerbo funerà, & quæſtu carent,
Quin iſta tanti peruicax clades mali
Siccauit oculos: quodque in extremis ſolet,
Periere lacrymæ. portat hunc æger parens
Supremum ad ignem; mater hunc amens gerit,
Properatque vt alium regerat in eumdem rogum.
Quin luctu in ipſo luctus exoritur nouus,
Suæque circa funus exequiæ cadunt,
Tum propria flammis corpora alienis cremant.
Non oſſa tumuli ſancta diſcreti tegunt;
Arſiſſe ſatis eſt. pars quota in cineres abit?
Deeſt terra tumulis: iam rogos ſiluæ negant.
Seneca in Oed. act.3. ſc.4.

Stirpis inuictæ genus interimus,
Labimur ſæuo rapiente fato:
Ducitur ſemper noua pompa morti.
Longus ad Manes properatur ordo
Agminis mæſti, serieſque triſtis
Hæret, & turbæ tumulos petenti
Non ſatis ſeptem patuere portæ.
Stat grauis ſtrages, premiturque iuncto
Funere funus,
O dira noui facies lethi,

Gra-

Grauior letho.. piger ignauos
Alligat artus languor, & ægro
Rubor in vultu, maculæque caput
Sparſere leues; tum vapor ipſam
Corporis arcem flammeus vrit,
Multoque genas ſanguine tingit,
Oculique rigent, & ſacer ignis
Paſcitur artus. reſonant aures
Stillatque niger naris aduncæ
Cruor, & venas rumpit hiantes.
Intima creber viſcera quaſſat
Gemitus ſtridens. petitis fontes
Aliturque ſitis latice ingeſto.
Oroſtrata iacet turba per aras
Oratque mori.

Idem in Cho. act. 1. in Oed.

Aut grauibus morbis, & lenta corpora tabe
Corripit, exuſtis lethalis flamma medullis:
Labenteſque rapit populos, totaſque per vrbes
Publica ſuccenſis peraguntur fata ſepulcris,
Qualis Erichthonios peſtis populata colonos
Extulit antiquas per funera pacis Athenas,
Alter in alterius labens cum fata ruebant.
Nec locus artis erat Medicæ, nec vota valebant.
Ceſſerat officium morbis, & funera deerant,
Mortibus, & lacrymæ: feſſus defecerat ignis,
Et coaceruatis ardebant corpora membris.
Ac tanto quondam populo vix contigit hæres.

Manilius lib. 1.

Ni ſubito importuna lues inimicaque peſtis
Polluto miſeris rapuiſſet gaudia cœlo,
Fumabat craſſus nebulis caliginis aer,
Squallebat tellus vitiato feruida dorſo,
Nec victum dabat, aut vllas languentibus vmbras,
Atque ater picea vapor expirabat in æthra,
Vim primi ſenſere canes, mox nubibus atris
Fluxit deficiens penna labente volucris,
Inde feræ ſiluis ſterni: tum ſerpere labes
Tartarea, atque hauſtis populari caſtra maniplis.
Arebat lingua, & gelidus per viſcera ſudor
Corpore manabat tremulo, deſcendere fauces
Abnuerant ſiccæ iuſſorum alimenta ciborum.
Aſpera pulmonem tuſſis quatit, & per anhela
Igneus efflatur ſitientum ſpiritus ora.
Lumina ferre grauem vix ſufficientia lucem
Vnca nare iacent, ſanieſque immixta cruore
Expuitur, membriſque cutis tegit oſſa pereſis.

Sil. Italicus l. 14.

En ſubito violenta lues (miſerabile viſu)
Agmina corripuit, ferroque minacior acri
Sternit humi iuuenes validos, & inertia vulgò
Corpora per campos: aer incanduit æſtu,
Afflatuſeue verat lenes, vndaſque ſalubres,

Cun-

Cunctaque præuitiant lato contagia morbo.
Cernit paſtor oues crudeli ſtrage peremptas,
Audaceſque dolet tauros occumbere campo
Inter opus medium, glebiſque perire ſolutis.
Nec minus ad miſeros peſtis veſana colonos
Venit, & in plenis gliſcit vis morbida caſtris;
Sæuit & in Gallos damno grauiore maniplos.
Illis ora patent tepidis arentia ventis
Suffuſæque natant luces, & ſangine fauces
Sudant, & fœdo fluit aſpera lingua cruore,
Soluuntur tandem latera, & præcordia tuſſis
Quaſſat, anhela ſitim non vlla extinguit aquæ vis;
Sed paſſim intereunt, animamque in flumine linquunt.

P.Tarq.Gallutius l.1.car.9.

Heu ſuper infeſtas molitur ab æthere flammas
Sirius, & calidis latrat mala funera terris
Funeribus patuere domus, cùm pallida lectos
Mors quateret procerum toties & triſtia luctum
Tecta fremens, gemitumque fores inferret apertas.
Non lacrymis vacua orta dies, non funere noctes;
Purpura Romanis iacet immatura ſepulcris.

P.Alex.Donatus l.2.car.1.

Tempore forte illo trepidos miſeranda Quirites
Fata crueptabant, & nullo fine laborum
Per campos graſſata lues, Cereriſque malignæ
Turpis auaritia, & ſegetum decocta ſupellex
Multa latinorum ſternebant corpora letho.
Vidiſſes hominum viua ſub imagine mortem,
Vmbraſque, & tenues vix vllo corpore vitas
Ire per attonitam miſeris pro ciuibus vrbem.
Publica quin etiam longo conclauia tecto
Fœta malis, Roma tam deficiente labori
Curantum vitia, & turpi ſub morte cadentum.

P.Vinc.Guiniſius car.13.

.... ſcit triſti deſtifer annus
Sidere cùm latè Heſperias graſſata per oras,
Dira fames, cœli vitio contacta gregatim
Agmina corripuit, depleuit ciuibus vrbes,
Funera funeribus ſuperaddidit edita vulgo.
Quin coaceruatis congeſta cadauera paſſim
Fœda cadaueribus (monſtrum miſerabile viſu)
Cernere erat, nullamque viam ſperare saluti.
Muſſabat Medicina: malo ceſſere Magiſtri
Quippe inſincero latè contagia tractu.
Prodiga vulgarat diri inclementia morbi.

P.Ber.Stephonius car.6.

Huic quondam cæli vitio, læſiue furore
Numinis, atra lues, ſæcliſque ignota priorum
Incubuit morbi facies, populumque per omnem
Sæuijt, haud quaquam ſolos depaſta nocentes.
Ac velut arentem æſtiuo cum ſidere meſſem
Falcibus immiſſi agricolæ ſuccidere certant;
It ferro populata ſeges; lateque per agros

Q Ster-

Sternitur, ac denſæ in terra cumulantur ariſtæ:
Haud aliter totam peſtis bacchata per vrbem
Perfurit, & miſeros nullo diſcrimine ſexus,
Ætatiſque rapit violenta in funera ciues.
Namque vbi ſe totis infuderat acta medullis
Flammea vis, tetros macieque obduxerat artus;
Tum fœda illuvies, atraque fluentia tabe
Viſcera: dum ſeſe membris ſacer omnibus ignis
Spargeret, & ſcabra exeſum putredine corpus
Luctantem tenues animam expiaret in auras.

P. Dion. Petauius in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Venerea lues, ſeu morbus Gallicus.

ERgo nouam Deus illaudata ab origine peſtem,
Peſtem olidam, infamem, infandam, dignamq; Priapo,
Flagitij immittit fœda prurigine diram
Vltricem: ſtygij cretam ex vligine cœni,
Ac phlegetonreæ perfuſam ſulphure flammæ.
Veſtibulo ex ipſo, atque ipſis faucibus Orci
Ignibus accinctum ſpirante cadauere monſtrum
Aduolat: ægra licet, putrique fluentia tabo
Membra trahat, fœmora, & tabentes vlcere lumbi
Illuie obſcœna, toto veſtigia tractu
Fœda notant. tantum diſtillat ab inguine virus,
Et diram vitiata procul fert aura Mephitim.
Ora patent arroſa; licet linoque, manuque
Obuelet pabulas, & hiantia naribus antra,
Arroſoſque oculorum orbes. imbrique natantes
Viſcoſo, ac putri pallentia lumina mucco.
Stridula vox, humiliſque, vſto luctata meatu
Faucibus ex raucis incluſa incendia venis,
Pectoreque oſtendit, pulmone & tuſſis anhelo
Haud æquare ſuum patitur clamore dolorem.

P. Ant. Millieus l. 24. Moyſ Viat.

Lepra morbus.

.... ſimul immunda prurigine ſanguis
Refluit in ſummos artus, atque ora Mariæ,
Vnde ſcatet maculoſa lues, putreſque lacunæ.
Tuberibus ſubitò ruptis ſparſa vlcera ſummam
Compungunt variantque cutim, vitiantque colorem
Areſcunt ægræ fauces: ſonat aſper ab imo:
Spiritus, exeſis ſtridunt iam naribus auræ,
Sibilaque ad ſcabram raduntur guttura vocem;
Et conata queri rauco dat murmure queſtus,
Nec reperit miſeranda modos clamoris acuti.

Idem l. 15 to. 1. Moyſ. Viat.

Venenum.

QVid hoc veneni ſerpit in præcordijs?
Num viperinus his cruor

Ince-

Incoctus herbis me feſellit? an malas
Canidia tractauit dapes?
Vt argonautas præter omnes candidum
Medea mirata eſt ducem,
Ignota tauris illigaturum iuga
Perunxit hoc Iaſonem:
Hoc delibutis vlta donis pellicem
Serpente fugit alite.
Nec munus humeris efficacis Herculis
Inarſit æſtuoſius.

Q. Horatius Epod. Ode 3.

Huc quidquid fœtu genuit natura ſiniſtro
Miſcetur, non ſpuma canum, quibus vnda timori eſt,
Viſcera non lyncis, non duræ nodus hyenæ
Defuit, & cerui paſti ſerpente medulla:
Non puppim retinens Euro tendente rudentes
In medijs Echeneis aquis, oculique draconum,
Non Arabum volucer ſerpens, innataque rubris
Æquoribus cuſtos pretioſæ vipera conchæ.
Aut viuentis adhuc lybicæ membrana ceraſtæ.

Lucanus l. 5.

Veneficia.

TErna tibi hæc primùm triplici diuerſa colore
Licia circumdo, terque hæc altaria circum
Effigiem duco. numero Deus impare gaudet.
Necte tribus nodis ternos Amarylli colores,
Necte Amarylli modo, & Veneris dic vincula necto.
Limus vt hic dureſcit & hæc vt cera liqueſcit.
Vno eodemque igni: ſic noſtro Daphnis amore.
Sparge molam; & fragiles incende bitumine lauros,
Fer cineres Amarylli foras, riuoque fluenti
Tranſque caput iace: ne reſpexeris, his ego Daphnim
Aggrediar.

Virgilius Eclo. 8.

Non illa Æmonio ſolum de germine frondens
Legerat, aut vni tantum credebat Iolcho
Spem ſceleris: non illa vlulæ, non omnia partæ,
Nil cecinit, quale Atracidum vox dira ſororum;
Sed canibus ſtygijs crudo de viſcere carpſit
Florem iræ, cordique ſuo conſanguineum cor,
Cerbereumque fel, & Lernæum ex angue cruorem,
Et iecur Harpyæ, & tunſa de Gorgone ſuccos:
Vipereum crinem furiarum, & ſumma totondit
Serpentum capita, & ſpiris extrema triſulcis
Illa etiam phlegethonteæ mala gramina ripæ
Meſſuit, atque Orci pullo de vere cicutam,
Quæque ſuis Acheron abſynthia fouit arenis
Ipſam hydram in calices, ipſum Pythona liquando
Soluerat, atque vnum Scyllæ, tria corda Chimeræ,
Et quoſcunque affuſa tegit Stygis vlua colubros
Credo etiam ſecta Pluton ad pocula vena

Sponte ſuam fudit meliori è ſanguine partem,
Et calido vitæ primum de fomite virus
Vna Hecate, Diræque omnes, atque infera Iuno,
Nudauere ſuos, & acu pupugere lacertos,
Atque animæ ſalientem æſtum furialis & atro
Venarum è ſucco tepidum effudere venenum.

P. Pulchãrellus l. 2. Paon.

Venefica ſiue Saga.

AT expedita Sagana per totam domum
Spargens auernales aquas,
Horret capillis, vt marinus, aſperis
Echinus, aut currens aper.
Abacta nulla Veia conſcientia
Ligonibus duris humum
Exhauriebat, ingemens laboribus:
Quo poſſet infoſſus puer
Longo die bis, terue mutatæ dapis
I nemori ſpectaculo
Cùm prominerct ore quantum extant aquæ
Suſpenſa mento corpora.
Exerta vti medulla, & aridum iecur
Amoris eſſet poculum.

Q. Horat. Epod. Ode 5.

Vidi egomet nigra ſuccinctam vadere palla
Canidiam pedibus nudis, paſſoque capillo
Cum Sagana maiore vlulantem (pallor vtraſque
Fecerat horrendas aſpectu) ſcalpere terram.
Vnguibus & pullam diuellere mordicus agnam
Cœperunt; cruor infoſſam confuſus; vt inde
Manes elicerent. animas reſponſa daturas.
Lanea & effigies erat, altera cerea: maior
Lanea, quæ pœnis compeſceret inferiorem.
Cerea ſuppliciter ſtabat. ſeruilibus vt quæ
Iam peritura modis. Hecaten vocat altera ſæuam,
Altera Tiſiphonem. ſerpentes atque videres
Infernas errare canes; lunamque rubentem,
Nec foret is teſtis, poſt magna latere ſepulcra.

Idem l. 1. Sat. 8.

Non ſpecies qualis ſagas decet, illa rigebat
Non inerat vetulis pallida ruga genis:
Non emiſſitijs oculis, faciliue rotatu,
Aut niue dilutis candidiore magis:
Fronte nec obducta furibundæ nubis amictu,
Atque ſupercilio penè loquente dolos.

P. Vinc. Guiniſius Ele. 5.

At vates Lodippa fuit, tot gnara malorum
Fœmina, quæ ſcelerum ritus, atque improba norat
Carmina, & inuitam Superis ſubducere lunam,
Siſtere ſolis equos, & noctis tempora claro
Permiſcere, die ſuffundere nubila cœlo,
Et totum reuocare chaos, dudumque ſepultos

Solli-

Sollicitare rogos, imiſque excire cauernis
Pallentes animas, obliuia tradere menti,
Cunctaque lethæi quaſſare ſilentia rami.
Hæc eadem quoties vellet lenire leænas,
Serpentumque genus proprio exarmare veneno,
Et fixas alio poterat traducere quercus
Fit lupus, & laxos vlulat nocturna per agros
Innocuo funeſta gregi; iam forma moloſſi eſt,
Et mala latrat anus; nunc turribus abdita celſis
Horrendum mugit ferali carmine bubo.
Frendet aper, nigri crocitat ſub imagine corui,
Reptat humi ſerpens mulier, fit dira Celæno,
Atque alibi ſuis obſcœnæ ſub corpore grunnit,
Tollitur & rapidis magnum per inane quadrigis,
Trans terras, pelagoſque volat, Rhodopenque niuoſam,
Sub pedibus Pindumque videt: quacumque vagatur
Secedunt longè volucres, liueſcit ariſta,
Nigreſcunt iactæ ſegetes, rubigine ſordent
Prata, iacent fracto violata papauera collo.
Hæc ventos ſubito tempeſtateſque ſonoras
Voce ciet, Cauroſque Notis, & Iapyga Cauris
Obijcit, aduerſiſque mouet certamina flabris,
Impellit placidas inopino murmure nubes
Terrificique ruunt tonitrus, modò fulmina iuſſu
Fabricat, & trifidos extundit nubibus ignes
Ignaro Ioue. diuulſas diſcedere terras
Cogit, & ingentes abſorbet hiatibus vrbes.

Gaſp. Barlæus Heroic. l. 4.

Vide infra Tit. Ars Magica.

INDOLES GENEROSA.

QVæ pietas, quantuſque rigor! tranquillaque magni
Vis animi, nulloque leuis terrore moueri,
Nec noua mirari facilis, quæ docta facultas
Ingenij, linguæque modus! reſponſa verentur
Legati, grauibuſque latet ſub moribus ætas.
Quantus in ore Pater! radiat quàm torua voluptas
Frontis, & auguſti maieſtas grata pudoris!
Iam patrias imples galeas: iam cornus auita
Tentatur: vibranda tibi promittitur ingens
Dextra rudimentis, Romanaque vota moratur.

Claudianus de IV. Hon. Conſ.

.... mens ardua ſemper
A puero, teneriſque etiam fulgebat in annis
Fortunæ maioris honos; erectus, & acer
Nil breue moliri, nullis hærere potentum
Liminibus, fatiſque loqui iam digna futuris;
Iam tunc conſpicuus, iam tunc venerabilis ibas,
Spondebatque ducem celſi nitor igneus oris,
Membrorumque modus: qualem nec carmina fingunt
Semideis quacumque altè graderer is in vrbe,

Inſultare in equo, crebroque laceſſere flexu
Spumantem, & patulis efflantem naribus ignem.
Aut procul & iaculo certare, & cominus enſe,
Spiculaque ad metam, aut glandes torquere ſonantes.
P. Dion. Petauius in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Educatio pia.

AST ætas vbi firmior
Acceſſit, omnis abſtinens culpæ, Deo
Deuota iungit pectora dotibus
Virtutis auctus: commoda
Vrbium curat: ſtudioſus æqui
Regum delicias ſpernit, & otium
Fontem malorum claudit, & amouet
Luxum criminis illicem:
Iuſtis præmia diuidit
Paruoſque pænæ corrigit timore.
Sic populorum
Munit amore latus, non enſe, aut militis haſtis.
Vrbanus VIII. Ode de S. Ludou.

Educatio militaris.

DVrum à ſtirpe genus: natos ad flumina primum
Deferimus, ſæuoque gelu duramus & vndis.
Venatu inuigilant pueri, ſiluaſque fatigant:
Flectere ludus equos, & ſpicula tendere cornu.
At patiens operum, paruoque aſſueta iuuentus
Aut raſtris terram domat, aut quatit oppida bello.
Omne æuum ferro teritur; verſaque iuuencum
Terga fatigamus haſta: nec tarda ſenectus
Debilitat vires animi, mutatque vigorem:
Canitiem galea premimus, ſemperque recentes
Conuectare iuuat prædas, & viuere rapto.
Virgilius l. 9 Æn.

Hìc natam in dumis, interque horrentia luſtra
Armentalis equæ mammis, & lacte ferino
Nutribat, teneris immulgens vbera labris.
Vtque pedum primis infans veſtigia plantis
Inſtiterat, iaculo palmas onerauit acuto,
Spiculaque ex humero paruæ ſuſpendit, & arcum,
Pro crinali auro, pro longæ tegmine pallæ
Tigridis exuuiæ per dorſum à vertice pendent.
Tela manu iam tum tenera puerilia torſit,
Et fundam tereti circum caput egit habena.
Strymoniamque gruem, aut album deiecit olorem.
Virgil. l. 11. Æn.

Excipit hìc natos glacies, & matris ab aluo
Artus infantum molles nix ciuica durat.
Pectore vix alitur quiſquam, ſed ab vbere tractus
Plus potat per vulnus equum; ſic lacte relicto
Virtutem gens tota bibit. creuere parumper,

Mox

Mox pugnam ludunt iaculis: hos ſuggerit illis
Nutrix plaga iocos. pueri venatibus apti
Luſtra feris vacuant: rapto dirata iuuentus
Iura colit gladij, conſummatamque ſenectam
Non ferro finire pudet.

Sid. Apollinaris in Paneg. Anthem.

Nempe florebas Alemanna quondam
Patrio pubes bene lota Rheno:
Cum tuos ſacra trutinauit vrna
Corniger ortus.
Cæduis ſtabat caſa recta ramis:
Vna paſtori, pecorique eandem
Vix ſuo maior domus inquilino
Præbuit vmbram.
Arborum veſtis, fuit & ſedentis
Arborem ſubter. tamen & ferarum
Pelle, vel lento pudor integebat
Vimine corpus.
Meta compreſſi nebuloſa lactis
Glande dimota ſubigebat iram
Ventris, & ſumans calidis ad ignem
Pultibus olla.

P. Iac. Balde l. 3. ſil. Ode 2.

Ille etiam arridens clypeo te ſæpe volentem
Suſtulit, & rutilæ protendens caſſidis aurum
Armauit puerile caput, latus enſe ſiniſtrum,
Et teneros fuluo preſſit thorace lacertos.
Mox bellis inferre metum, ſudare ſub armis,
Frigora ſæua pati, curſu tranſcendere montes,
In fluuijs reperire vadum, tranſire natatu
Qua latet, & ſtructis compeſcere pontibus amnes,
Nunc fugientis equi velocia flectere terga
Ediſcit, quo caſtra loco, quo ſigna, vigilque
Ponendus cuſtos; acies quæ vallibus aptæ
Quæue iugis. quantum Vulcania machina ferri
Eiaculet, quoque vſque ferat flammata fragorem.

Ex P. Laur. le Brun. to. 1. Eloq. Poet.

Iam puero Martis rabies, hoſtemque premendi
Ardor erat, galeæque micans in vertice fulgor,
Et fremitus ſpumantis equi, ſtrepituſque virorum,
Tympanaque, in medijs ſpirabant prælia campis.
Armabat balliſta manum, gladiumque peritus
Stringere, & edoctam Thracum præcepta machæram,
Ibat in hoſtiles cuneos, lituique, tubæque
Pugnandi fomenta dabant. hæc ſola voluptas
Inter pugnaces greſſum glomerare maniplos,
Et mixtos linguis populos. iam iuſſa phalanges
Et leges acies capiunt.

Gaſp. Barlæus Heroic. l. 2.

Puberis hinc pectus patriæ ſubit æmula laudis
Gloria in excita iam promicat indole virtus:
Claſſica iamque iuuant, lituumque, clangorque tubarum
Et belli ſimulacra, nouiſque effulgere in armis,

Inſultare in equo, crebroque laceſſere flexu
Spumantem, & patulis efflantem naribus ignem.
Aut procul & iaculo certare, & cominus enſe,
Spiculaque ad metam, aut glandes torquere ſonantes.
P. Dion. Petauius in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Educatio pia.

Aſt ætas vbi firmior
Acceſſit, omnis abſtinens culpæ, Deo
Deuota iungit pectora dotibus
Virtutis auctus: commoda
Vrbium curat: ſtudioſus æqui
Regum delicias ſpernit, & otium
Fontem malorum claudit, & amouet
Luxum criminis illicem:
Iuſtis præmia diuidit
Paruoſque pænæ corrigit timore.
Sic populorum
Munit amore latus, non enſe, aut militis haſtis.
Vrbanus VIII. Ode de S. Ludou.

Educatio militaris.

Dvrum à ſtirpe genus: natos ad flumina primum
Deferimus, ſæuoque gelu duramus & vndis.
Venatu inuigilant pueri, ſiluaſque fatigant:
Flectere ludus equos, & ſpicula tendere cornu.
At patiens operum, paruoque aſſueta iuuentus
Aut raſtris terram domat, aut quatit oppida bello.
Omne æuum ferro teritur; verſaque iuuencum
Terga fatigamus haſta: nec tarda ſenectus
Debilitat vires animi, mutatque vigorem:
Canitiem galea premimus, ſemperque recentes
Conuectare iuuat prædas, & viuere rapto.
Virgilius l.9 Æn.

Hìc natam in dumis, interque horrentia luſtra
Armentalis equæ mammis, & lacte ferino
Nutribat, teneris immulgens vbera labris.
Vtque pedum primis infans veſtigia plantis
Inſtiterat, iaculo palmas onerauit acuto,
Spiculaque ex humero paruæ ſuſpendit, & arcum,
Pro crinali auro, pro longæ tegmine pallæ
Tigridis exuuiæ per dorſum à vertice pendent.
Tela manu iam tum tenera puerilia torſit,
Et fundam tereti circum caput egit habena.
Strymoniamque gruem, aut album deiecit olorem.
Virgil. l. 11. Æn.

Excipit hìc natos glacies, & matris ab aluo
Artus infantum molles nix ciuica durat.
Pectore vix alitur quiſquam, ſed ab vbere tractus
Plus potat per vulnus equum; ſic lacte relicto
Virtutem gens tota bibit. creuere parumper,

Mox

Mox pugnam ludunt iaculis: hos ſuggerit illis
Nutrix plaga iocos. pueri venatibus apti
Luſtra feris vacuant: rapto dirata iuuentus
Iura colit gladij, conſummatamque ſenectam
Non ferro finire pudet.

Sid. Apollinaris in Paneg. Anthem.

Nempe florebas Alemanna quondam
Patrio pubes bene lota Rheno:
Cum tuos ſacra trutinauit vrna
Corniger ortus.
Cæduis ſtabat caſa recta ramis:
Vna paſtori, pecorique eandem
Vix ſuo maior domus inquilino
Præbuit vmbram.
Arborum veſtis, fuit & ſedentis
Arborem ſubter. tamen & ferarum
Pelle, vel lento pudor integebat
Vimine corpus.
Meta compreſſi nebuloſa lactis
Glande dimota ſubigebat iram
Ventris, & fumans calidis ad ignem
Pultibus olla.

P. Iac. Balde l. 3. ſil. Ode 5.

Ille etiam arridens clypeo te ſæpe volentem
Suſtulit, & rutilæ protendens caſſidis aurum
Armauit puerile caput, latus enſe ſiniſtrum,
Et teneros fuluo preſſit thorace lacertos.
Mox bellis inferre metum, ſudare ſub armis,
Frigora ſæua pati, curſu tranſcendere montes,
In fluuijs reperire vadum, tranſire natatu
Qua latet, & ſtructis compeſcere pontibus amnes,
Nunc fugientis equi velocia flectere terga
Ediſcit, quo caſtra loco, quo ſigna, vigilque
Ponendus cuſtos; acies quæ vallibus aptæ
Quæue iugis. quantum Vulcania machina ferri
Eiaculet, quoque vſque ferat flammata fragorem.

Ex P. Laur. le Brun. to. 1. Eloq. Poet.

Iam puero Martis rabies, hoſtemque premendi
Ardor erat, galeæque micans in vertice fulgor;
Et fremitus ſpumantis equi, ſtrepituſque virorum,
Tympanaque, in medijs ſpirabant prælia campis.
Armabat balliſta manum, gladiumque peritus
Stringere, & edoctam Thracum præcepta machæram,
Ibat in hoſtiles cuneos, lituique, tubæque
Pugnandi fomenta dabant. hæc ſola voluptas
Inter pugnaces greſſum glomerare maniplos,
Et mixtos linguis populos. iam iuſſa phalanges
Et leges acies capiunt.

Gaſp. Barlæus Heroic. l. 2.

Puberis hinc pectus patriæ ſubit æmula laudis
Gloria in excita iam promicat indole virtus:
Claſſica iamque iuuant, lituumque, clangorque tubarum
Et belli ſimulacra, nouiſque effulgere in armis,

 Diſce-

Inſultare in equo, crebroque laceſſere flexu
Spumantem, & patulis efflantem naribus ignem.
Aut procul & iaculo certare, & cominus enſe,
Spiculaque ad metam, aut glandes torquere ſonantes.
P. Dion. Petauius in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Educatio pia.

AST ætas vbi firmior
Acceſſit, omnis abſtinens culpæ, Deo
Deuota iungit pectora dotibus
Virtutis auctus: commoda
Vrbium curat: ſtudioſus æqui
Regum delicias ſpernit, & otium
Fontem malorum claudit, & amouet
Luxum criminis illicem:
Iuſtis præmia diuidit
Paruoſque pænæ corrigit timore.
Sic populorum
Munit amore latus, non enſe, aut militis haſtis.
Vrbanus VIII. Ode de S. Ludou.

Educatio militaris.

DVrum à ſtirpe genus: natos ad flumina primum
Deferimus, ſæuoque gelu duramus & vndis.
Venatu inuigilant pueri, ſiluaſque fatigant:
Flectere ludus equos, & ſpicula tendere cornu.
At patiens operum, paruoque aſſueta iuuentus
Aut raſtris terram domat, aut quatit oppida bello.
Omne æuum ferro teritur; verſaque iuuencum
Terga fatigamus haſta: nec tarda ſenectus
Debilitat vires animi, mutatque vigorem:
Canitiem galea premimus, ſemperque recentes
Conuectare iuuat prædas, & viuere rapto.
Virgilius l. 9 Æn.

Hic natam in dumis, interque horrentia luſtra
Armentalis equæ mammis, & lacte ferino
Nutribat, teneris immulgens vbera labris.
Vtque pedum primis infans veſtigia plantis
Inſtiterat, iaculo palmas onerauit acuto,
Spiculaque ex humero paruæ ſuſpendit, & arcum,
Pro crinali auro, pro longæ tegmine pallæ
Tigridis exuuiæ per dorſum à vertice pendent.
Tela manu iam tum tenera puerilia torſit,
Et fundam tereti circum caput egit habena.
Strymoniamque gruem, aut album deiecit olorem.
Virgil. l. 11. Æn.

Excipit hic natos glacies, & matris ab aluo
Artus infantum molles nix ciuica durat.
Pectore vix alitur quiſquam, ſed ab vbere tractus
Plus potat per vulnus equum; ſic lacte relicto
Virtutem gens tota bibit. creuere parumper,

Mox

Mox pugnam ludunt iaculis: hos ſuggerit illis
Nutrix plaga iocos. pueri venatibus apti
Luſtra feris vacuant: rapto dirata iuuentus
Iura colit gladij, conſummatamque ſenectam
Non ferro finire pudet.

Sid. Apollinaris in Paneg. Anthem.

Nempe florebas Alemanna quondam
Patrio pubes bene lota Rheno:
Cum tuos ſacra trutinauit vrna
Corniger ortus.
Cæduis ſtabat caſa recta ramis:
Vna paſtori, pecorique eandem
Vix ſuo maior domus inquilino
Præbuit vmbram.
Arborum veſtis, fuit & ſedentis
Arborem ſubter. tamen & ferarum
Pelle, vel lento pudor integebat
Vimine corpus.
Meta compreſſi nebuloſa lactis
Glande dimota ſubigebat iram
Ventris, & fumans calidis ad ignem
Pultibus olla.

P. Iac. Balde l. 3 ſil. Ode 5.

Ille etiam arridens clypeo te ſæpe volentem
Suſtulit, & rutilæ protendens caſſidis aurum
Armauit puerile caput, latus enſe ſiniſtrum,
Et teneros fuluo preſſit thorace lacertos.
Mox bellis inferre metum, ſudare ſub armis,
Frigora ſæua pati, curſu tranſcendere montes,
In fluuijs reperire vadum, tranſire natatu
Qua latet, & ſtructis compeſcere pontibus amnes,
Nunc fugientis equi velocia flectere terga
Ediſcit, quo caſtra loco, quo ſigna, vigilque
Ponendus cuſtos; acies quæ vallibus aptæ
Quæue iugis. quantum Vulcania machina ferri
Eiaculet, quoque vſque ferat flammata fragorem.

Ex P. Laur. le Brun. to. 1. Eloq. Poet.

Iam puero Martis rabies, hoſtemque premendi
Ardor erat, galeæque micans in vertice fulgor;
Et fremitus ſpumantis equi, ſtrepituſque virorum,
Tympanaque, in medijs ſpirabant prælia campis.
Armabat balliſta manum, gladiumque peritus
Stringere, & edoctam Thracum præcepta machæram,
Ibat in hoſtiles cuneos, lituique, tubæque
Pugnandi fomenta dabant. hæc ſola voluptas
Inter pugnaces greſſum glomerare maniplos,
Et mixtos linguis populos. iam iuſſa phalanges
Et leges acies capiunt.

Gaſp. Barlæus Heroic. l. 2.

Puberis hinc pectus patriæ ſubit æmula laudis
Gloria in excita iam promicat indole virtus:
Claſſica iamque iuuant, lituumque, clangorque tubarum
Et belli ſimulacra, nouiſque effulgere in armis,

Inſultare in equo, crebroque laceſſere flexu
Spumantem, & patulis efflantem naribus ignem.
Aut procul & iaculo certare, & cominus enſe,
Spiculaque ad metam, aut glandes torquere ſonantes.
P. Dion. Petauius in Parn. 1 oct. Soc. Ieſu.

Educatio pia.

Aſt ætas vbi firmior
Acceſſit, omnis abſtinens culpæ, Deo
Deuota iungit pectora dotibus
Virtutis auctus: commoda
Vrbium curat: ſtudioſus æqui
Regum delicias ſpernit, & otium
Fontem malorum claudit, & amouet
Luxum criminis illicem:
Iuſtis præmia diuidit
Paruoſque pænæ corrigit timore.
Sic populorum
Munit amore latus, non enſe, aut militis haſtis.
Vrbanus VIII. Ode de S. Ludou.

Educatio militaris.

DVrum à ſtirpe genus: natos ad flumina primum
Deferimus, ſæuoque gelu duramus & vndis.
Venatu inuigilant pueri, ſiluaſque fatigant:
Flectere ludus equos, & ſpicula tendere cornu.
At patiens operum, paruoque aſſueta iuuentus
Aut raſtris terram domat, aut quatit oppida bello.
Omne æuum ferro teritur; verſaque iuuencum
Terga fatigamus haſta: nec tarda ſenectus
Debilitat vires animi, mutatque vigorem:
Canitiem galea premimus, ſemperque recentes
Conuectare iuuat prædas, & viuere rapto.
Virgilius l. 9 Æn.

Hic natam in dumis, interque horrentia luſtra
Armentalis equæ mammis, & lacte ferino
Nutribat, teneris immulgens vbera labris.
Vtque pedum primis infans veſtigia plantis
Inſtiterat, iaculo palmas onerauit acuto,
Spiculaque ex humero paruæ ſuſpendit, & arcum,
Pro crinali auro, pro longæ tegmine pallæ
Tigridis exuuiæ per dorſum à vertice pendent.
Tela manu iam tum tenera puerilia torſit,
Et fundam tereti circum caput egit habena.
Strymoniamque gruem, aut album deiecit olorem.
Virgil. l. 11. Æn.

Excipit hic natos glacies, & matris ab aluo
Artus infantum molles nix ciuica durat.
Pectore vix alitur quiſquam, ſed ab vbere tractus
Plus potat per vulnus equum; ſic lacte relicto
Virtutem gens tota bibit. creuere parumper,

Mox

Mox pugnam ludunt iaculis: hos ſuggerit illis
Nutrix plaga iocos. pueri venatibus apti
Luſtra feris vacuant: rapto dirata iuuentus
Iura colit gladij, conſummatamque ſenectam
Non ferro finire pudet.

Sid. Apollinaris in Paneg. Anthem.

Nempe florebas Alemanna quondam
Patrio pubes bene lota Rheno:
Cum tuos ſacra trutinauit vrna
Corniger ortus.
Cæduis ſtabat caſa recta ramis:
Vna paſtori, pecorique eandem
Vix ſuo maior domus inquilino
Præbuit vmbram.
Arborum veſtis, fuit & ſedentis
Arborem ſubter. tamen & ferarum
Pelle, vel lento pudor integebat
Vimine corpus.
Meta compreſſi nebuloſa lactis
Glande dimota ſubigebat iram
Ventris, & fumans calidis ad ignem
Pultibus olla.

P. Iac. Balde l. 3. ſil. Ode 1.

Ille etiam arridens clypeo te ſæpe volentem
Suſtulit, & rutilæ protendens caſſidis aurum
Armauit puerile caput, latus enſe ſiniſtrum,
Et teneros fuluo preſſit thorace lacertos.
Mox bellis inferre metum, ſudare ſub armis,
Frigora ſæua pati, curſu tranſcendere montes,
In fluuijs reperire vadum, tranſire natatu
Qua latet, & ſtructis compeſcere pontibus amnes,
Nunc fugientis equi velocia flectere terga
Ediſcit, quo caſtra loco, quo ſigna, vigilque
Ponendus cuſtos; acies quæ vallibus aptæ
Quæue iugis. quantum Vulcania machina ferri
Eiaculet, quoque vſque ferat flammata fragorem.

Ex P. Laur. le Brun. to. 1. Eloq. Poet.

Iam puero Martis rabies, hoſtemque premendi
Ardor erat, galeæque micans in vertice fulgor;
Et fremitus ſpumantis equi, ſtrepituſque virorum,
Tympanaque, in medijs ſpirabant prælia campis.
Armabat balliſta manum, gladiumque peritus
Stringere, & edoctam Thracum præcepta machæram,
Ibat in hoſtiles cuneos, lituique, tubæque
Pugnandi fomenta dabant. hæc ſola voluptas
Inter pugnaces greſſum glomerare maniplos,
Et mixtos linguis populos. iam iuſſa phalanges
Et leges acies capiunt.

Gaſp. Barlæus Heroic. l. 2.

Puberis hinc pectus patriæ ſubit æmula laudis
Gloria in excita iam promicat indole virtus:
Claſſica iamque iuuant, lituumque, clangorque tubarum
Et belli ſimulacra, nouiſque effulgere in armis,

Sponte ſuam fudit meliori è ſanguine partem,
Et calido vitæ primum de fomite virus
Vna Hecate, Diræque omnes, atque infera Iuno,
Nudauere ſuos, & acu pupugere lacertos,
Atque animæ ſalientem æſtum furialis & atro
Venarum è ſucco tepidum effudere venenum.
P. Pulcharellus l. 2. Paon.

Venefica ſiue Saga.

AT expedita Sagana per totam domum
Spargens auernales aquas,
Horret capillis, vt marinus, aſperis
Echinus, aut currens aper.
Abacta nulla Veia conſcientia
Ligonibus duris humum
Exhauriebat, ingemens laboribus:
Quo poſſet infoſſus puer
Longo die bis, terue mutatæ dapis
I nemori ſpectaculo
Cùm prominerec ore quantum extant aquæ
Suſpenſa mento corpora.
Exerta vti medulla, & aridum iecur
Amoris eſſet poculum.
Q. Horat. Epod. Ode 5.

Vidi egomet nigra ſuccinctam vadere palla
Canidiam pedibus nudis, paſſoque capillo
Cum Sagana maiore vlulantem (pallor vtraſque
Fecerat horrendas aſpectu) ſcalpere terram.
Vnguibus & pullam diuellere mordicus agnam
Cœperunt; cruor infoſſam confuſus; vt inde
Manes elicerent. animas reſponſa daturas.
Lanea & effigies erat, altera cerea: maior
Lanea, quæ pœnis compeſceret inferiorem.
Cerea ſuppliciter ſtabat. ſeruilibus vt quæ
Iam peritura modis. Hecaten vocat altera ſæuam,
Altera Tiſiphonem. ſerpentes atque videres
Infernas errare canes; lunamque rubentem,
Nec foret is teſtis, poſt magna latere ſepulcra.
Idem l. 1. Sat. 8.

Non ſpecies qualis ſagas decet, illa rigebat
Non inerat vetulis pallida ruga genis:
Non emiſſitijs oculis, faciliue rotatu,
Aut niue diluris candidiore magis:
Fronte nec obducta furibundæ nubis amictu,
Atque ſupercilio penè loquente dolos.
P. Vinc. Guiniſius Ele. 5.

At vates Lodippa fuit, tot gnara malorum
Fœmina, quæ ſcelerum ritus, atque improba norat
Carmina, & inuitam Superis ſubducere lunam,
Siſtere ſolis equos, & noctis tempora claro
Permiſcere, die ſuffundere nubila cœlo,
Et totum reuocare chaos, dudumque ſepultos
Solli-

Sollicitare rogos, imiſque excire cauernis
Pallentes animas, obliuia tradere menti,
Cunctaque lethæi quaſſare ſilentia rami.
Hæc eadem quoties vellet lenire leænas,
Serpentumque genus proprio exarmare veneno,
Et fixas alio poterat traducere quercus
Fit lupus, & laxos vlulat nocturna per agros
Innocuo funeſta gregi; iam forma moloſſi eſt,
Et mala latrat anus; nunc turribus abdita celſis
Horrendum mugit ferali carmine bubo.
Frendet aper, nigri crocitat ſub imagine corui,
Reptat humi ſerpens mulier, fit dira Celæno,
Atque alibi ſuis obſcœnæ ſub corpore grunnit,
Tollitur & rapidis magnum per inane quadrigis,
Trans terras, pelagoſque volat, Rhodopenque niuoſam,
Sub pedibus Pindumque videt: quacumque vagatur
Secedunt longè volucres, liueſcit ariſta,
Nigreſcunt iactæ ſegetes, rubigine ſordent
Prata, iacent fracto violata papauera collo.
Hæc ventos ſubito tempeſtateſque ſonoras
Voce ciet, Cauroſque Notis, & Iapyga Cauris
Obijcit, aduerſiſque mouet certamina flabris,
Impellit placidas inopino murmure nubes
Terrificique ruunt tonitrus, modò fulmina iuſſu
Fabricat, & trifidos extundit nubibus ignes
Ignaro Ioue. diuulſas diſcedere terras
Cogit, & ingentes abſorbet hiatibus vrbes.

Gaſp. Barlæus Heroic. l. 4.

Vide infra Tit. Ars Magica.

INDOLES GENEROSA.

QVæ pietas, quantuſque rigor! tranquillaque magnæ
Vis animi, nulloque leuis terrore moueri,
Nec noua mirari facilis, quæ docta facultas
Ingenij, linguæque modus! reſponſa verentur
Legati, grauibuſque latet ſub moribus ætas.
Quantus in ore Pater! radiat quàm torua voluptas
Frontis, & auguſti maieſtas grata pudoris!
Iam patrias imples galeas: iam cornus auita
Tentatur: vibranda tibi promittitur ingens
Dextra rudimentis, Romanaque vota moratur.

Claudianus de IV. Hon. Conſ.

.... mens ardua ſemper
A puero, teneriſque etiam fulgebat in annis
Fortunæ maioris honos; erectus, & acer
Nil breue moliri, nullis hærere potentum
Liminibus, fatiſque loqui iam digna futuris.
Iam tunc conſpicuus, iam tunc venerabilis ibas,
Spondebatque ducem celſi nitor igneus oris,
Membrorumque modus: qualem nec carmina fingunt
Semideis quacumque altè gradereris in vrbe,

Peſtilentia.

HÆc ratio quondam morborum,
Finibus Cecropijs funeſtos re
Vaſtauitque vias, exhauſit ciuibus
Præterea iam paſtor, & armentariu
Et robuſtus item curui moderator
Languebant, penituſque caſis cont
Corpora, paupertate & morbo dedi
Exanimis pueris ſuper exanimata
Corpora nonnunquam poſſes retroq
Matribus, & patribus natos ſuper
Nec minimam partem ex agris æg
Confluxit, languens quem contulit
Copia conueniens ex omni morbid
Omnia condebant loca, tectaque:
Confertos ita aceruatim mors accu
Multa ſiti proſtrata viam per, pro
Corpora ſilanos ad aquarum ſtrata
Intercluſa anima nimia ab dulcedi
Multaque per populi paſſim loca p
Languida ſemianimo tum corpore
Horrida pædore, & pannis coopert
Corporis illuuie: pellis ſuper oſſib
Viſceribns cœcis prope iant, ſordiq

Hic quondam morbo cœli miſer
Tempeſtas, totoque autumni incan
Et genus omne neci pecudum ded
Corrupitque lacus, infecit pabula
Nec via mortis erat ſimplex; ſed v
Omnibus acta ſitis miſeros adduxe
Rurſus abundabat fluidus liquor,
Oſſa minutatim morbo collapſa tra
V

Iura domoſque dabam; ſubito c
Corrupta cęli tractu; miſerandaque
Arboribuſque, ſatiſque lues, & le
Linquebant dulces animas, aut æ
Corpora. tum ſteriles exurere Sir
Arebant herbæ, & victum ſeges

Principio cęlum ſpiſſa caligine
Preſſit, & ignauos incluſit nubib
Dumque quater plenis expleuit
Luna quater plenum tenuata ret
Lethiferis calidi ſpirarunt æſtib
Conſtat & in fontes vitium veni
Milliaque inculto ſerpentum mu
Erraſſe, atque ſui fluuios temer
Strage canum primò, volucrumqu
Inque feris ſubiti deprenſa pote

s incinctas mœnibus arces
duro liceat defendere marte?
ion. Petauius in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Educatio optima.

primos infans exegerat annos
er arma patris: quamquam arcta terebat
, gemina complexus ab vlna,
trabat ad oſcula criſtis.
o raptas ex hoſte ſagittas
manu, captoſque per arcus
s in cornua tendere neruos
tenero iaculum torquere lacerto,
equi dorſum cum pondere conti
m ſaltu transferre catenas,
feras, & fronde latentes
ſas modo claudere caſſibus arctis;
trare veru: tum ſæpè fragore
n, frendens cum bellua ferrum
os exirent arma per armos.
Sidr. Apollinaris in Paneg. Anthem.
ſtudio lactantia primum
iuibus, glaciemque irrumpere plantis:
s paruum ridere pruinas
Muſis formantur, & illo
onas. didicit quoque facta tuorum
idicit pugnas, libroque relegit,
mpo. primus vix cæperat eſſe
r, rabidam cum forte cruentis
eſcas ieiuna fauce parantem
auit (fuerant nam fragimna propter
ute lupam, fractuſque molari
x, & ſaxum in vulnere ſedit.
em latratibus improbus Vmber
es nigro ſub gutture lunas
erat, colluctantique lacerto
erſas venabula cogere prædas.
Idem in Paneg. Auito Soc.
primis quod adhuc vagitibus infans
rui luxu, curiſque trahebas
rtemque operis, vel deſidis aulæ
tam: quod aptus ab vbere nondum
licitis, nec ter ſoluente loquela,
cque arma puer, ſtrepituſque tubarum,
peoſque, atque ære micantia tela
lique inter reptare ſonores.
vrbano, quod aprico in gramine currens,
campi ſpatia, aut viridantibus hortis,
Martem, ſimulataque bella ciebas.
quod te paſſim ſpectare licebat,
tecum miles, quod cernere vulgus
iſſum: quod eo plaudente ſolebas

Q. 4. Inſul-

Cedentes ſpatijs, aſſurgenteſque videbas.
Quamuis miles adhuc, taciti ſuffragia vulgi
Iam tibi detulerant, quidquid mox reddidit aula.
Idem l.1. de laud. Stilic.

Non etenim facies Venus hanc effœminat; aut ſe
Dedecet exundans nimium lepor. alta puelli
Maieſtas ſublime iubar concluſit ocellis:
Quos aperit radians, vt iam mandare putetur
Quæ velit, & poſſit Frons caſtigata minarum
Illecebras ſpirat: decet & placet horror in ore;
Auguſtuſque pudor, grauitaſque, & pompa ferocis
Lætitiæ; toto micat ore ſeuerà voluptas.
Spectator metuens gaudet, ſecumque volutat
Aſpectumque, grataque tremit formidine viſus.
Si licet effari, primi ſuſpiria belli
Torquet, & armatas acies ignarus anhelat.
Indolis ò miræ ſpecimen! cunabula tamquam
Patris ſedem agitat, medijque vmbracula campi.
Nil loquitur, tamen obtutu ſatis imperat ipſo.
Si foret in caſtris, ſentiret credo tumultum
Militis & galea nutantes ſupplice criſtas
Noſceret, & minimis maiora repelleret armis.
P. Iac. Balde Heroic. to. 2.

En tenero quantus puero vigor: en vt ocelli
Sideribus ſimiles radiant. vtque ora, genæque
Quamquam cognoſci poſſit quoque mater in illis.
Plus tamen & patriæ ſpirant virtutis, & acres
Promittunt animos, & dignas ſanguine vires,
Ipſe genus, generiſque ſui ſentire videtur
Auctorem in primo tantus vigor eminet ortu.
Ipſa etiam natura nihil neglexit in illo,
Sollertique manu formatos corporis artus
Magna anima dignum hoſpitium, ſedemque parauit.
P. Iac. Vallius Heroic. l. 2.

Aſt vbi firmauit ſe ſe iam grandior ætas,
Vtque ſui compos infantem excuſſit, & ora
Soluere poſſe datum eſt, veterumque euoluere geſta
Heroum, & laudes patrias; tum viribus vltro
Moliri maiora, & non imitabile cœpit
Ante annos agitare decus. ſtat laudis auitæ
Exuperare modum, magnæque cupidine rerum
Æſtuat. Haud aliter patrijs maſſylus in antris
Nondum firma leo, denſiſque horrentia villis
Colla quatit, teneriſque ſolum cauat vnguibus; & quam
Neſcit adhuc, prædæ impatiens tamen ardet amore.
Quamquam impar puer, ingentes ſub corde fatigat
Curarum fluctus. Quoties ceu ſceptra teneret,
Explorauit opes regni? quo quæque iaceret
Vrbs fundata ſitu? quo ſe munimine fines
Imperij tegerent: hominum qui cultus, an armis
Gens experta foret; quibus ante obnoxia Regi
Nec temerata fides? tum quo molimine turres
Oppi-

Oppidaque, & latis incinctas mœnibus arces
Aut quatere, aut duro liceat defendere marte?
P. Dion. Petauius in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Educatio optima.

AT poſtquam primos infans exegerat annos
Reptabat ſuper arma patris: quamquam arcta terebat
Lamina ceruicem, gemina complexus ab vlna,
Liuida laxatis intrabat ad oſcula criſtis.
Ludus erat puero raptas ex hoſte ſagittas
Feſtiua tractare manu, captoſque per arcus
Flexa reluctantes in cornua tendere neruos
Nunc tremulum tenero iaculum torquere lacerto,
Inque frementis equi dorſum cum pondere conti
Indutas chalybum ſaltu transferre catenas,
Inuentas agitare feras, & fronde larentes
Quærere, deprenſas modo claudere caſſibus arctis;
Nunc toto penetrare veru: tum ſæpè fragore
Laudari comitum, frendens cum bellua ferrum
Ferret, & intratos exireut arma per armos.
Sidr. Apollinaris in Paneg. Anthem.
Iuuit fortunam ſtudio lactantia primum
Membia dedit niuibus, glaciemque irrumpere plantis:
Iuſſit, & attritas paruum ridere pruinas
Surgentes animi Muſis formantur, & illo
Quo Cicerone tonas. didicit quoque facta tuorum
Ante ducum, didicit pugnas, libroque relegit,
Quæ gereret campo. primus vix cæperat eſſe
Ex infante puer, rabidam cum forte cruentis
Rictibus, atque eſcas ieiuna fauce parantem
Plus catulis ſtrauit (fuerant nam fragimna propter)
Arreptam de caute lupam, fractuſque molari
Diſſiluit vertex, & ſaxum in vulnere ſedit.
Iam ſi forte ſuem latratibus improbus Vmber
Terruit, albentes nigro ſub gutture lunas
Frangere ludus erat, colluctantique lacerto
Vaſta per aduerſas venabula cogere prædas.
Idem in Paneg. Auito Soc.
Hoc erat à primis quod adhuc vagitibus infans
Non vitam enerui luxu, curiſque trahebas
Mollibus, expertemque operis, vel deſidis aulæ
Parietibus ſeptam: quod aptus ab vbere nondum
Greſſibus explicitis, nec ter ſoluente ioquela,
Inter equos, atque arma puer, ſtrepituſque tubarum,
Enſeſque, clypeoſque, atque ære micantia tela
Diſcebas, bellique inter reptare ſonores.
Quod nemore vrbano, quod aprico in gramine currens,
Laxaque per campi ſpatia, aut viridantibus hortis,
Mille modis Martem, ſimulataque bella ciebas.
Hoc erat hoc, quod te paſſim ſpectare licebat,
Ludere quod tecum miles, quod cernere vulgus
Ædibus immiſſum: quod eo plaudente ſolebas

Cedentes ſpatijs, aſſurgenteſque videbas.
Quamuis miles adhuc, taciti ſuffragia vulgi
Iam tibi detulerant, quidquid mox reddid t aula.

Idem l. 1. de laud. Stilic.

Non etenim facies Venus hanc effœminat; aut ſe
Dedecet exundans nimium lepor. alta puelli
Maieſtas ſublime iubar concluſit ocellis:
Quos aperit radians, vt iam mandare putetur
Quæ velit, & poſſit Frons caſtigata minarum
Illecebras ſpirat: decet & placet horror in ore;
Auguſtuſque pudor, grauitaſque, & pompa ferocis
Lætitiæ; toto micat ore ſeuerâ voluptas.
Spectator metuens gaudet, ſecumque volutat
Aſpectumque, grataque tremit formidine viſus.
Si licet effari, primi ſuſpiria belli
Torquet, & armatas acies ignarus anhelat.
Indolis ô miræ ſpecimen! cunabula tamquam
Patris ſedem agitat, medijque vmbracula campi.
Nil loquitur, tamen obtutu ſatis imperat ipſo.
Si foret in caſtris, ſentiret credo tumultum
Militis & galea nutantes ſupplice criſtas
Noſceret, & minimis maiora repelleret armis.

P. Iac. Balde Heroic. to. 2.

En tenero quantus puero vigor: en vt ocelli
Sideribus ſimiles radiant. vtque ora, genæque
Quamquam cognoſci poſſit quoque mater in illis.
Plus tamen & patriæ ſpirant virtutis, & acres
Promittunt animos, & dignas ſanguine vires,
Ipſe genus, generiſque ſui ſentire videtur
Auctorem in primo tantus vigor eminet ortu.
Ipſa etiam natura nihil neglexit in illo,
Sollertique manu formatos corporis artus
Magna anima dignum hoſpitium, ſedemque parauit.

P. Iac. Vallius Heroic. l. 2.

Aſt vbi firmauit ſe ſe iam grandior ætas,
Vtque ſui compos infantem excuſſit, & ora
Soluere poſſe datum eſt, veterumque euoluere geſta
Heroum, & laudes patrias; tum viribus vltro
Moliri maiora, & non imitabile cœpit
Ante annos agitare decus. ſtat laudis auitæ
Exuperare modum, magnæque cupidine rerum
Æſtuat. Haud aliter patrijs maſſylus in antris
Nondum firma leo, denſiſque horrentia villis
Colla quatit, teneriſque ſolum cauat vnguibus; & quam
Neſcit adhuc, prædæ impatiens tamen ardet amore.
Quamquam impar puer, ingentes ſub corde fatigat
Curarum fluctus. Quoties ceu ſceptra teneret,
Explorauit opes regni? quo quæque iaceret
Vrbs fundata ſitu? quo ſe munimine fines
Imperij tegerent: hominum qui cultus, an armis
Gens experta foret; quibus ante obnoxia Regi
Nec temerata fides? tum quo molimine turres

Oppi-

Oppidaque, & latis incinctas mœnibus arces
Aut quatere, aut duro liceat defendere marte?

P. Dion. Petauius in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Educatio optima.

AT poſtquam primos infans exegerat annos
Reptabat ſuper arma patris: quamquam arcta terebat
Lamina ceruicem, gemina complexus ab vlna,
Liuida laxatis intrabat ad oſcula criſtis.
Ludus erat puero raptas ex hoſte ſagittas
Feſtiua tractare manu, captoſque per arcus
Flexa reluctantes in cornua tendere neruos
Nunc tremulum tenero iaculum torquere lacerto,
Inque frementis equi dorſum cum pondere conti
Indutas chalybum ſaltu transferre catenas,
Inuentas agitare feras, & fronde latentes
Quærere, deprenſas modo claudere caſſibus arctis;
Nunc toto penetrare veru: tum ſæpè fragore
Laudari comitum, frendens cum bellua ferrum
Ferret, & intratos exirent arma per armos.

Sidr. Apollinaris in Paneg. Anthem.

Iuuit fortunam ſtudio lactantia primum
Membra dedit niuibus, glaciemque irrumpere plantis
Iuſſit, & attritas paruum ridere pruinas
Surgentes animi Muſis formantur, & illo
Quo Cicerone tonas. didicit quoque facta tuorum
Ante ducum, didicit pugnas, libroque relegit,
Quæ gereret campo. primus vix cæperat eſſe
Ex infante puer, rabidam cum forte cruentis
Rictibus, atque eſcas ieiuna fauce parantem
Plus catulis ſtrauit (fuerant nam fragimna propter)
Arreptam de caute lupam, fractuſque molari
Diſſiluit vertex, & ſaxum in vulnere ſedit.
Iam ſi forte ſuem latratibus improbus Vmber
Terruit, albentes nigro ſub gutture lunas
Frangere ludus erat, colluctantique lacerto
Vaſta per aduerſas venabula cogere prædas.

Idem in Paneg. Auito Soc.

Hoc erat à primis quod adhuc vagitibus infans
Non vitam enerui luxu, curiſque trahebas
Mollibus, expertemque operis, vel deſidis aulæ
Parietibus ſeptam: quod aptus ab vbere nondum
Greſſibus explicitis, nec ter ſoluente loquela,
Inter equos, atque arma puer, ſtrepituſque tubarum,
Enſeſque, clypeoſque, atque ære micantia tela
Diſcebas, bellique inter reptare ſonores.
Quod nemore vrbano, quod aprico in gramine currens,
Laxaque per campi ſpatia, aut viridantibus hortis,
Mille modis Martem, ſimulataque bella ciebas.
Hoc erat hoc, quod te paſſim ſpectare licebat,
Ludere quod tecum miles, quod cernere vulgus
Ædibus immiſſum: quod eo plaudente ſolebas

Cedentes ſpatijs, aſſurgenteſque videbas.
Quamuis miles adhuc, taciti ſuffragia vulgi
Iam tibi detulerant, quidquid mox reddidit aula.
Idem l. 1. de laud. Stilic.

Non etenim facies Venus hanc effœminat; aut ſe
Dedecet exundans nimium lepor. alta puelli
Maieſtas ſublime iubar concluſit ocellis:
Quos aperit radians, vt iam mandare putetur
Quæ velit, & poſſit Frons caſtigata minarum
Illecebras ſpirat: decet & placet horror in ore;
Auguſtuſque pudor, grauitaſque, & pompa ferocis
Lætitiæ; toto micat ore ſeuerà voluptas.
Spectator metuens gaudet, ſecumque volutat
Aſpectumque, grataque tremit formidine viſus.
Si licet effari, primi ſuſpiria belli
Torquet, & armatas acies ignarus anhelat.
Indolis ò miræ ſpecimen! cunabula tamquam
Patris ſedem agitat, medijque vmbracula campi.
Nil loquitur, tamen obtutu ſatis imperat ipſo.
Si foret in caſtris, ſentiret credo tumultum
Militis & galea nutantes ſupplice criſtas
Noſceret, & minimis maiora repelleret armis.
P. Iac. Balde Heroic. to. 2.

En tenero quantus puero vigor: en vt ocelli
Sideribus ſimiles radiant. vtque ora, genæque
Quamquam cognoſci poſſit quoque mater in illis.
Plus tamen & patriæ ſpirant virtutis, & acres
Promittunt animos, & dignas ſanguine vires,
Ipſe genus, generiſque ſui ſentire videtur
Auctorem in primo tantus vigor eminet ortu.
Ipſa etiam natura nihil neglexit in illo,
Sollertique manu formatos corporis artus
Magna anima dignum hoſpitium, ſedemque parauit.
P. Iac. Vallius Heroic. l. 2.

Aſt vbi firmauit ſe ſe iam grandior ætas,
Vtque ſui compos infantem excuſſit, & ora
Soluere poſſe datum eſt, veterumque euoluere geſta
Heroum, & laudes patrias; tum viribus vltro
Moliri maiora, & non imitabile cœpit
Ante annos agitare decus. ſtat laudis auitæ
Exuperare modum, magnæque cupidine rerum
Æſtuat. Haud aliter patrijs maſſylus in antris
Nondum firma leo, denſiſque horrentia villis
Colla quatit, teneriſque ſolum cauat vnguibus; & quam
Neſcit adhuc, prædæ impatiens tamen ardet amore.
Quamquam impar puer, ingentes ſub corde fatigat
Curarum fluctus. Quoties ceu ſceptra teneret,
Explorauit opes regni? quo quæque iaceret
Vrbs fundata ſitu? quo ſe munimine fines
Imperij tegerent: hominum qui cultus, an armis
Gens experta foret; quibus ante obnoxia Regi
Nec temerata fides? tum quo molimine turres

Oppi-

Oppidaque, & latis incinctas mœnibus arces
Aut quærere, aut duro liceat defendere marte?
P. Dion. Petauius in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Educatio optima.

AT poſtquam primos infans exegerat annos
Reptabat ſuper arma patris: quamquam arcta terebat
Lamina ceruicem, gemina complexus ab vlna,
Liuida laxatis intrabat ad oſcula criſtis.
Ludus erat puero raptas ex hoſte ſagittas
Feſtiua tractare manu, captoſque per arcus
Flexa reluctantes in cornua tendere neruos
Nunc tremulum tenero iaculum torquere lacerto,
Inque frementis equi dorſum cum pondere conti
Indutas chalybum ſaltu transferre catenas,
Inuentas agitare feras, & fronde latentes
Quærere, deprenſas modo claudere caſſibus arctis;
Nunc toto penetrare veru: tum ſæpè fragore
Laudari comitum, frendens cum bellua ferrum
Ferret, & intratos exiret arma per armos.
Sidn. Apollinaris in Paneg. Anthem.

Inuit fortunam ſtudio lactantia primum
Membra dedit niuibus, glaciemque irrumpere plantis:
Iuſſit, & attritas paruum ridere pruinas
Surgentes animi Muſis formantur, & illo
Quo Cicerone tonas. didicit quoque facta tuorum
Ante ducum, didicit pugnas, libroque relegit,
Quæ gereret campo. primus vix cœperat eſſe
Ex infante puer, rabidam cum forte cruentis
Rictibus, atque eſcas ieiuna fauce parantem
Plus catulis ſtrauit (fuerant nam fragimna propter)
Arreptam de caute lupam, fractuſque molari
Diſſiluit vertex, & ſaxum in vulnere ſedit.
Iam ſi forte ſuem latratibus improbus Vmber
Terruit, albentes nigro ſub gutture lunas
Frangere ludus erat, colluctantique lacerto
Vaſta per aduerſas venabula cogere prædas.
Idem in Paneg. Auito Soc.

Hoc erat à primis quod adhuc vagitibus infans
Non vitam eneruí luxu, curiſque trahebas
Mollibus, expertemque operis, vel deſidis aulæ
Parietibus ſeptam: quod aptus ab vbere nondum
Greſſibus explicitis, nec ter ſoluente loquela,
Inter equos, atque arma puer, ſtrepituſque tubarum,
Enſeſque, clypeoſque, atque ære micantia tela
Diſcebas, belliquе inter reptare ſonores.
Quod nemore vrbano, quod aprico in gramine currens,
Laxaque per campi ſpatia, aut viridantibus hortis,
Mille modis Martem, ſimulataque bella ciebas.
Hoc erat hoc, quod te paſſim ſpectare licebat,
Ludere quod tecum miles, quod cernere vulgus
Ædibus immiſſum: quod eo plaudente ſolebas

Q. 4. Inſul-

Sponte ſuam fudit meliori è ſanguine partem,
Et calido vitæ primum de fomite virus
Vna Hecate, Diræque omnes, atque infera Iuno,
Nudauere ſuos, & acu pupugere lacertos,
Atque animæ ſalientem æſtum furialis & atro
Venarum è ſucco tepidum effudere venenum.

P. Pulcharellus l. 2. Paon.

Venefica ſiue Saga.

AT expedita Sagana per totam domum
Spargens auernales aquas,
Horret capillis, vt marinus, aſperis
Echinus, aut currens aper.
Abacta nulla Veia conſcientia
Ligonibus duris humum
Exhauriebat, ingemens laboribus:
Quo poſſet infoſſus puer
Longo die bis, terue mutatæ dapis
Inemori ſpectaculo
Cùm promineret ore quantum extant aquæ
Suſpenſa mento corpora
Exerta vti medulla, & aridum iecur
Amoris eſſet poculum.

Q. Horat. Epod. Ode 5.

Vidi egomet nigra ſuccinctam vadere palla
Cauidiam pedibus nudis, paſſoque capillo
Cum Sagana maiore vlulantem (pallor vtraſque
Fecerat horrendas aſpectu) ſcalpere terram.
Vnguibus & pullam diuellere mordicus agnam
Cœperunt; cruor infoſſam confuſus; vt inde
Manes elicerent. animas reſponſa daturas.
Lanea & effigies erat, altera cerea: maior
Lanea, quæ pœnis compeſceret inferiorem.
Cerea ſuppliciter ſtabat. ſeruilibus vt quæ
Iam peritura modis. Hecaten vocat altera ſæuam,
Altera Tiſiphonem. ſerpentes atque videres
Infernas errare canes; lunamque rubentem,
Nec foret is teſtis, poſt magna latere ſepulcra.

Idem l. 1. Sat. 8.

Non ſpecies qualis ſagas decet, illa rigebat
Non inerat vetulis pallida ruga genis;
Non emiſſitijs oculis, faciliue rotatu,
Aut niue dilutis candidiore magis:
Fronte nec obducta furibundæ nubis amictu,
Atque ſupercilio penè loquente dolos.

P. Vinc. Guiniſius Ele. 5.

At vates Lodippa fuit, tot gnara malorum
Fœmina, quæ ſcelerum ritus, atque improba norat
Carmina, & inuitam Superis ſubducere lunam,
Siſtere ſolis equos, & noctis tempora claro
Permiſcere, die ſuffundere nubila cœlo,
Et totum reuocare chaos, dudumque ſepultos

Solli-

Sollicitare rogos, imiſque excire cauernis
Pallentes animas, obliuia tradere menti,
Cunctaque lethæi quaſſare ſilentia rami.
Hæc eadem quoties vellet lenire leænas,
Serpentumque genus proprio exarmare veneno,
Et fixas alio poterat traducere quercus
Fit lupus, & laxos vlulat nocturna per agros
Innocuo funeſta gregi; iam forma moloſſi eſt,
Et mala latrat anus; nunc turribus abdita celſis
Horrendum mugit ferali carmine bubo.
Frendet aper, nigri crocitat ſub imagine corui,
Reptat humi ſerpens mulier, fit dira Celæno,
Atque alibi ſuis obſcœnæ ſub corpore grunnit,
Tollitur & rapidis magnum per inane quadrigis,
Trans terras, pelagoſque volat, Rhodopenque niuoſam,
Sub pedibus Pindumque videt: quacumque vagatur
Secedunt longè volucres, liueſcit ariſta,
Nigreſcunt iactæ ſegetes, rubigine ſordent
Prata, iacent fracto violata papauera collo.
Hæc ventos ſubito tempeſtateſque ſonoras
Voce ciet, Cauroſque Notis, & Iapyga Cauris
Obijcit, aduerſiſque mouet certamina flabris,
Impellit placidas inopino murmure nubes
Terrificique ruunt tonitrus, modò fulmina iuſſu
Fabricat, & trifidos extundit nubibus ignes
Ignaro Ioue. diuulſas diſcedere terras
Cogit, & ingentes abſorbet hiatibus vrbes.

Gaſp. Barlæus Heroic. I. 4.

Vide infra Tit. Ars Magica.

INDOLES GENEROSA.

QVæ pietas, quantuſque rigor! tranquillaque magni
Vis animi, nulloque leuis terrore moueri,
Nec noua mirari facilis, quæ docta facultas
Ingenij, linguæque modus! reſponſa verentur
Legati, grauibuſque latet ſub moribus ætas.
Quantus in ore Pater [1] radiat quàm torua voluptas
Frontis, & auguſti maieſtas grata pudoris!
Iam patrias imples galeas: iam cornus auita
Tentatur: vibranda tibi promittitur ingens
Dextra rudimentis, Romanaque vota moratur.

Claudianus de IV. Hon. Conſ.

.... mens ardua ſemper
A puero, teneriſque etiam fulgebat in annis
Fortunæ maioris honos; erectus, & acer
Nil breue moliri, nullis hærere potentum
Liminibus, fatiſque loqui iam digna futuris.
Iam tunc conſpicuus, iam tunc venerabilis ibas,
Spondebatque ducem celſi nitor igneus oris,
Membrorumque modus: qualem nec carmina fingunt
Semideis quacumque altè gradereris in vrbe,

Cedentes ſpatijs, aſſurgenteſque videbas.
Quamuis miles adhuc, taciti ſuffragia vulgi
Iam tibi detulerant, quidquid mox reddidit aula.

Idem l.1. de laud. Stilic.

Non etenim facies Venus hanc effœminat; aut ſe
Dedecet exundans nimium lepor. alta puelli
Maieſtas ſublime iubar concluſit ocellis:
Quos aperit radians, vt iam mandare putetur
Quæ velit, & poſſit Frons caſtigata minarum
Illecebras ſpirat: decet & placet horror in ore;
Auguſtuſque pudor, grauitaſque, & pompa ferocis
Lætitiæ; toto micat ore ſeuera voluptas.
Spectator metuens gaudet, ſecumque volutat
Aſpectumque, grataque tremit formidine viſus.
Si licet effari, primi ſuſpiria belli
Torquet, & armatas acies ignarus anhelat.
Indolis ò miræ ſpecimen! cunabula tamquam
Patris ſedem agitat, medijque vmbracula campi.
Nil loquitur, tamen obtutu ſatis imperat ipſo.
Si foret in caſtris, ſentiret credo tumultum
Militis & galea nutantes ſupplice criſtas
Noſceret, & minimis maiora repelleret armis.

P. Iac. Balde Heroic. to. 2.

En tenero quantus puero vigor: en vt ocelli
Sideribus ſimiles radiant. vtque ora, genæque
Quamquam cognoſci poſſit quoque mater in illis.
Plus tamen & patriæ ſpirant virtutis, & acres
Promittunt animos, & dignas ſanguine vires,
Ipſe genus, generiſque ſui ſentire videtur
Auctorem in primo tantus vigor eminet ortu.
Ipſa etiam natura nihil neglexit in illo,
Sollertique manu formatos corporis artus
Magna anima dignum hoſpitium, ſedemque parauit.

P. Iac. Vallius Heroic. l. 2.

Aſt vbi firmauit ſe ſe iam grandior ætas,
Vtque ſui compos infantem excuſſit, & ora
Soluere poſſe datum eſt, veterumque euoluere geſta
Heroum, & laudes patrias; tum viribus vltro
Moliri maiora, & non imitabile cœpit
Ante annos agitare decus. ſtat laudis auitæ
Exuperare modum, magnæque cupidine rerum
Æſtuat. Haud aliter patrijs maſſylus in antris
Nondum firma leo, denſiſque horrentia villis
Colla quatit, teneriſque ſolum cauat vnguibus; & quam
Neſcit adhuc, prædæ impatiens tamen ardet amore.
Quamquam impar puer, ingentes ſub corde fatigat
Curarum fluctus. Quoties ceu ſceptra teneret,
Explorauit opes regni? quo quæque iaceret
Vrbs fundata ſitu? quo ſe munimine fines
Imperij tegerent: hominum qui cultus, an armis
Gens experta foret; quibus ante obnoxia Regi
Nec temerata fides? tum quo molimine turres

Oppi-

Oppidaque, & latis incinctas mœnibus arces
Aut quærere, aut duro liceat defendere marte?
P. Dion. Petauius in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Educatio optima.

AT poſtquam primos infans exegerat annos
Reptabat ſuper arma patris: quamquam arcta terebat
Lamina ceruicem, gemina complexus ab vlna,
Liuida laxatis intrabat ad oſcula criſtis.
Ludus erat puero raptas ex hoſte ſagittas
Feſtiua tractare manu, captoſque per arcus
Flexa reluctantes in cornua tendere neruos
Nunc tremulum tenero iaculum torquere lacerto,
Inque frementis equi dorſum cum pondere conti
Indutas chalybum ſaltu transferre catenas,
Inuentas agitare feras, & fronde latentes
Quærere, deprenſas modo claudere caſſibus arctis;
Nunc toto penetrare veru: tum ſæpè fragore
Laudari comitum, frendens cum bellua ferrum
Ferret, & intratos exigent arma per armos.
Sidr. Apollinaris in Paneg. Anthem.

Iuuit fortunam ſtudio lactantia primum
Membra dedit niuibus, glaciemque irrumpere plantis:
Iuſſit, & attritas paruum ridere pruinas
Surgentes animi Muſis formantur, & illo
Quo Cicerone tonas. didicit quoque facta tuorum
Ante ducum, didicit pugnas, libroque relegit,
Quæ gereret campo. primus vix cæperat eſſe
Ex infante puer, rabidam cum forte cruentis
Rictibus, atque eſcas ieiuna fauce parantem
Plus catulis ſtrauit (fuerant nam fragimna propter)
Arreptam de caute lupam, fractuſque molari
Diſſiluit vertex, & ſaxum in vulnere ſedit.
Iam ſi forte ſuem latratibus improbus Vmber
Terruit, albentes nigro ſub gutture lunas
Frangere ludus erat, colluctantique lacerto
Vaſta per aduerſas venabula cogere prædas.
Idem in Paneg. Auito Soc.

Hoc erat à primis quod adhuc vagitibus infans
Non vitam enerui luxu, curiſque trahebas
Mollibus, expertemque operis, vel deſidis aulæ
Parietibus ſeptam: quod aptus ab vbere nondum
Greſſibus explicitis, nec ter ſoluente loquela,
Inter equos, atque arma puer, ſtrepituſque tubarum,
Enſeſque, clypeoſque, atque ære micantia tela
Diſcebas, bellique inter reptare ſonores.
Quod nemore vrbano, quod aprico in gramine currens,
Laxaque per campi ſpatia, aut viridantibus hortis,
Mille modis Martem, ſimulataque bella ciebas.
Hoc erat hoc, quod te paſſim ſpectare licebat,
Ludere quod tecum miles, quod cernere vulgus
Ædibus immiſſum: quod eo plaudente ſolebas

Inſultare in equo, crebroque laceſſere flexu
Spumantem, & patulis efflantem naribus ignem.
Aut procul & iaculo certare, & cominus enſe,
Spiculaque ad metam, aut glandes torquere ſonantes.
P. Dion. Petauius in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Educatio pia.

AST ætas vbi firmior
Acceſſit, omnis abſtinens culpæ, Deo
Deuota iungit pectora dotibus
Virtutis auctus: commoda
Vrbium curat: ſtudioſus æqui
Regum delicias ſpernit, & otium
Fontem malorum claudit, & amouet
Luxum criminis illicem:
Iuſtis præmia diuidit
Paruoſque pænæ corrigit timore.
Sic populorum
Munit amore latus, non enſe, aut militis haſtis.
Vrbanus VIII. Ode de S. Ludou.

Educatio militaris.

DVrum à ſtirpe genus: natos ad flumina primum
Deferimus, ſæuoque gelu duramus & vndis.
Venatu inuigilant pueri, ſiluaſque fatigant:
Flectere ludus equos, & ſpicula tendere cornu.
At patiens operum, paruoque aſſueta iuuentus
Aut raſtris terram domat, aut quatit oppida bello.
Omne æuum ferro teritur; verſaque iuuencum
Terga fatigamus haſta: nec tarda ſenectus
Debilitat vires animi, mutatque vigorem:
Canitiem galea premimus, ſemperque recentes
Conuectare iuuat prædas, & viuere rapto.
Virgilius l. 9 Æn.

Hic natam in dumis, interque horrentia luſtra
Armentalis equæ mammis, & lacte ferino
Nutribat, teneris immulgens vbera labris.
Vtque pedum primis infans veſtigia plantis
Inſtiterat, iaculo palmas onerauit acuto,
Spiculaque ex humero paruæ ſuſpendit, & arcum,
Pro crinali auro, pro longæ tegmine pallæ
Tigridis exuuiæ per dorſum à vertice pendent.
Tela manu iam tum tenera puerilia torſit,
Et fundam tereti circum caput egit habena.
Strymoniamque gruem, aut album deiecit olorem.
Virgil. l. 11. Æn.

Excipit hic natos glacies, & matris ab aluo
Artus infantum molles nix ciuica durat.
Pectore vix alitur quiſquam, ſed ab vbere tractus
Plus potat per vulnus equum; ſic lacte relicto
Virtutem gens tota bibit. creuere parumper,

Mox

Mox pugnam ludunt iaculis: hos ſuggerit illis
Nutrix plaga iocos. pueri venatibus apti
Luſtra feris vacuant: rapto dirata iuuentus
Iura colit gladij, conſummatamque ſenectam
Non ferro finire pudet.

Sid. Apollinaris in Paneg. Anthem.

Nempe florebas Alemanna quondam
Patrio pubes bene lota Rheno:
Cum tuos ſacra trutinauit vrna
Corniger ortus.
Cæduis ſtabat caſa recta ramis:
Vna paſtori, pecorique eandem
Vix ſuo maior domus inquilino
Præbuit vmbram.
Arborum veſtis, fuit & ſedentis
Arborem ſubter. tamen & ferarum
Pelle, vel lento pudor integebat
Vimine corpus.
Meta compreſſi nebuloſa lactis
Glande dimota ſubigebat iram
Ventris, & fumans calidis ad ignem
Pultibus olla.

P. Iac. Balde l. 3. ſil. Ode 1.

Ille etiam arridens clypeo te ſæpe volentem
Suſtulit, & rutilæ protendens caſſidis aurum
Armauit puerile caput, latus enſe ſiniſtrum,
Et teneros fuluo preſſit thorace lacertos.
Mox bellis inferre metum, ſudare ſub armis,
Frigora ſæua pati, curſu tranſcendere montes,
In fluuijs reperire vadum, tranſire natatu
Qua latet, & ſtructis compeſcere pontibus amnes,
Nunc fugientis equi velocia flectere terga
Ediſcit, quo caſtra loco, quo ſigna, vigilque
Ponendus cuſtos; acies quæ vallibus aptæ
Quæue iugis. quantum Vulcania machina ferri
Eiaculet, quoque vſque ferat flammata fragorem.

Ex P. Laur. le Brun. to. 1. Eloq. Poet.

Iam puero Martis rabies, hoſtemque premendi
Ardor erat, galeæque micans in vertice fulgor;
Et fremitus ſpumantis equi, ſtrepituſque virorum,
Tympanaque, in medijs ſpirabant prælia campis.
Armabat balliſta manum, gladiumque peritus
Stringere, & edoctam Thracum præcepta machæram,
Ibat in hoſtiles cuneos, lituique, tubæque
Pugnandi fomenta dabant. hæc ſola voluptas
Inter pugnaces greſſum glomerare maniplos,
Et mixtos linguis populos. iam iuſſa phalanges
Et leges acies capiunt.

Gaſp. Barlæus Heroic. l. 2.

Puberis hinc pectus patriæ ſubit æmula laudis
Gloria in excita iam promicat indole virtus:
Claſſica iamque iuuant, lituumque, clangorque tubarum
Et belli ſimulacra, nouiſque effulgere in armis,

Diſcere qua denſet cuneos, qua cornua tendat,
Quaue aciem ſtruat arte, locet qua fronte phalanges,
Quis locus inſidijs, ſtatio quæ accommoda fraudi:
Vt per operta ſoli diſcluſa repente furit vis
Ignea; turritas aries vt proruit arces.

P. Iul. Caſ. Deſtitus in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Educatio praua, aut perfunctoria.

HOc queror Teuto: nimis oſcitanter
 Educas fœtum; pater impudentes
Diligis pullos, eadem daturos
 Oua nepotum.
Dente vix nato, male feriatur
Vincit ætatem puer, & proterua
Fronte firmatur: ſcelerumque curſu
 Tranſilit annos.
Aleæ ludum procul amoueto,
Et canis talum leuiter cadentis.
Crimen ad fontem redit, vnde viſum
 Filius hauſit.
Oſſeum quando ſenior capaci
Verſat in menſæ tabula fritillum,
Teſſeræ præſens notat arma Coæ
 Iunior hæres.
Maior vrgebit loculos. honorem
Mutuum laudo, reuerere canos
Inquis Ænea: venerare criſpos
 Dicat Iulus.
Viſa ſpectator memorabit olim
Ipſe mox factis memorandus actor.
Mentis in raſa facilis tabella
 Scribitur error.
Omne cum longis vitium capillis
Creſcit in peius. nigra ni lauetur
Culpa prætextæ, toga num virilis
 Pura manebit?

P. Iac. Balde l. 3. ſil. Ode 2.

Educatio ſaua, & crudelis.

EST mihi prodigium cunctis immanior hydris,
 Tigride mobilius fęta, violentius Auſtro,
Acrius Harpyijs, flauis incertius vndis,
Rufinus: quem prima meo de matre cadentem
Suſcepi gremio; reptauit paruus in iſto
Sæpe ſinu tenero, perque ardua colla volutus
Vbera quæſiuit fletu, linguiſque triſulcis
Mollia lambentes finxerunt membra ceraſtæ,
Me tradente dolos, geſtus, artemque nocendi
Edidicit ſimulare fidem, ſenſuſque minaces

Pro-

Protegere, & blando fraudem prætexere riſu:
Plenus ſæuitiæ, lucrique cupidine feruens.
Claudianus l. 1. in Ruſin.

Quæ te, quæ latebris Hyrcania ſæua ferarum,
Bellua quæ genuit ſub rupe Libyſtidis oræ,
Quod mare conceptum certantibus vndique ventis
Expuit, & ſola proiectum liquit in alga?
Iam neque te generis noſtri, neque ſanguine noſtro
Fœmina concretum vitales fudit in auras:
Sed ſparſura luem in populos te dira Megæta
Anguineis inpexa comis, vallata colubris
Edidit, & picea phlegethontis lauit in vnda.
Et tenerum finxit lambentibus ora ceraſtis,
Prodigium populis dirum illætabile monſtrum,
Fluctibus inſani pelagi truculentius: Auſtris
Sæuins iratis: centena fœdius Hydra
Tygride mobilius Gangetide: crudius illo
Si quid adhuc fremit in terris violentius vſquam.
P. Ber. Stephonius car. 3.

Deuota ſacræ progenies domus
Fatale monſtrum. prodigialium
Monſtrum parentum; ſeu Lybiſſa
Marmaricis lea pauit antris:
Seu te maligno ſidere degener
Pardus marita tigride prodidit,
Furoris hæredem paterni;
Siue gregi populator Afri
Nudum ſub alto deſtituit iugo
Seu belluoſis fluctibus expuit
Irata tempeſtas nocentem
Alitibuſque, feriſque prædam.
Tuo ſeueras pectore marmora
Duxere venas, marmora rupibus
Deciſa, quas Getula cælebs
Deucalio ſuper arua iecit.
P. Caſim. Sarbiéuius l. 1. Ode 23.

MORES ANIMI.

Mores Optimi.

Hinc pietas, hinc alma fides, hinc neſcia fuci
Relligio, vitæque tenor ſincerus, & æqui
In titulos iam ductus amor, probitaſque, pudorque
Naſcenti iura cohors, ſurgentia magnæ
Indolis actonito properant miracula mundo,
Et fortunati ſacrant primordia regni,
Hinc ſolidi vis iudicij matura, ſagaxque
Ingenij rerum cauſas intrantis acumen,
Canaque primæuis gliſcens prudentia luſtris
Neſtoreæ laudem minuunt, famamque ſenectæ.
Ex P. Laur. le Brun Eloq. Poet to. 1.

..... •.. faſtus calcabat inanes,
Magnas inter opes humilis. non prodiga Circe,
Quæ iuuenum fœdo diſſoluit pectora luxu,
Non leuis ambitio, aut furor inconſultus agendi
Hic ſedes fixere ſuas; ſed proxima cœlo
Relligio curas patrio donabat Olympo,
Incubitque Deus menti. ſub moribus inſons
Emicuit pietas & blandæ gratia vitæ.
Non animo liuor diros innexuit hydros:
Truſit auaritiam, ſæclique afflata veneno
Crimina fucatæ poppyſmara ſubdola linguæ
Oderat, & ſolum potuit ſincera placere
Simplicitas. ſocios inter venerabilis ibat
Cunctorum communis amor, nec ſpernere doctus
Nec ſperni. facilis paribus, cultorque piorum.

Gaſp. Barlæus Heroic. l. 8.

Mores Ciuitatis corrupti.

LVxus, & inſanis nutrita ignauia luſtris,
Conſumptuſque pudor peccando, vnuſque relictus
Diuitijs probroſus honor, lacerabat hiantem
Deſidia populum, ac reſolutam legibus vrbem
Inſuper exitio truculenta ſuperbia agebat.
Nec vitijs deerant vires, non largior vlli
Auſoniæ populo ſic tum fortuna fauebat,
Aurique, argentique modus, madefacta veneno
Aſſyrio manibus veſtis, medioque dierum
Regales epulæ, atque ortu conuiuia ſolis
Deprenſa, & nulla macula non illita vita.
Tum populo ſæui patres, plebeſque Senatus
Inuidia lacera, & collidens diſſona corda
Seditio, ſed enim interea temeraria pubes
Delicta augebat, pollutior ipſa ſenectus.

Sil. Italicus l. 11.

Orbem iam totum victor Romanus habebat
Quà mare, quà terræ, quà ſidus currit vtrumque
Nec ſatiatus erat. non vulgo nota placebant
Gaudia: non vſu plebeio trita voluptas.
Aſſyria concham laudabat miles in vnda.
Quæritur in ſiluis Mauris fera, & vltimus Ammon
Afrorum excutitur, ne deſit bellua dente
Ad mortes pretioſa ſuas, premit aduena claſſes
Tigris, & aurata gradiens vectatur in aula
Vt bibat humanum populo plaudente cruorem,
Ingenioſa gula eſt. Siculo Scarus æquore merſus
Ad menſam viuus perducitur; inque Lucrinis
Eruta littoribus vendunt conchylia cœnis
Vt renouet per damna famem. iam Phaſidos vnda
Orbata eſt auibus; multoque in littore tantum
Solæ deſertis adſpirant frondibus auræ.
Nec minor in campo furor eſt, emptique Quirites
Ad prædam, ſtrepitumque lucri ſuffragia vertunt.

Ven-

Venalis populus, venalis curia Patrum:
Eſt fauor in pretio. Senibus quoque libera virtus
Exciderat, ſparſiſque opibus conuerſa poteſtas,
Ipſaque maieſtas auro corrupta iacebat.

Petronius Arbiter.

NOBILITAS, ET IGNOBILITAS.

Homo Nobilis.

LÆta dehinc ſeries, varijſque ex ordine curis
Auctus honos, ſemperque gradu prope numina ſemper
Cœſareum coluiſſe latus ſacriſque Deorum
Arcanis hærere datum: Tibereia primum
Aula tibi, vix dum aura noua mutante iuuenta
Panditur, hinc annis multa ſuper indole victis
Libertas oblata venit.

Statius l. 3 ſil. in Laur. Hetr.

Nec mirum, non te ſeries inhonora parentum
Obſcurum proauis, & priſcæ lucis egentem
Plebeia de ſtirpe tulit, non ſanguine cretus
Turmali, trabeque ac remis & paupere clauo
Auguſtam ſedem, & latij penetrale ſenatus
Aduena pulſaſti, ſed præcedente tuorum
Agmine, clare puer, genitum ſibi curia ſenſit.
Primaque patritia clauſit veſtigia luna
Mox Tyrios ex more ſinus, tunicamque potentem
Agnouere humeri. ſed enim tibi magna parabat
Ad titulos exempla pater.

Statius l. 5. ſil. ad Criſpin.

Quod ſi nobilitas cunctis exordia pandit
Laudibus, atque omnes redeunt in ſemina cauſæ,
Quis venerabilior ſanguis? quæ maior origo
Quam regalis erit? non te priuata dedere
Limina, nec tantum poterat contingere nomen
Anguſtis laribus. patruo te principe celſam
Bellipotens illuſtrat auus, qui ſigna Britanno
Intulit oceano, Getulaque reppulit arma
Cardine tu gemino laurus prætendis auitas:
Inde Caledonijs Auſtralibus inde parentum
Cingeris excubijs.

Claudianus in laud. Serenæ.

Homo ignobilis.

NOn ego vetuſtis nomen à ceris traho
Obſcurus hæres: ſtirpe nec clara ſatus
Per ſceptra regum mittor, & trabeas Ducum.
Si quæris ex nepote quem patrem patris
Tertius ab illo cenſeam, mihi non liquet.

Auos,

Auos, & atauos, generis & quidquid retro
Veteris meorum eſt, natus ex ipſis minor
Adhuc requiro: laude nec gentis mea
Nouitas colorem ducit alienum decus.
Nec me parentum merita, nec tituli efferunt,
Sed propria virtus, nata mecum ſcilicet.

P. Ber. Stephonius in Chriſ. ac. 3. ſc. 9.

D I V I T I Æ.

QVidquid ab auriferis eiectat Iberia foſſis,
Dalmatico quod monte nitet, quod meſſibus Afris
Verritur, æſtifer quidquid terit area Nili,
Quodque legit merſus pelagi ſcrutator Eoi
Et Lacedœmonij pecuaria culta Galeſi,
Perſpicuæque niues Maſſylaque robora, & Indi
Dentis honos, vni parent commiſſa miniſtro.

Statius l. 2. ſilu. in Laur. Hetr.

Hic mites Hieronis opes, hic ſancta vetuſtas
Artificum manibus, non vſquam clarior vllo
Gloria picturę ſœclo: non æra vocabant
Quæ ſcirent Ephyren fuluo certaret vt auro
Veſtis, ſpirantes referens ſubtegmine vultus,
Quæ radios cœlat Babylon, vel murice picto
Læta Tyros, quæque Attalicis variata per arte m
Aulæis ſcribuntur acu, aut Memphitide tela
Iam ſimul argento fulgentia pocula, mixta
Queis gemma quæſitus honos, ſimulacra deorum
Numen ab arte datum ſeruantia: munera rubri
Præterea ponti, depexaque vellera ramis
Fœmineus labor.

Sil. Italicus l. 14.

Quis non te potius magna Tyros marice diſcolor
Te demens Babylon, Niliacę regnaque Mempheos?
Seu te falce premas quidquid habent Gargara mſſieum,
Seu centum tibi per rura boues, & iuga mugiant,
Pactoluſque fluat largior, & Gange ſuperbas.
Immites animum dilacerant ſollicitudines.
Fines alterius Lydus aquis alluat aureis
Regnatuſque Tagus Heſperiæ, Medaque flumina.

P. Io. B. Maſculus l. 3. Ode 31.

Barbaros fruſtra tibi nunc tapetes
Bactra depingunt operoſa: fruſtra
Aſpero Seres properata textu
Vellera fingunt.
Siue Sarrano reuolutus oſtro
Aureum limen, biforeſque valuas:
Seu colorato rutilum lacunar,
Gange laboras
Nobilem vincat licet aula Memphin,
Et Paron, ditemque Tyron ſuperbo

Mar-

Marmore, & multa Babylonis arte
Atria condas.

Idem l. 3. Ode 31.

Mens aliquando fuit grauidam recludere terram
Æraque diuitibus vellere fulua cauis.
Aurumque, argentumque nitentis germina venę,
Quęque metallifero nutrit arena ſinu.
Quid iuuat? aggeſtas licet aurum fregerit arcas
Non tamen eſt animo nauſea pulſa meo.
Ergo ſub ęquoreos rapuit me cura penates,
Quà ſubit Eoas Indus aduſtus aquas.
Quidquid & aurifluis gemmarum naſcitur vndis,
Carpere ſub liquido gurgite feruor erat.
Et preſſum roſeis conchylibus edere rorem,
Rideret patulis purpura ſi qua labris,
Et baccas rutilis ſparſas conquirere ripis
Diues Hydaſpęi, qua nitet vnda vadi.

P. Herm. Vgo. l. 3. Pior. Deſid. n. 6.

Paupertas.

ME mea paupertas vitę traducat inerti,
Dum meus aſſiduo luceat igne focus.
Ipſe feram teneras maturo tempore vites
Ruſticus, & facili grandia poma manu.
Nec tamen interdum pudeat tenuiſſe bidentem,
Aut ſtimulo tardos increpuiſſe boues.
Non agnamue ſinu pigeat, fœtumue capellæ
Deſertum oblita matre referre domum.
Non ego diuitias patrum, fructuſque requiro,
Quos tulit antiquo condita meſſis auo.
Parua ſeges ſatis eſt: ſatis eſt requieſcere lecto,
Si licet, & ſolito membra leuare toro.

Tibullus l. 1. el. 1.

Pluris opes nunc ſunt, quàm priſci temporis anni:
Dum populus pauper, dum noua Roma fuit
Dum caſa Martigenam capiebat parua Quirinum,
Et dabat exiguum fluminis vlua torum.
Iuppiter anguſta vix motus ſtabat in æde:
Inque Iouis dextra fictile fulmen erat.
Frondibus ornabant, quæ nunc Capitolia gemmis:
Paſcebatque ſuas ipſe Senator oues.
Nec pudor in ſtipula placidam cepiſſe quietem,
Et fœnum capiti ſuppoſuiſſe ſuo.

Ouidius l. 1. Faſt.

Quid memorem, vt veteris poſt prima piacula noxæ
Aſtris æquæui gemina cum prole parentes,
Aut molli ſtipula, fruticoſo aut vimine textas
Incoluere caſas, campiſque nitentia fraga,
Moraque, & excuſſa legere ſub arbore glandem?
Nempe ſub vmbrifera ducebant fronde choreas,
Si quando rarum ſilueſtri è vite racemum
Carpſiſſent, corylique leues ex arbore baccas.

Ac

Ac dum cara fuit, placuitque nepotibus illa
Simplicitas; tum raſtra manu, tum quiſque bidentes
Verſauere ſuos; currum tum quiſque, breuemque
Et cenſus, agrique modum, finemque colebat.

P. Tarq. Gallutius l. 1. car. 10.

H O N O R.

Stabat agens nutu celeres ad iuſſa cohortes
Subnixus ſolio. & Tyrij ſub tegminis vmbra
Arduus obtutu, atque auro redimitus, & oſtro
Annorum regnator Honor; cui multa coronat
Gemma caput, ſceptrumque manu prætenditur alta.
Centum illi ſubiecta gradus cœlo inuida ſedes
Aſcenſu numerat, viridi fulgore nitentes.
Innumeræ ſtant circum acies, quæ ſcandere certant
Luctanturque optare gradum, & turbare ſodalem
Quiſque ſuum, & tuta propellere longius aula.
Hi ſummos tenuere gradus: hi margine in imo
Subſiſtunt: ſpatio in medio pars magna laborat
Non vno confuſa globo. iam tendere ſurſum
Omnibus idem ardor, ſed ineluctabile multis
Fatum obſtat, fallitque pedem, curſumque moratur.

P. Pulchar. l. 1. c. 8.

V O L V P T A S.

INnixa pennis verſicoloribus,
Bombyce fulgens diuite,
Molles reuincta floribus
Crines, procaci fronte, lubricoque
Aſpici vultu, facilique dulcis
Flexu loquelæ cordibus imperat
Mortalium, quos dum beare creditur,
Interimit, ſuaui præbens ſub lacte venenum:
Atque truces molitur hyæna
Sæuior inſidias,
Nouuſque Protheus mille formas induit:
Vt ſacræ leges Themidis reſoluat
Blanda Voluptas.

Vrbanus VIII. Ode de S. Maria Magd.

O fuge qui flumen rapido ſuccedis ab æſtu:
Hic lacus Æthiopes (fuge ripam) hæc Salmacis vnda
Idem vtroque venit cum flumine potus amator,
Atque obſcœna lues toto ſe fonte propinat.
O gregis immundi ſoboles ſata gramine Circes,
Mortales ô molle pecus, vos lecta Cytæis
Oblectant aconita iugis, aut arua cicutæ,
Aut riſum factura malo Sardoa veneno.
Eſte procul fluuio miſeri: male creditur vndæ,
Vidi ego ſe veſtris immiſcere fontibus apros,

Et

Et pecudes graueolentis haræ. ne pocula veſtræ
Inſidioſa ſiti, ne fœdam haurite paludem.

P. Pulcharellus l.2. eleg. 4.

DIGNITATES HVMANÆ.

Regia dignitas, ſiue Rex.

REgem non faciunt opes
Non veſtis Tyriæ color,
Non frontis nota regiæ.
Rex eſt, qui poſuit metus
Et dira mala pectoris:
Quem non ambitio impotens
Et numquam ſtabilis fauor
Vulgi præcipitis mouet.
Qui tuto poſitus loco
Infra ſe videt omnia,
Occurritque ſuo libens
Fato, nec queritur mori.
Mens regnum bona poſſidet.
Rex eſt, qui metuit nihil,
Rex eſt, quique cupit nihil.

Seneca in Thye.3.ac.2.in Cho.

Vidimus excelſa Salomonem in ſede locatum,
Et circumſtantes nomina magna Duces
Vincebat reliquos Vnus tamen ipſe; minores
Vincit vti magno Cynthius igne faces.
Os oculoſque Deo ſimilis. nota frontis amœnæ,
Neſcio quæ magnæ ſymbola mentis habent.
Hinc populos nutu facili, terraſque coercet,
Hinc fera cordato pectore bella cauet.
Sceptra manus implent adamante coruſca: pyropis
Degrauat ornatum texta tiara caput.
Cœſaries humeros, tergumque refuſa flagellat,
Lenis vbi motas ventilat aura comas.
Ipſe relucenti trabeæ veſtitus amictu
Diuite gemmatam ſyrmate verrit humum.

P. Iac. Bidermanus l.2. Herod. ep.3.

Rex, ſeu Princeps Optimus.

TV licet extremos latè dominere per Indos,
Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent,
Si metuis, ſi parua cupis, ſi duceris ira,
Seruitij patiere iugum: tolerabis iniquas
Interitus leges. tunc omnia iure tenebis
Cum poteris rex eſſe tui, procliuior vſus
In peiora datur, ſuadetque licentia luxum,
Illecebris effrena fauet; tunc viuere caſtè
Aſperius, cum prompta Venus, tunc durius iræ

Con-

Conſulimus, cum pœna patet, ſed comprime motus.
Nec tibi quid liceat, ſed quid feciſſe decebit
Occurrat, mentemque domet reſpectus honeſti.

Claudianus de 4. Conſ. Hon.

Intentus animus, arduus, celſus, ſagax,
Impiger, amœnus, viuidus, verax, probus,
Expoſita virtus, mollis affatus, manus
Donare facilis, mitis ingenij ſales,
Conſilia certa mentis, ingenij rigor
Cuſtos pudoris, æqua promiſſis fides
Idemque vultus ſemper, & nullo metu
Timidè recedens pectoris magni color.
Nec dextra bello ſegnis, aut paci grauis.
Vbiuis amantur, ſine ſi modico latent:
Si ſumma ſint in Regia, de cœlo Deum
Adeſſe clamant.

P. Bern. Stephonius in Flau. ac. 4. ſc. 2.

Rex eſt profanos qui domuit metus:
Qui cum ſtat vnus, caſtra ſibi facit,
Caſumque, fortunamque pulchro
Prouocat aſſiduus duello.
Non ille vultum fingit ad improbi
Decreta vulgi, non popularia
Theatra, non illum trophæa
Non volucri mouet aura plauſu.
Beatus à quo non humilem grauis
Fortuna vocem, non tumidam leuis
Expreſſit vnquam, curioſis
Dum tacitus premit ora fatis.

P. Caſ. Sarbieuius Lyr. l. 4. Ode 3.

Deſpicit æquales, regum tua purpura voces,
At cœlo parere cupit, queis flectis habenis
Imperium, ſubdis Superis vnoque Tonante
Dum minor es, titulos vni ſubmittis Olympo.
Nec parere Deo pudor eſt, nam tuta perennat
Regia, quam fulcit pietas, & conſcius horror
Numinis, & ſacro ſupplex reuerentia cultu.
Sic cœlo, terræque places: & ſidera Princeps
Blanda refers, precibuſque tuis ſe accommoda æther,
Nec tibi iuſſa placent, mandataque dura regentum.
Quæ reges feciſſe piget, nec cuncta licere,
Quæ poſſent libuiſſe, putas: veniamque nefando
Prætexis ſceleri, aut peccans impune tribunal.
Ius populi commune tibi eſt: deuincit honeſtas
Vna Ducem, ciueſque tuos: diſcrimina ſolum
Maieſtas, ſceptrumque facit. ſic iuſſa capeſſunt,
Quos gaudes feciſſe bonos: dominumque verentur,
Sed recti ſibi lege parem. ſat longa furori
Das ſpatia, ingenteſque moras, ne regna miniſtret.
Impetus, aut calidis vileſcat regia iuſſis.
Non auidum pœnæ, aut diri vindicta cruoris
Accendit præceps animum: non vilibus acer
Succenſet vitijs, aut magnis frena relaxat.

Gra-

Gratia criminibus. debellat dextra ſuperbos,
Subiectis facilis

Gaſp. Barlæus Her. l. 1.

.... Prudentia factis
Emicuit grandæua tuis; intacta refulſit
Nec temerata fides. vertit vigilantia quauis
Lumina parte labor. ſublime modeſtia culmen
Inflexit; poteraſque minor iam rege videri,
Iam titulis, regumque omni conſpectior oſtro,
Non tibi veſanos ignaua licentia luxus
Suaſit, & incumbens auguſtis poſtibus effrons
Improbitas, peccanſque exemplis grandibus error
Proſcribis ſcelerum matres, aduerſaque recto
Crimina, tartareis quæ dudum extruſit ab oris
Tiſiphone; ſtudijſque tuum conſtantia pulchris
Fulcit ebur, nec te patitur mutabile quidquid,
Deſpectumque ſequi, lentas patientia vires
Roborat, & totum moderatur maſcula regem
Simplicitas, ſummique decens reuerentia cœli.

Idem ibidem.

Hoc Regis putat eſſe, Deo ſubmittere faſces,
Non homini; legeſque ſequi quas condidit ipſe,
Vult licuiſſe ſibi, quicquid permittit honeſtum:
Nec licuiſſe ſibi, quæ ſola licentia clamat.
Poſſe duces. tunc arma probat, cum publica iuſtè
Cauſa dolet. tunc arma fugit, cùm fœdere tuto
Stat ſecura quies. fines virtute tueri,
Principis officium credit: non poſcere bellis,
Quæ leuis ambitio, & regnandi inſana libido
Suggerit. Aſtræa propugnat vindice muros
Excubijs, teliſque minus. venalia iura.
Strataque muricibus damnat fora, digna merenti
Deſtinat, indignis grauior, turbantibus acer
At quoties decernit, amat conſulta Senatus
Conſilijs ſociare ſuis, proceresque loquentes
Audit, & à cano ſuffragia Neſtore poſcit.
Non auida iratas illi male ſtrangulat arca
Quas congeſſit opes, verùm moderata fruendi
Temperies toti partitur commoda regno.
Cùm mala vicinas exercent iurgia terras,
Omnia tuta timet, litique interuenit æquus
Arbiter, indomitoſque ſtudet componere fluctus.

Idem ibidem.

Tyrannus.

.... iam Solis habenæ
Bis ſenas torquent hyemes, ceruicibus ex quo
Hæret triſte iugum: noſtris iam luctibus ille
Conſenuit, regnumque ſibi tot vindicat annis
Atque vtinam regnum: priuato iure tenemur
Exigui ſpecie fundi: pars tertia mundi
Vnius prædonis ager. diſtantibus idem

In-

Inter ſe vitijs cinctus; quodcumque profunda
Traxit auaritia, luxu peiore refundit.
Inſtat terribilis viuis, morientibus heres,
Virginibus raptor, thalamis obſcœnus adulter.
Nulla quies. oritur præda ceſſante libido:
Diuitibuſque dies, & nox metuenda maritis.
Quiſquis vel locuples, pulchra vel coniuge notus,
Crimine pulſatur falſo. ſi crimina deſunt,
Accitus conuiua perit. mors nulla refugit
Artificem; varios ſuccos, ſpumaſque requirit
Serpentum virides, & adhuc ignota nouercis
Gramina. ſi quiſquam vultu præſentia damnet,
Liberiuſue gemat dapibus crudelis in ipſis
Emicat ad nutum ſtricto mucrone miniſter.

Claudianus lib. de bello Gildon.

Is nunc ſuperbe Cœſarum ſupra modum
Animæ tumentis ſpiritum impurum efferens
Patriam iacentem calcat, & templis Deus
Amat vocari: patre Veſpaſio ſatus
Se genere tanto, ſcelere gratuito abdicat:
Virgine Minerua genitus, inceſto Iouis,
Audire mauult, Roma quid poſſit pati.
Tentat iubendo thura, mentiti patris
Fulmine coruſcus, ſceptra ſic ſordent Ducum;
Tam vile nomen generis humani putat.
Odium Deorum turpe, populorum metus,
Incedit aras inter, & cœlo imminet
Ritu Gigantum pateris hunc Conſul Ducem,
Quem dirus ardor cœdis, & fœdi vapor
Impurus ignis vexat, inſtinctu fero
Rabidè ruentem, cœca quà cœcum rapit,
Tumidi ira cordis, peior atque ira Venus?

P. Ber. Stephonius in Flau. ac. 2 ſc. 2.

Tyrannis Regina ſpecie.

REgnantum ſedet hìc etiam Regina Tyrannis,
Harpyæque alas humeris regalibus aptat.
Pro ſceptro chalybis virgam ſuſtollit: aceruo
Stat capitum ſubnixa, fero quæ meſſuit enſe,
Vt ſolium extrueret ruiturum. purpurat oſtro
Sanguinis: immotos oculos, immotaque frontis
Nubila non vnquam flectit; ſed mente nocenti
Multa mouet, dum multa timet, ſibi lictor & hoſtis.

P. Car. de Luca l. 19. Dom. Laur.

Aula, ſiue vita Aulicorum.

INnumeræ ſtant circum acies, quæ ſcandere certant,
Luctanturque optare gradum, & turbare ſodalem,
Quiſque ſuum, & tota propellere longius aula.
Hi ſummos tenuere gradus, hi margine in imo

Sub-

Subſiſtunt; ſpatio in medio pars magna laborat
Non vno confuſa globo, nam tendere ſurſum
Omnibus idem ardor, ſed ineluctabile multis
Fatum obſtat, fallitque pedem, curſumque moratur,
Hinc odia, hinc variæ fraudes, hinc effera bello
Pectora, flagranteſque animis diſcordibus iræ.

P. Pulchareltus l. 1. car. 8.

Liuor beati liminis cuſtos, pede
Timido per Aulas errat adiunctus comes
Aſſiduus angor rebus in lætis adeſt.
Pectore ſubeſo cura prætendit grauis
Inane frontis gaudium: greſſu ardua
Demiſſa vultu graditur ambitio impotens:
Oſura cui blanditur, inuidia anteit.

P. Bern. Stephonius in Flau. ac. 2. ſc. 1.

Abripimur cœci, ſcopuliſque allidimur Aulæ
Et tamen in portu credimus eſſe ratem.
Semper ab incerto curarum impellimus æſtu,
Attamen ignaros occupat alta quies.
Blandimur ventis, decimas amplectimur vndas,
Oſcula conuulſo figimus vſque mari.
Naufragio inſtamus, iuuat occurſare procellis;
Nec ſatis ad mortem eſt, vel meruiſſe mori
Iungimus inuentis quæſita pericla periclis.
Pullulat è medio ſæpe labore labor
Cur tantum ſibi dura putat fortuna licere
Fingat vt arbitrio fata, viceſque ſuo?
Nunc premit, æthereis imponit turribus illum
Lubrica perpetuo turbine verſat opus.
Hunc alit æternis rediuiuum angoribus, illum
Proterit immiti ſemper iniqua pede.

Aug. Maſcardus l. 3. Silu.

Fallacis Aulæ pompa, criminum mater,
Quæ turbulentæ turbinem bibis pompæ,
Rituque ſemper fluctuantis Euripi.
Et huc, & illuc ambulando, curſando,
Confabulando, garriendo, ludendo,
Et vſque, & vſque, & vſque conſalutando
Quotidiano merſa nauigas cœno,
Centumque pictis curribus lutum rumpis.
Sis ò beata, delicata, formoſa
Morum charybdis Aula, pectorum Circe,
Doloſa Siren, innocentiæ labes,
Fraudum ſatelles, officina fucorum,
Eas ſuperbis ſemifulta lecticis,
Et per ſupinæ colla plebis incedas
Habe capaces patrimonij Scyllas
Fundi Maleas, ſpongias crumenarum,
Onuſta laudum plauſtra, nominum rhedas
Plenas iocorum, riſuumque carrucas
Ineptiarum mille turgidos folles,
Quibus doloſę ficta dona naturæ
Vultus poetas, & poetrias linguas

Fe-

Fecere dudum ſuſque, deque vertere;
Quibus loquacis inficetiæ plena
Negotioſa liminum ſalutatrix
Famelicorum turba circulatorum
Nugaque mille vendit & locat riſum:
Fruſtiſque fraudum mille, mille fucorum,
Mendaciorum mille, mille nugarum
Suitque, ſubſuitque mille centones.

P. Caſ. Sarbieuius l. 1. Epigr. Ep. 76.

Ah Symplegada nobilem
Claris naufragijs prætereuntium,
Et cæcos ſcopulos fuge.
Primas namque potens ambitio fores,
Et limen tacitum obſidet:
Periurijque palam pollicitis Dea
Stipatur famulantibus.
Cui thure, & precibus turba; ſed acrior
Auro curia ſupplicat.
Spes blando facilis lumine deſides
Et nutu illice prouocat:
Tam ſpondere animis larga petentibus,
Quam iurata dare immemor
Quæ mentes auidas ludere geſtiens,
Vmbris detinet aureis,
Et pictis oculos paſcit honoribus.

P. Gilb. Ionninus l. 3. Ode 6.

Exulat hinc Aſtræa procul, totam ambitus aulam
Poſſidet, in vinclis iuſque, piumque gemit.
Illic pro vero proſtant mendacia. nulli
Certa fides, vulpem pectore quiſque gerit,
Non regem, ſed regna colit gens æmula, geſtit
Vt premat, aut noceat, quilibet eſſe potens.
Aurea ſollicitas volitare per atria curas
Aſpice: ſecurus non amat iſta ſopor.
Nulla quies: curſu, ſtrepitu, fremitu omnia ſeruent:
Credite. vix tantis motibus Ætna ſonat.
Imperat hoc Rex trinus, opes, honor, atque voluptas,
Tota tribus dominis vix ſatis aula patet.
Hos circumſiſtunt, palpant, mirantur, adorant,
Sollicitant, prenſant ambitioſa cohors.
Illi promiſſis comites ingentibus implent,
Sed vacuas ſemper ſpes ſedet ante fores.
Quid moror? expediam paucis; non diuite lingua,
Sed potius lacrymis res eget iſta tuis,
Aula quid eſt? carcer ſpecioſus, ſplendida vincla,
Virus dulce, quies anxia, ſcena breuis.
Inſtabilis ſtatio, pelagus graue, lerna malorum,
Pœna hilaris, Siren noxia, ficta quies.
Mendax lena, dolor verus; fucata voluptas,
Error gratus, inops copia, iuge iugum.

P. Ca. Verpæus l. 2. El. 4. Piar. lacr.

Quod primum eſt, pietas, candorque, fideſque
Exulat his laribus. Vos hęc priuata putatis

Et

Et ciuis documenta boni; regnantibus omne
Quod libuit, licuiſſe. alia nec lege teneri
Qui populo imperitant, quanto imperioſior orbi eſt
Quiſque Iouem curat minus, & contemptor Olympi eſt.
Aut nullos habet aula Deos, aut ſegnius illos
Quos habet illa, colit. nec enim ſe numine egere
Autumat, in terris quiſquis pro numine habetur.
Quæ facienda iubet, leges quas purpura condit.
Condere vult alijs, veniam ſibi criminis vni
Ipſa facit, meritiſque audax prior annuit, & quod
Imperat, iniungitque ſuis, detrectat honeſtum.
Ingreditur ſed ficta gradu dum comis haberi
Vult, ſimulat, geſtuque leuis mentitur amicum.
Et latam didicit frontem prætendere fraudi,
Diligit, vt noceat: quem prona amplectitur, odit.
Hic mala luxuries diſtentis prodiga cellis,
Et faſtus populator opum ſtabulantur, & exlex
Abſorbet noſtros regum laſciuia cenſus.
Vilis adulator, notat. picto iacet ebrius oſtro,
Delator, magnaque bonos mercede flagellat.
Sunt vigiles ad lucra doli. diuiditur æquum,
Et pretio proſtant trabeæ; liuorque ſecundis
Anxius alterius rebus liueſcit opimis
Promiſſis facilis ſua mox promiſſa retractat.
Sed leuitate pari. rapiunt aliena potentes,
Nec proprij fines, nec regnum ſufficit vnum.

Gaſp. Barlæus l. 1. Her.

...... aſt alius faſces miratus, & oſtrum
Sarranum, penetratque aulas. atque intima regum
Limina, nec patiens nurus non ſeruat heriles:
Non noctu, non ille auſus diſcedere luce.
Ac ſæpe incautæ nimium poſt acta iuuentæ
Tempora, inops animi, lapſiſque inglorius annis,
Fortunamque, ſuaſque miſer deplorat inanes
Spes multum, & reliquæ perfert incommoda vitæ
Curis, atque atra pectus conſumptus ab ira:
Dum veras ignominias, dum turpia ſecum
Ludibria, & falſos recolit mentitus honores.

Ang. Bagæus Cyneg. l. 6.

DIGNITATES SACRÆ.

Pontifex Maximus.

Ecce autem ſolio latè ſpectabilis aureo
Inuehitur gaudentum humeris animiſque Quiritum
Romanus Pater, & Romanæ ſpiritus vrbis
Vrbanus: proh quale decus, quantumque ſerenæ
Maieſtatis habet? ſe ſe ipſe nitentior ardet,
Et præter ſolilum diuinior: emicat olli
Tantus in ore Deus, cui ſceptra vicaria geſtat.

Denique ſi neſcis, quàm grandia munera verſet
Quidve animo ducat curarum, conſule vultum
Principis, & dices, nihil eſt mortale quod optat.
Talis adeſt mundi Pater, & quocunque curuli
Ingreditur ſolio, tum genua labantia terræ
Ponit adorantum populus; ſed lumina tollit
In cœlum, voceſque pias, & fauſta precatur
Omnia, deque ſuis Vrbano fabricat annos.

P. Vinc. Guiniſius car. 1.

Regnare terris vidimus alterum
Latè Tonantem ſorte vicaria,
Iraſque, diuinumque fulmen
Intrepida iaculare dextra:
Atram rebelles ad Stygia trudere,
Cuius potenti voce recluditur
Immane diductis dehiſcens
Faucibus obſequioſus Orcus:
Deuota rurſus pectora Tartaro
Donare Cœlo. fertur Atlantias
Vtcumque damnatos avernis,
Virga vadis reuocare cœtus.
Minora vero. verius indicat
Oſtenta rerum lingua ter integri
Interpres æqui, ter ſupremi
Arbitrij memoranda laude.
Soluta vinclis docta tenacibus
Vincire nexu, vincta reſoluere
Fatique, naturæque leges
Inſolito variare nutu.
Quicquid ſeuera voce diremerit
Quicquid benigna, numen ab æthere
Ad iuſſa concors ſempiterna
Lege ratum, ſtabilique firmat.

Bened. Milanus in lib. Carm. Ode 1.

Cardinales.

CÆtera quid memorem? Vos ò fulgentibus oſtro
Tollitis ora Patres in veſtibus: altaque iuxta
Purpura, prætexo nubit quæ vellere frontem.
Labitur, & totos rutilat demiſſa per artus,
Et villoſa ligant patulos amenta galeros.

P. Alex. Donatus l. 2. c. 1.

SPECTACVLA.

Pompa Equeſtris.

ANteibat ſublimis equis delecta iuuentus
Ornatæque vias implent longo ordine turmæ
Pars lucent ſagulis; chlamydeſve, aut picta decoris

Sta.

Stamina cingebant humeris: pars arma coruſcant,
Attolluntque leues elato vertice criſtas
Ipſe inter belli proceres, vexillaque Princeps
Fertur, & intexto trabeam diſcriminat auro,
Et multum de patre gerens. tum denſa cohortes
Effundit legio. non ære latentia membra
Horrificas vomuere minas; ſed fuſa per aurum
Blanda laceſſito cedebant lumina ſoli,
Et flammæ galeis. clypeis ſe fulgura miſcent:
Haud impar infertur eques, cui prima dorſo
Purpura, fulgenteſque habitus, cui lucidus ambit
Membra chalybs: ſonipes ſquamis, atque ære coruſcis
Mobilis effigiem gaudet ſimulare metalli:
Miranturque omnes: turbis ciuilibus implent
Sublimes quicumque domos: quicumque patentes
Obſedere vias, atque altis pendula pinnis
Culmina: & obtutu florentia Principis vno
Ora legunt, ſimilemque putant aſtare parentem.

P. Al. Donatus l. 10. Conſt.

Sed Circo iam pompa ſubit: iamque agmine læto
Apparent, campumque ineunt Romana iuuentus.
Hi ſolidos auro frenos moderantur equorum,
Et teneros ornant armis fulgentibus artus.
Omnibus auriferas attollit caſſida criſtas.
Plumaque mordenti colludens molliter auro
Nutat, & ancipites confundit mixta colores.
Inſidet ira latus, cui baltheus alligat enſem,
Gemmiferum capulis enſem: præfixa relucent
Spicula inaurato manibus cortynia ferro:
Oſtrinæque ſimul chlamydes, auroque rigentes
Irradiant gemmis tunicæ: per colla renident,
Pectoraque, eois contexta monilia baccis.
Bix denas adeo tendunt in cornua turmas,
Ære cauo, & curſu alipedum, fremituque ſonantes.

P. Al. Donatus l. 2. Conſt.

Pompa ludicra pedeſtris.

AT iuuenes aciem totidem formare pedeſtrem
Aſſueti, & ſtabili legione obducere campum.
Pila quibus, clypeique manu; quibus ardua frontem
Obnubit galea, & rutilas vomit aurea criſtas:
Arma tegunt habiles ſagulis breuioribus artus.
Comminus hi conferre pedem diſpergere cladem
Eminus; implicitos aut centuriare maniplos,
Aut laxas denſare, arctas laxare cohortes,
Et ſinuare fugam, tergoque inſtare trementi
Diſcunt, & profugum reuocare in prælia Martem.

Idem ibidem.

Pugna ludicra equeſtris.

INcedunt pueri, pariterque ante ora parentum
Frenatis lucent in equis; quos omnis euntes
Trinacriæ mirata fremit, Troiæque iuuentus.
Cornea bina ferunt præfixo haſtilia ferro:
Pars leues humero pharetras. it pectore ſummo
Flexilis obtorti per collum circulus auri.
Tres equitum numero turmæ, terniqne vagantur
Ductores: pueri biſſeni quemque ſecuti
Agmine partito fulgent, paribuſque magiſtris. *Et infr.*
Poſtquam omnem læti conſeſſum, oculoſque ſuorum
Luſtrauere in equis: ſignum clamore paratis
Epytides longè dedit, inſonuitque flagello.
Olli diſcurrere pares, atque agmina terni
Diductis ſoluere choris, rurſuſque vocati
Conuertere vias, infeſtaque tela tulere.
Inde alios ineunt curſus, alioſque recurſus
Aduerſis ſpatijs, alternoſque orbibus orbes
Impediunt, pugnæque cient ſimulacra ſub armis.
Et nunc terga fugæ nudant, nunc ſpicula vertunt
Infenſi, facta pariter nunc pace feruntur.
Virgilius l. 5. Æn.

Signa cauis ſonuere tubis, & cornua cantu
Inducunt equiteſque, pharetratoſque maniplos
Anteuolat criſta Mauors, & mitibus armis.
Iam ſublimis equo bellator, & igneus auro
Et Tyrio ardentem ſaturatus murice pallam
Fortis adeſt: idem ardor equo ſpumanſque fremenſque
Exilit, & celeres curſu rapit impetus armos.
Aduerſis micuere haſtis, cœcoque tumultu
Delituere; cauas implerunt fragmina nubes.
Tum iaculis, tum fulmineo ferit obuius enſe
Quiſque hoſtem ſpeculatus, & ictu inſignis in orbem
Siue fugam ſimulat, mollique repente recurſu
Aggreditur, parmaque leuem, teloque minantem.
P. Alex. Donatus l. 2 car. 8.

Ludicra bella parant ficti ſimulacra furoris.
Ergo bellatrix ſe turba oſtentat in armis
Exuperatque iugum, quà detumet æquore collis
Æquora deſpectans. armorum fulgure campus
Lucet, equus phaleris. diſcurrunt agmine longo
Frenatis equites in equis. conuertere curſus;
Ire, redire; ciere fugam, rurſuſque referre
Quadrupedes in bella iuuat; tunc ire ſolutis
Montis ad ima choris, rurſuſque vocare flagello
Pernices ad ſumma feros, atque agmina campo,
Iungere, vibratiſque retexere prælia telis.
P. Car. de Luca l. 18. Dom. Laur.

Pu-

Pugna ludicra pedeſtris.

ECce autem gemini thyrſos impune per auras
Criſpabant Satyri belli ſimulacra cientes
Alter in alterius procurrit comminus haſtam,
Suſpenſo ferit ille gradu, rotat alter in orbem
Terga fugax, hoſtem reuoluto vt verberet ictu.
Crura alternatim, mox brachia iactat vterque.
Aſſiliunt, inſtant, minitantur: hic obuius hoſtis
Ante oculos thyrſum ſimulata cœde coruſcat,
Contentuſque metu pauitantem innoxius vltro
Præterit, obducto confeſſus gaudia rictu.
Ille inſultantis malè ſuetus ferre cachinnos,
Excoquitur furijs, & honeſtas imbibit iras.
Conſtitit in digitos thyrſumque amplexus vtraque
Forte manu, ferus inſurgens altè extulit ictum,
Fregit & implicitum gemina inter cornua tyrſum.

Aug. Maſcardus l. 2. ſilu. in Autum.

Ludus equitum collineantium in annu'um.

HIc locus eſt, inquit, pugna qui notus equeſtri
Mitia pacato prælia Marte tulit.
Annulus in medio tranſuerſi ad vincula funis
Figendas poſuit pendulus orbe notas.
Hinc autem denſis meditatus prælia turmis,
Arduus alipedis frena regebat eques.
Non ille æratis ſe ſquameus induit armis,
Non tegit obductas caſſis ahena comas.
Linea ſutilibus variè contexta metallis
Multiplici lapſu ſerica picta rigat.
Atque ſuper cingunt plumas capita alta comantes,
Et numeroſa nigro tegmine gemma nitet.
Buccina imamque dedit feſtum certamine ſignum,
Ingeminatque cauum reddita ſigna nemus.
Illi abeunt, ineuntque nouos è carcere curſus
Annulus inſerta cuſpide raptus abit.

P. Alex. Don. l. 3. in Tuſcul.

Curſus Curruum.

NOnne vides? cum præcipiti certamine campum
Corripuere, ruuntque effuſi carcere currus;
Cum ſpes arrectæ iuuenum, exultantiaque haurit
Corda pauor pulſans: illi inſtant verbere torto,
Et proni dant lora: volat vi feruidus axis.
Iamque humiles, iamque elati ſublime videntur
Aera per vacuum ferri, atque aſſurgere in auras
Nec mora, nec requies: at fuluæ nimbus arenæ
Tollitur, humeſcunt ſpumas, flatuque ſequentum
Tantus amor laudum, tantæ eſt victoria curæ.

Virg. l. 3. Georg.

Stare leui curru moderantem quatuor ora
Spumigeris frenata lupis, & flectere equorum
Prævalidas vires, ac torto ſtringere gyro.
At cum laxato fugerunt cardine claſtra.
Exagitare feros, pronumque anteire volantes
Vixque rotis leuibus ſummum contingere campum,
Vincentem pedibus ventos, vel prima tenentem
Agmina in obliquum curſus agitare malignos,
Obſtantemque mora totum præcludere Circum,
Vel medium turbæ: nunc dextros ire per orbes
Fidentem campo, nunc meta currere acuta
Spemque ſub extremo dubiam ſuſpendere caſu.
Mar. Manilius l. 5. Aſtron.

Inſonuit contra Tyrrenum murmur, & omnes
Exiliere loco, quæ tantum carbaſa ponto,
Quæ bello ſic tela volant, quæ nubila cœlo?
Amnibus hybernis minor eſt, minor impetus igni.
Tardius aſtra cadunt, glomerantur tardius imbres,
Tardius è ſummo decurrunt flumina monte.
Et iam rapti oculis, iam cœco puluere mixti
Vna in nube latent, vultuſque vmbrante tumultu,
Vix inter ſeſe clamore, & nomine noſcunt.
Vuoluere locum, & ſpatio quo quiſque valebat
Diducti, delet ſulcos iterata priores
Orbita nunc auidi prono iuga pectore tangunt.
Nunc pugnante genu preſſis duplicantur habenis
Colla toris crinita tument, ſtanteſque reflectit
Aura iubas. bibit albentes humus arida nimbos,
Fit ſonus immaniſque pedum, tenuiſque rotarum.
Nulla manus requies, denſiſque inſibilat aer
Verberibus. gelida non crebrior exilit Arcto
Grando, nec Olenijs manant tot cornibus imbres. *Et inf.*
Poſtremum diſcrimen erant Chromis aſper, & aſper
Hippodamus, non arte rudes, ſed mole tenentur
Cornipedum. prior Hippodamus fert ora ſequentum.
Fert gemitus; multaque humeros incenditur aura.
Sperauit flexæ circum compendia metæ
Interins ductis Phœbeius augur habenis
Anticipaſſe viam; nec non & Theſſalus heros
Spe propiore calet, dum non prohibente magiſtro
Spargitur in gyros, dexterque exerrat Arion.
Iam prior Oeclides, & iam non tertius ibat
Admetus; laxo cùm tandem ex orbe reductus
Æquoreus ſonipes premit, euaditque parumper
Gauiſos ſubit aſtra fragor. cœlumque tremiſcit,
Omniaque excuſſo patuere ſedilia vulgo.
Sed nec lora regit, nec verbera pallidus addit
Labdacides. laſſa veluti ſtatione magiſter
In fluctus in ſaxa ruit, nec iam amplius aſtra
Reſpicit, & victam proiecit caſibus artem.
Rurſus præcipites in recta, ac deuia campi
Obliquant, tenduntque vias: iterum axibus axes
Iuſ..cti, radijſque rotæ. pax nulla, fideſque.

Is furor in laude eſt trepidant, mortemque minantur,
Multaque tranſuerſis perſtringitur vngula campis.
Stat.l.6.Theb.
Iamque vbi prolato ſonuere repagula ſigno,
Et toto prima emicuit vix vngula cornu,
Tollitur in cœlum furiali turbine clamor,
Pronique, ac ſimiles certantibus ore ſequuntur
Quiſque ſuos curſus, magnaque volantibus ijdem
Voce loquuntur equis. quatitur certamine circus
Certantum, ac nulli mentem non abſtulit ardor.
Inſtant præceptis, & equos clamore gubernant.
Fuluus arenoſa ſurgens tellure ſub auras
Exigitur globus, atque operit caligine denſa.
Cornipedumque vias, aurigarumque labores.
Euolat ante omnes. rapidoque per aera curſu
Callaicus Lampon fugit atque ingentia tranat
Exultans ſpatia & ventos poſt terga relinquit.
Conclamant, plauſuque fremunt, votique peractam
Maiorem credunt præcepto limite partem.
At queis interior cura, & prudentia circi
Altior, effuſas primo certamine voces
Damnare, & caſſis longè increpitare querelis
Indiſpenſato laſſantem corpora riſu.
Quo nimius, quo Cyrneruis (nam Cyrnus agebat)
Verbera dimitte, & reuoca moderatus habenas.
Heu ſurdas aures: fertur ſecurus equorum,
Nec meminit quantum campi decurrere reſtet.
Proximus à primo diſtans quantum æquore currus
Occupat ipſe loci tantum. ſed proximus ibat
Aſtur Panchates, patrium frons alba nitebat
Inſigne, & patrio pes omnis concolor albo
Ingentes animi, membra haud procera, decuſque
Corporis exiguum; ſed tum ſibi fecerat alas
Concitus, atque ibat campo indignatus habenas
Creſcere ſublimem, atque augeri membra putares.
Cinyphio rector radiabat fronte Peloro
Camphaſus, ipſe aſper nec qui ceruicis amaret
Applauſæ blandos ſonitus, clauſumque cruento
Spumeus admorſu gauderet manderes fertum.
At docilis freni, & melior parere Pelorus,
Non vnquam effuſum ſinuabat deuius axem.
Sed læuo interior ſtringebat tramite meram
Inſignis multa ceruice, & plurimus idem
Ludentis per colla iubæ (mirabile dictu)
Vnus erat leuis, vt Zephyri noua flamina campis
Vectorum eductum genitrix effuderat Harpe
Nobilis hunc Durius ſtimulabat in æquore currum
Camphalus antiquo fidebat Atlante magiſtro.
Iamque ferè medium euerti certamine campum
In ſpatia addebant; niſuſque apprendere primos
Panchates animoſus equos, ſuper altior ire
Et præcedentem iam iamque aſcendere currum
Ponè videbatur, curuatiſque vngula prima
R ε Cal-

Callaicum quatiens pulſabat calcibus axem.
At poſtremus Atlas, ſed non & ſegnior ibat
Poſtremo Durio: pacis de more putares
Æquata fronte, & concordi currere freno.
Senſit, & exhauſtas, qui proximus ibat, Iberus
Callaicas cernit vires, nec vt ante ſalire
Præcipitem currum, & fumantes verbere cogi
Aſſiduo violenter equos; ceu monte procella
Cùm ſubito ex alto ruit; vſque ad colla repente
Cornipedum protentus, & in capita ardua pendens
Concitat ardentem, quod ferret lora ſecundus
Panchaten, voceſque addit cum verbere mixtas,
Te ne, Aſtur certante feret quiſquam æquore palmam
Erepto? conſurge, vola, perlabere campum.
Aſſuetis velox pennis decreſcit anhelo
Pectore conſumptus Lampon, nec reſtat hianti
Quem ferat ad metas iam ſpiritus; hæc vbi dicta
Tollit ſe ſonipes, ceu tunc è carcere primo
Corriperet ſpatium, & nitentem opponere læuos
Aut æquare gradus, Cyrnum poſt terga relinquit.
Confremit & cœlum, & percuſſus vocibus altis
Spectantum Circus: fertur ſublime per auras
Altius attollens ceruicem victor ouantem
Panchates, ſocioſque tragit prior ipſe iugales.

Sil. Italicus l. 16.

Illi ad clauſtra fremunt, repagliſque
Incumbunt ſimul, ac per obſeratas
Transfumant tabulas, & ante curſum
Campus flatibus occupatur abſens.
Impellunt, trepidant, trahunt, repugnant,
Ardeſcunt, ſaliunt, timent, timentur,
Nec greſſum cohibent, ſed inquieto
Duratum pede ſtipitem flagellant.
Tandem murmure buccinæ ſtrepentis
Suſpenſas tubicen vocans quadrigas
Effundit celeres in arua currus.
Non ſic fulminis impetus triſulci,
Non pulſa è ſcythico ſagitta neruo,
Non ſulcus rapidè cadentis aſtri,
Non fundis balearibus rotata
Vnquam ſi liquidos poli meatus
Rumpit plumbea glandium procella,
Cedit terra rotis, & orbitarum
Moto puluere ſordidatur aer.
Inſtant verberibus ſimul regentes,
Iamque & pectora prona de cauino
Extenſi rapiuntur, & iugales
Trans armos feriunt vocante tergo
Nec cernas citò cernuos Magiſtros
Temones mage ſufferant, an axes
Iam vos ex oculis velut volantes
Conſumpto ſpatio patentiore
Campus clauſerat arctus arte factus.

Tu conamine duplicatus ipſo
Stringis quadrijugos, & arte ſumma
In gyrum bene ſeptimum reſeruas.
Inſtabant alij manu, atque voce;
Paſſim & deciduis in arua guttis
Rectorum, alipedumque ſudor ibat.
Tenſis pectoribus, pede ante fixo
Tu præceps rapidos teris iugales.
Hic compendia flexuoſa metæ
Vnus dum premit incitatus à te
Elatas ſemel impetu quadrigas
Iuncto non valuit plicare gyro.

Sidr. Apollinaris car. 23 de Narbo.

Illi autem non ſtare gradu, non parcere frenis.
Et miſcere auidas ſpumis feruentibus iras,
Tranſtraue, ſeu callidis incendere flatibus auras,
Siue flagellatos pedibus diuellere poſtes,
Et fruſtra. in palmam curſus agitare morantes.
Aſt vbi mappa dedit reuolutum candida ſignum,
Perſonuitque ſimul tubicen, ſimul ardua totos
Recluſere aditus deiectis oſtia clauſtris
Proſiliunt rapto foribus ſimul axe iugales.
Viderunt fauſtoque notant clamore Quirites,
Et vidiſſe negant; oculos fugit impetus ardens,
Seque, rotaſque fuga velox auriga recondit.
Ille tamen ſtimulat, geminataque ſibilat amens
Verbera vota preit ſonipes, curſuque prementis.
Se magis vrget equi, & currum volat ante volantem,
Stridet, & intacto cita præterit orbita campo.
Septima reſtabant feſſis ſudata quadrigis
Certatim ſpatia, & refluì labor vltimus orbis:
Ablatuſque ſimul rector, Tyrioque refulgens
Muſice, cornipedes vrgent, Praſinoque minantur.
Ille autem dubias iam circumflectere metas
Ceperat. ecce ſubit rapidis auriga quadrigis
Rufus, & anguſtæ compendia quærit arenæ
Incaſſum, teretique teres rota concita metæ
Hæſit, & alliſu curſum labefacta remiſit.
Albus adeſt: non ille potis cohibere iugales,
Tramitis aut lati ſpatium. frenisque retortis
Dexteriora ſequi. leuis axe prehenditur axis
Impliciti & radijs crepuere rotarum.
Mordet equus fuluas, rectorque excuſſus arenas.
It Praſinus, celerique irrumpit in oſtia curru:
Murmura Auentinas pulſant popularia cautes.

P. Alex. Donatus l. 2. Conſt.

Curſus Pedeſtris.

HÆc vbi dicta, locum capiunt: ſignoque repente
Corripiunt ſpatia audito, limenque relinquunt
Effuſi nimbo ſimiles, ſimul vltima ſignant.

Primus abit, longèque ante omnia corpora Niſus
Emicat, & ventis & fulminis ocyor alis.
Proximus huic longo ſed proximus interuallo
Inſequitur Salius: ſpatio poſt deinde relicto
Tertius Euryalus.
Euryalumque Helimus ſequitur; quo deinde ſub ipſo
Ecce volat, calcemque terit iam calce Diores
Incumbens humeris; ſpatia & ſi plura ſuperſint,
Tranſeat elapſus prior, ambiguumque relinquat,
Iamque ferè ſpatio extremo feſſique ſub ipſum
Finem aduentabant, leui cum ſanguine Niſus
Labitur infelix, cœſis vt fortè iuuencis
Fuſus humi, virideſque ſuper madefecerat herbas,
Hic iuuenis iam victor ouans veſtigia preſſo
Haud tenuit titubata ſolo, ſed pronus in ipſo
Concipit immundoque fimo ſacroque cruore.
Non tamen Euryali, non ille oblitus amorum;
Nam ſe ſe oppoſuit Salio per lubrica ſurgens:
Ille autem ſpiſſa iacuit reuolutus arena.
Emicat Euryalus, & munere victor amici
Prima tenet, plauſuque volat, fremituque ſecundo,
Poſt Helymus ſubit, nunc tertia palma Diores.

Virgil. l. 5. Æn.

Vt ruit, atque æquum ſummiſit regula limen,
Corripuere leues ſpatium, campoque refulſit
Nuda cohors. volucres iiſdem modo tardius aruis
Iſſe videntur equi. credas è plebe Cydonum
Parthorumque fuga totidem exiluiſſe ſagittas.
Effugit hic oculos rapida puer ocyor aura
Mœnalius, quam deinde gradu premit horridus Idas,
Inſpiratque humeros, flatuque, & pectoris vmbra
Terga premit: poſt ambiguo diſcrimine tendunt
Phœdimus, atque Dymas illis celer imminet Alcon.
Et infra .... vix campus euntem
Sentit, & exilis plantis interuenit aer,
Raraque non fracto veſtigia puluere pendent.
Irrupit clamore fores, clamore recurrit
Ante ducem, preſſaque leuat ſuſpiria palma.

Statius l. 6. Theb.

Qui poſtquam arrecti plantis, & corpora proni
Pulſanteſque æſtu laudum exultantia corda
Accepere turba ſpatium, exiluere per aura
Ocyus effuſis neruo exturbante ſagittis.
Diuerſa & ſtudia, & clamor; pendemque fauentes
Vnguibus, atque ſuos, vt cuique eſt gratia, anheli
Nomine quemque cient; grex inclytus æquore fertur.
Nullaque tranſmiſſa veſtigia ſignat arena.
Omnes primæui, flauentiaque ora decori,
Omnes ire leues, atque omnes vincere digni.
Extulit incumbens medio iam limite greſſum
Eurytus, & primus breuibus, ſed primus abibat
Præcedens ſpatijs; inſtat non ſegnius acer
Heſperos, & prima ſtringit veſtigia planta

Pro-

Progreſſæ calcis; ſati eſt huic eſſe priori,
Huic ſperare ſat eſt fieri ſe poſſe priorem.
Acrius hoc tendunt greſſus, animique vigore
Corpora agunt; augent pueris labor ipſe decorem,
Ecce leui niſu poſtremoque agmine curſus
Celſus inexhauſtas effundit turbine vires
Non expectato, ſubituſque erumpit ad auras.
Præuehitur Theron: credas Cyllenida planta
Æthereo nexis curſu talaribus ire.
Iamque hos, iamque illos populo mirante reliquit,
Et modo poſtremus, nunc ordine tertia palma
Heſperon infeſtat ſua per veſtigia preſſum.
Nec iam quem ſequitur tantum, ſed prima coronæ
Spes trepidat tantis venientibus Eurythus alis.
Quartus ſorte loci; ſed ſi tres ordine ſeruent
Inceptos curſus, nequicquam vana laborans
Tarteſſos, fratrem medio Therone premebat.
Nec patiens vltra tollit ſe, ſe æquore Theron
Igneus, & plenum præteruolat Heſperon ira.
Vnus erat ſuper, & metæ propioribus ægros
Vrebat finis ſtimulis, quaſcumque reliquit
Hinc labor, hinc trepidans pauor in præcordia vires,
Dum ſperare licet, breuia ad conamina vterque
Aduocat, æquatur curſus, pariterque ruebant.
Et forſan gemina meruiſſent præmia palma,
Peruecti ſimul ad metas, ni terga ſequutus
Theronis, fuſam latè per lactea colla
Heſperos ingenti tenuiſſet ſæuus ab ira,
Traxiſſetque comam; tardato lætus ouanſque
Eurytus euadit iuuene, atque in prælia victor
Emicat, & galeæ fert donum inſigne coruſcæ.

Sil. Italicus l. 16.

Lucta.

.... reieci viridem de corpore veſtem,
Brachiaque oppoſui, tenuique à pectore varas
In ſtatione manus, & pugnæ membra paraui.
Ille cauis hauſto ſpargit me puluere palmis,
Inque vicem fuluæ tactu flaueſcit arenæ.
Et modò ceruicem, modò crura micantia captat,
Aut captare putes omnique à parte laceſſit.
Me mea defendit grauitas, fruſtraque petebar.
Haud ſecus ac moles, quam magno murmure fluctus
Oppugnat, manet illa, ſuoque eſt pondere tuta.
Digredimur paulum, rurſuſque ad bella coimus,
Inque gradu ſtetimus certi non cedere, eratque
Cum pede pes iunctus, totoque ego pectore pronus
Et digitos digitis, & frontem fronte premebam.
Ter ſine profectu voluit nitentia contra
Reijcere Alcides à ſe mea pectora: quartò
Excutit amplexus, adductaque brachia ſoluit,

R 5 Im-

Impulſumque manu (certum eſt mihi vera fateri)
Protinus auertit, tergoque onerosus inhæſit
Ouidius l. 9 met.

Conſeruere manus, & multo brachia nexu
Colla diu grauibus fruſtra tentata lacertis
Immotumque caput fixa cum fronte tenetur;
Mirantur que habuiſſe parem, nec viribus vti
Alcides primo voluit certamine totis,
Exhauſitque virum: quod creber anhelitus illi
Prodidit & gelidus feſſo de corpore ſudor,
Tunc ceruix laſſata quati: tunc pectore pectus
Vrgeri; tunc obliqua percuſſa labare
Crura manu; iam terga viri cedentia victor
Alligat, & medium compreſſis ilibus arctat:
Inguinaque inſertis pedibus diſtendit, & omnem
Explicuit per membra virum; rapit arida tellus
Sudorem, calido complentur ſanguine venæ.
Intumuere tori, totoſque induruit artus,
Herculeoſque nouo laxauit corpore nodos.
Lucanus l. 4.

Poſtquam oleo gauiſa cutis, petit æquor vterque
Procurſu medium, atque hauſta veſtitur arena.
Tum madidos artus alterno puluere ſiccant,
Collaque demerſere humeris, & brachia latè
Curua tenent. iam tunc aſtu deducit in æquum
Callidus, & celſum procuruat Agyllea Tydeus
Summiſſus tergo, & genibus vicinus arenæ.
Ille autem Alpini veluti regina cupreſſus
Verticis, vrgentes ceruicem inclinat in Auſtros
Vix ſe ſe radice tenens, terræque propinquat.
Iam dudum ætherias eadem reditura ſub auras.
Non ſecus ingentes artus præcelſus Agylleus
Sponte premit, paruumque gemens duplicat in hoſtem.
Et iam alterna manus frontemque humeroſque latuſque
Collaque, pectoraque, & vitantia crura laceſſit.
Interdumque diu pendent per mutua fulti
Brachia, nunc ſæui digitorum vincula frangunt
Vis eadem Oenidæ, nec ſole, aut puluere feſſa
Membra labant: rigent atra cutis, duriſque laborum
Caſtigata toris. contra non integer ille
Flatibus alternis, ægroque effœtus hiatu
Exuit infeſtas fluuio ſudoris arenas,
Ac furtim rapta ſuſtentat pectora terra.
Inſtat agens Tydeus, ictumque in colla minatus
Crura ſubit. cœptis non eualuere potiri
Fruſtratæ breuitate manus; venit arduus ille
Deſuper, oppreſſumque ingentis mole ruinæ
Condidit. *Et infra.*
Acrior hoc Tydeus animiſque, & pectore ſupra eſt,
Nec mora: cum vinclis, onerique elapſus iniquo
Circuit errantem, & tergo nec opinus inhæret.
Mox latus, & firmo celer implicat ilia nexu
Poplitibus genua inde premens euadere nodos

Ne-

Nequicquam, & lateri dextram inſertare parantem
Improbus, horrendum viſu, ac miſerabile pondus
Suſtulit. Herculeis preſſum ſic fama lacertis
Terrigenam ſudaſſe Lybin, cum fraude reperta
Raptus in excelſum, nec iam ſpes vlla cadendi,
Nec licet extrema matrem contingere planta.
Fit ſonus, & lætos attollunt agmina plauſus.
Tunc altè librans inopinum ſponte remiſit,
Obliquumque dedit, procumbentemque ſecutus
Colla ſimul dextra, pedibus ſimul inguina vinxit.
Deficit obſeſſus, ſoloque pudore repugnat.
Tandem preſſus humi, pronamque extenſus in aluum
Sternitur, ac longo mœſtus poſt tempore ſurgit,
Turpia ſignata linquens veſtigia terra.

Statius l. 6. Theb.

Ludum caſtuum Vide apud Virg. l. 5. Æn. Statius l. 6. Theb.
Ludum diſco certantium Vide apud Statium loco cit.

Pugna gladiatorum.

MVnus ibi populo crudelis arena parabat,
Mutua fœdaret quo ferus ora cruor.
Iam fora concurſu, plateæque, viæque calebant,
Inde frequens plebes, inde ruebat Eques.
Implentur Cunei, podio pars ſpectat ab imo,
Pars caueæ ſumma de ſtatione videt.
Sedimus arrecto ſocij in ſpectacula vultu,
Hoplomachoſque dari, Pinnirapoſque vident.
Mox, ſua quæ pauido præludat parmula Threci,
Mox, ſua quæ Samnis ventilet arma notant.
Hinc mirmilloni qua retia parte minentur,
Inde ſecutorem qua petat arte Tridens.
Confuſique fauent, iraſcunturque: cachinnos:
Plauſumque alterno turba furore ciet.
Hic video Dorylam (quem pinguior ante ſagina
Pauerat, ac multus ventre grauarat adeps)
Extentum recubare ſolo dum craſſus hianti
Vulnere manaret non minor amne cruor.
Victoremque iacens irritat; & ocyus enſem
Porrecta iuguli mergere parte iubet.
Nec mora, ſæuit atrox repetito vulnere victor,
Et punctim immerſo traijcit enſe gulam.

P. Iac. Bidermanus l. 3. Hero. ep. 3.

Pugna hominum & ferarum.

VT ſonuere tubæ, cauea ruit ecce iubatus
Inde leo, quantum iuga vel Nemeæa timerent,
Hinc Tigris, à quanta & Lybici potuere leones
Formidare ſibi; duo conſpicienda ferarum
Monſtra quibus rabies & par erat ira nocendi.
Hæc Erycem petit, ille Remum ſtat, vterque lacertis
Grandibus inque feros acuit venabula rictus.

Iſte prior, ſed tela Remi minitantia Tigris
Aſpernata ferox occurrere gaudet, & omnem
In partem hac ille, nulli penetrabile ferro
Corpus agens, quacumque Remus conuertitur, inſtat.
Ille quidem nuſquam ſe deſerit, obuia monſtro
Tela rotans; exitque vngues, morſuſque petentis
Tigridis euitat: dum ſummo denique ferri
Perſtrinxit mucrone feram, furit illa doloris
Impatiens, repetitque hoſtem valido improba ſaltu
Et læuum complexa femur, rapit vngue cruento
Ingentem lateris diuulſo à corpore pulpam:
Illicet oſſa patent, & hiantia vulnera multo
Sanguinis imbre pluunt: fugiente labantia ſenſu
Genua trahit, vixque ipſa manu venabula ſeruat.
Acrius interea, & maiori robore victor
Pugnat Eryx: nunc lata ferit mucrone leonis
Tergora, nunc caudæ minitantis ſyrmata vitat
Impiger, inque iubas, & colla frementia torquet
Tela frequens; re fugitque celer, fugienſque recurrit,
Et quantum ſuperat leo vi, tantum arte leonem
Vincit Eryx: nam forte cauam de puluere ſicco
Vt licuit replere manum, ſabulum omne refudit
Callidus, & iactam Lybicæ venator arenam
Sparſit in ore feræ. geminos caligo repente
Occupat atra ſinus oculorum, & nocte laborat
Bellua dumque oculis inimici pulueris vmbram
Decutit, vrget Eryx toto venabula niſu
Pectus in aduerſum; pellemque Libyſſida ferro
Traijcit. at dum perſtrat Eryx incumbere in haſtam
Fortior, atque ipſis luctatus in oſſibus hæret;
Iam perfuncta Remum fera vicerat altera: & artus
Corporis auulſos, ſemeſaque fruſta relinquens
Improuiſa Erycis ruit in certamina Tigris,
Ipſumque à tergo reſupinat; & omnibus vngues
Artubus infixos ſulcata per oſſa cruentat.
Ille repentino perterritus hoſte, morantem
Inter prima feræ præcordia deſerit haſtam,
Alteraque inſtaurat cum tigride bella. ſed impar
Hic hominis congreſſus erat, conuerſus in ipſam
Ore ferox petit ora feræ: denteſque laceſſit
Dentibus, & morſus alternis morſibus æquat.
Succubuit tandem, & laceris ſpectacula clauſit
Artubus, & tigrum labente cadauere pauit.

P. Iac. Bidermanus l. 2. Heroid.

Ergo vbi puluereo ſteterunt capita ardua Circo.
Nec rabidas aſtare tigres, non bella cientes
Maſſylos tauri metuunt rugire leones;
Protinus intento veniunt in prælia cornu.
At leo marmaricis rex immanſuetus ab aruis
Infrendens, aliquem vacuo non cedere campo;
Ardet in audentem, ſeſeque exſuſcitat hoſtem,
Saltuque explorat, cauda ſeu verberat iras:
Ille inclinata properat certamina fronte.

Nec

Nec mora, fulmineo iaculantem fulgura vultu,
Terrentemque auras tonitru, longèque ferentem
Funera, cornigera figendum cuſpide taurus
Occupat; vngue leo, morſuque, & dentibus hoſtis
Vulnerat, inſanoque fremit ſua damna tumultu.
Sed tamen incaſſum validis nam cornibus hærens
Iactatur, vaſtumque trahens in viſcera vulnus
Abrupti traiecta dolet confinia cordis:
Spumantemque ſuo labi cum ſanguine vitam.
Nec minus immanes vrique, vrſique rapaces,
Ramoſique ruunt conferta in bella biſontes,
Non vllo præfixa valent venabula ferro,
Spicula non contra mauris contorta lacertis,
Horribili non dente tigres: non ſi qua ferarum
Turba recollectis irarum fulminat armis.

P. Alex. Don. l. 2. Conſt.

Funambuli ſpectaculum.

QVis nouus hic cœlo ſuſpendit Dædalus alas?
Sed vereor, ne ſors Icaron eſſe probet.
Aſpicis vt tenui feliciter audet in aura
Ceu ſubeat ſtabili ludicra bella ſolo?
Fune ſuper tereti tutiſſimus errat, & artem
Ludere dum geſtit, luditur arte timor.
Hic choreas impunè ciet, ſe ſeque ſupinum
Librat, & intorto turbine corpus agit.
Argutat pedibus, tremuloque per aera ſaltu
Tollitur erectus ſed tamen inde redit.
Nec mora, nec requies: iterum ter pectus in altum
Surgit, & in gyrum ter vaga membra rotat.
Corpore dum pendet, ſola ceruice tenet ſe,
Et verè ad reſtim colla redacta gerit.
Tum ſimulat caſum, populoque timente, timorem
Ridet, qui populi vota timere facit.
Quin capite obuerſo, tutus pede pendet ab vno?
Dumque pedem abſoluit, dextera ſupplet opem.
Iam iam caſurus redit incertumque theatrum,
Quas iubet in partes, ſpeque metuque trahit.
Nec ſolus pendet, ſed enim pendentia ſecum
Vno ex fune tenet millia multa virum.
O viles animæ, & venalia pectora paruo;
Sæpe quibus merces eſſe ruina ſolet.
Cùm funem aſpiciris potentiam, dicite forſan
Vltima iam vitæ linea ducta meæ eſt.

P. Vinc. Guiniſius epig. 37.

.... Iuuenem ſe tollere in altum,
Sublimemque agili reſtim contingere ſaltu,
Alterniſque vagum choreis attingere funem
Intuor; ecce tibi toto ſe corpore pronum
In terram ſaltator agit; iam turba fauentem
Præcipiti apponit dextram: ſed ridet inanes
Ille metus, tutuſque ſui dum pendulus infra

De-

Deprimitur capite obuerſo, pede firmus ab vno
Libratum vacuo ſuſpendit in aere corpus.
Quid faciat, quaue arte caput, corpuſue recline
Altius attollat? totus, mirabile dictu.
In ſe ſe redit, & ſubito ſe turbine verſans
Alta tenet capite, & pedibus premit infima; tumque
Fune ſuper tereti ad numerum componere ſaltus
Audet, & ad fidium cantus, hilareſque camœnas
Saltandi reuocare modum, vix planta labaſcit
Sede ſub inſtabili; partem ſed corpus in omnem
Pondere libratur parili: conſiſtere firmum
Si lubet, obſequitur; ſtat certus in aere funis.
Nil tamen attonitus tremulæ formidine reſtis.
Ingeminat ſaltus: ſubſultim vertice in altum
Tollitur arrecto; pedibus ſi quando per auras
Disiunctis ruere in præceps, caſuque putetur
Proximus, arte noua ſibi conſulit: inſidet ipſo
Fune ſuper iam factus eques, compreſſus vtrumque:
Preſſo crure latus nulliſque inſtructus habenis.
Sic equitat, tandemque nouo veſtigia niſu
Ad ſummum reuocat reuocato corpore funem.
Verum vbi perpetui feſſum ſe turbine motus
Præſentit, fictæ placet indulgere quieti.
Firmiter innixus mento ſe ſuſtinet: infra
Penſile declinat corpus. ſuſpendia fingit
Vera: pauent ſpectantum oculi, ſed nulla timendi
Fit mora, namque pedes agitans, & brachia totus
Ad motum redit, atque allos ſe torquet in orbes.
Quodque iterum mirere magis, dum ſtringit vtraque
Appenſum dextra funem, trans brachia totum
Paulatim inſinuat corpus, neruiſque retortis
Et manibus reuocat ſe ſe, & reflectit eodem.
Membra ſitu ...

Apud P. Laur. le Brun. to. 1. Eloq. Poet. l. 7.

Spectaculum eorum qui vires Herculis, vt vocant, repraſentant.

VEl qui more auium ſe ſe iaculantur in auras
Corporaque ædificant celeri creſcentia nexu;
Quorum compoſitam puer augmentatus in artem
Emicet, & vinctus plantæ, vel cruribus hærens
Pendula librato figat veſtigia ſaltu.

Claudianus Vaneg. de Conſ. Manl.

Ludi in quibus indomiti tauri occiduntur.

TError vt armenti Taurus, cui plena iuuentæ
Vulneris indocilem vallarunt cornua frontem,
Heſperijque olim venit in certamina ludi;
Si poſt tuta latens circenſis dolia pugnæ
Ardua venator traiecit arundine colla,

Mu-

Mugitu, ſaltuque, truces & cornibus iras
Colligit: ac primum iliceæ monimenta carinæ
Deijcit, aut iacto leuat inter nubila ligno.
Fumifer expirans accenſum curſibus ignem
Inde ruit, profugique incaſſum artemque dolentis
Rapta ſagittiferi iaculatur corpora Thracis.
P. Al. Donatus l. 12. Conſtant.

Harpaſtum Florentinum, ſeu Calcis ludus.

. . . . Cum protinus ire per auras
Atque auras deferre ſinu per inania follem
Aſpiciunt: volitat ventus cum carcere liber.
Libera libertas non eſt, nam vincula defert:
Orbe latet, totoque procul diſpellitur orbe:
Abſque domo fert ille domum; ſubit aſtra fugatus:
Ima ſubit: reſilit. Ventoſi prælia vento
Exagitant iuuenes: pellunt dextra, atque repellunt.
Corruit ille iterum: leuis aere truditur aer;
Ictibus impatiens obmurmurat: altaque rurſus
Nubila metitur curſu: ſi forte globoſa
Excipiant miſerata globum: patiturque repulſam.
Indignabundo præceps cum murmure pubes
Æmula diſcurrit, follemque capeſſere geſtit.
Labitur ille manu, dum truditur, exilit; iras
Dum turget ventis, euentilat: emicat ardor
Bellicus; inſurgunt iuuenes, rapiuntque, feruntque;
Et pro folle caput raptorum tunditur. inde
Crebreſcit pugnis noua pugna; impreſſa tumeſcunt
Tubera luminibus; frons liuet eburnea nigro
Iuncta ebeno, pulchraque oculi de nube coruſcant.
Scilicet audaces digitis coeuntibus armat
Abſque armis dextras, proque arcu brachia torquent,
Pro ſaxis, iaculiſque manus. in verbera pendet
Prona iuuenta; vibratque oculos, animataque tela
Dirigit in vulnus, pugniſque ſonantibus ora,
Et malè concrepitant malæ, ſonituque choreas
Exercent dentes, liuentia tempora circum
Itque, reditque, manus ſtrepituſque alternat, & ictus
Ille fugit, retroque genas ſubducit ab ictu.
Stat grauis ille, gradumque tenet, dextramq; pauendam
Erigit inſultans; niſuque immotus in hoſtem
Fert oculos, dextram, vires, & vulnera; dextra
Ipſa ſibi plaudit geminato verbere: palma
Preſſa refert palmas ſine ſanguine.
P. Car. de Luca l. 19. Dom. Laur.

Satyri Scenici.

NEc minus agreſtes Satyri, Faunique bicornes
Pone mouent thyrſos, ſolitique inuertere ludo
Seria, venantur faciles per ludicra riſus.
Pellibus hirſutis hi ſcortea cingere terga,

Et

Et picturato redimicula texere flore,
Ac ſertis vmbrare comas. pars nebrida collo,
Et deſcendentes humeris componere villos,
Caprigenaſque aptare genas, rictuſque ferinos,
Interque horrificas erumpere cornua ſetas.

P. Alex. Donatus l. 2. Conſt.

LVDI PRIVATI.

Pila Ludus.

IAmque calent luſorum animi; color ardet in ore,
In vultu ſanguis rubet, omneſque occupat artus:
Præcipites hinc inde ruunt, curſuque ſequaci
Atque oculis ſphæræ volucri vigilantibus inſtant.
Quiſque ſibi, & ludo intentus, quaſcumque rotetur
Miſſilis in partes globus, huc toto impete fertur,
Huc auidus currit; nec raro fallitur ipſa
Dextera ludentum, dum ſe ſe librat in ictus.
Aut etenim tantum caſu pila pulſa ſecundo
Mittitur, aut dubio declinat verbera ſaltu,
Aut oculos iuuenum, curſuſque eludit inanes:
Flexibus obliquis, aut in medium acta foramen
Non vltra reſilit, ſi quiſquam audentior alta
Reticulum dextra extulerit, ſphœramque volantem
Non patiatur humum decliui tangere lapſu.
Quiſque ſuas implet partes, cupiduſque videri
Exerit intentas curuato corpore vires,
Flexibilemque manum, quoties pila pulſa reſultat
Longius à latere in protenſos explicat ictus;
Si contrà premitur, ſubitoque in pectore ſaltu
Subſilit pila; toto habilem cum corpore dextram
Contrahit, adductiſque globum toto impete neruis
Torquet in aerios tractus: hic circinat orbes.
Multipliceſque dolos, ludentum vt lumina fallat.
Hinc fugitiua volat, dextramque exoſa ſequacem
Fertur in oppoſitam partem: nec tutius illi
Stare datur, firmamque negat pars altera ſedem.
Nuſquam tuta quies; premitur, ſemperque receptis
Obteritur plagis, ictuſque reciprocat ictum.

Apud P. Laur. le Brun. to. 1. El. Poet. l. 7.

Ludus Follis.

HIc iuuet inſutos in nubila condere folles
Præcipiti lapſos ferre, referre gradu.
Impellantque leues tumefacta pellibus aura:
Brachia multiplici lignea dente globos.
Hinc plaudunt comites, quoties per inania pulſus
Lenta repercuſſo pondera folle rotas.
Et quoties tactis rediens auellitur aſtris
Orbis, & attactu perſonat orbe ſolum.

Aut

Aut ſaltu ſublime redit, validoſque per ictus
Aerium celeri turbine currit iter.

P. Alex. Donatus l. 3. car. el. v. t.

Euehitur primum in formas tractabilis omnes
Follis hians, laxaque ſui compage ſolutus.
Hic vbi concepit ventos, vbi ſpiritus intro
Immiſſus penitus latebras peruaſit in omnes,
Ventoſamque ſuo transfudit flamine vitam,
Paulatim videas in magnam excreſcere molem,
Inque globum ingentem attolli. *Et inf.*
Dum loquor, en rapitur, ſurſumque per aera follis
Huc illuc agitur vacui ludibria cœli.
Nunc etenim celſum ſublimis in aera fertur,
Nunc cadit, & motu maiore reſurgit in auras.
Nec tamen inflexis attrita ſuperbia plagis
Detumet, in mediam impauidus deſcendit arenam;
Extuſaſque manus iuuenum, & ſibi multa minantes
Verbera ſponte ferit; reddit, quos excipit ictus;
Et dum percutitur totius pondere dextræ,
Percutit ipſe manum: credit ſibi turpe timere
Vel poſiti ante pedes hoſtis; ſe librat ab alto
Aere, & ingenti ſecurus mole paratum
Aggreditur pugilem, factuſque audacior alter
Longius impellit contracto robore follem.
Tum verò ingenti moles excuſſa fragore
Perpetuum infrendet murmur; ſonat ictibus acta
Innumeris, nimioque ſuas præ verbere metas
Tranſilit impatiens.

Ex P. Laur. le Brun. to. 1. El. Poet. l. 7.

Ludus puerilis turbinis.

CEu quondam torto volitans ſub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent: ille actus habena
Curuatis fertur ſpatijs: ſtupet inſcia turba
Impubeſque manus mirata volubile buxum
Dat animos plagæ.

Virgil. l. 7. Æn.

Quid tanto puerum circumſtrepis area plauſu?
Aut quas tortilibus pubes armata flagellis
Exercere iras parat; audio feruere latè
Verbera, & inflicti magnis clamoribus ictus
Circumquaque ſonant turbo verſatilis omnes
Vertitur in partes, huc illuc impete toto
Plagarum impatiens agitur; ſed verbera plagis
Addit, & in varios iuuenilis turba rotatu
Torquet oberrantem; crebro ſe ſe explicat orbe,
Seque vrget, multoque ſalit contortus ab ictu.
At fruſtra inſtabilis partes ſe verſat in omnes:
Quo minus inflictos hinc inde mouetur ad ictus

In-

Indignans, grauius premitur, plagaque recenti
Vapulat à pueris, & ſaltu concitat iras.
P. Laur. le Brun. to. 1. Eloq. Poet. l. 7.

Ludus latrunculorum.

SIc ait, & verſa in tabulam deprompſit ab vrna
Arte laboratam buxum, ſimulataque noſtris
Corpora: torno acies ficta albaſque nigraſque,
Agmina bina pari numeroque, & viribus æquis.
Bis niuea cum veſte octo, totidemque nigranti
Vt variæ facies, pariter ſunt & ſua cuique
Nomina, diuerſum munus, non æqua poteſtas.
Illic & Reges paribus capita alta coronis,
Et Regum pariter nuptas in bella paratas
Cernere erat; ſunt qui pedibus certamina inire
Sueti, ſunt & equis qui malint, quique ſagittis.
Nec deeſt quæ ferat armatas in prælia turres
Bellua, vtrinque Indos credas ſpectare Elephantos.
Iamque aciem in verſum ſtatuunt, ſtructæque cohortes
Procedunt campo, caſtriſque locantur in ipſis.
Reliqua longiſſimæ deſcriptionis,
Vide apud Hier. Vidam in Carmine Scacchia.

Lapillus à ludentibus ſuper aquas iniectus.

ASpicis vt viridi ludens in margine ripæ
Exigui iactu lapidis puer æquoris vndas
Ventilet, vt tumidi colliſa proteruia fluctus
A ſilice inſecto non vno vapulet ictu.
Hic ſuper extremam decurrens fluminis oram
Ducit arenoſi tractus maris, atque tumentes
Molli criſpat aquas fluxu, totuſque ſubinde
Merſus, & emergens alternis ſaltibus infra
Deſilit, & ſummam ſupra mox ſubſilit vndam,
Sic ferit anguſtos latices, campoque recepto
Liberioris aquæ componit in ordine ſaltus.
Tum magis atque magis minimos decreſcit in vſus
Vnda, ſuoſque arctat fluctus, imitata figuram
Pyramidis, tandemque apicem tenuatur in vnum.
Sic lapis arte noua fluctus deludit, & vndis
Inſultat, tutuſque ſui quo ſaxa feruntur
In præceps ſibi pandit iter, ſignata relinquit
Quo ſe cunque ferat, veſtigia; nec ſatis iras
Oceani ſpreuiſſe ſemel, ni ſæpe laceſſat
Multiplici tactu, & nimio temerarius auſu
Naufragium premat ipſe ſuum, dum ſemper eodem
Vnde emerſus erat, redit, & ſe exhaurit eundo.
Apud. P. Laur. le Brun. to. 1. Eloq. Poet. l. 7.

Ludus

Ludus qui vulgò dicitur l'Ocha.

EST tenui grandis tela ſociata papyrus,
Quæ teretes prælo impreſſos ſic explicat orbes,
Arctior vt ſemper gyro breuiore coarctet.
Et mihi ſi liceat patrijs modo vocibus vti
Ocha eſt, Romanæ nimium res cognita pubi.
Arida ſex denis, varijs animata figuris
Pagina ſignantur punctis, tres ſi inſuper addas.
Quod ſi quis numero ludens æquabit eodem
Ilicet aggeſti potietur hic æris aceruo.
Ardua res equidem; crebro tamen euenit ictu,
Nam toties iactat quadratis candida formis
Oſſa, loco quocunque nigris interlita ſignis,
Vt tandem optatæ teneat confinia prædæ.
Quam tamen haud facili ſubito pertingere curſu
Poſſe datur; pictæ ſua ſunt diſcrimina chartæ.
Namque vbi ſex complet luſoria pagina punctos,
Obuius erigitur pons. Si quis præterit iſthac
Sancitum ſoluens communi lege tributum
Tutus it, & numerus talis ſemel additur idem.
Non procul annoſum feſſis luſoribus aptè
Exponens caupona merum, ientacula paruo
Exhibet, & mundis pretioſa cibaria mappis.
Hic tanto laſſus manet hoſpes tempore, donec,
Quiſque bis expleto iactauerit ordine talos.
Dilatans immane chaos, tractuſque profundos
Adiacet huic puteus, lato qui gurgite fauces
Pandens, cuncta vorax tenebroſo ſorbet hiatu.
In quem præcipiti lapſu ſi forte viator
Incidat, ad ſuperas nunquam reuocabitur auras,
Perculſus ni clade pari comes extrahat alter.
Quem propè Dædaleis labyrinthus flexibus antra
Pandit, & innumeros texens ambagibus orbes.
Mille plicat, replicatque vias, adituſque recuruos
Circinat, implexis fallens erroribus artem.
Hæc ludens qui tecta ſubit, non horrida priſcæ
Fata timet ſortis, nullus nam funera miſcens
Minotaurus ineſt; diræ procul exulat omnis
Ira feræ, humanoque inhiantia monſtra cruori.
Sed tantum pactos ob victa pericula nummos
Soluens, & punctis retro tribus inde recedens
Præcauet infauſta rurſum ne ſorte prematur.
Ponè niger ſequitur fœdo pædore refertus
Carcer ab aeria ſeductus luce, ſoluto
Hinc nulli penſo fas eſt exire, priuſquam
Captiuum numero ſocius detrudat eodem
Carcere ab anguſto: nam hominem vix excipit vnum.
Non longe telo diſtat munita recuruo
Pallida mors, ingens luſorum terror & horror.
Nam dum ſe extremos abſoluere poſſe labores
Quis putat, immani falcis ſi concidat ictu,

Quos

Quos multo fauſtè confecit tempore punctos
Amittit, ludique exordia prima retexit.
Proh quoties metæ propior dum credis amatas
Te ſubijſſe fores, punctus tum defuit vnus.
Tum iactum renouans, rurſuſque ſuperfuit vnus,
Sæpius hinc etiam te ſors inimica remotas
Diſtrahet in partes: nono nam quolibet orbe
Ponderis impatiens argutus gracitat anſer
Qui nullum proprio patitur requieſcere dorſo;
Sed numerum quoties clamoſo terminat ore
Sortiri toties repetit primordia puncti
Colluſor vacua donec conſiſtat in æde.

Incertus auctor.

SALTATIO, SIVE CHOREA.

. . . . pars æthere ſummo
Penſilis ad numerum choreas ciet, & pede fidens
Mobile corpus agit, nunc ſe ſe verſat in orbem
Turbinis intorti celeres imitata rotatus;
Nunc placido motu, placidiſſima obambulat arte,
Intexitque vias, curſuque retexit eodem,
Et labyrintheis erroribus aera ſignat:
Atque aliquis tremulos modulatus corpore ſaltus,
Mille vices iterat, iacit, eſultantia membra
In ſublime, teritque pedem pede, crura ſupinus
Implicat in ſe ſe, mox dum redit explicat, idem
Et ſalit, & reſilit, corpus vibrat, & rotat idem.

P.Vinc.Guiniſius car.7.

Inflexo pudibunda genu, leuiterque micantes
  Proſilit alternans blanda puella pedes.
Marmoreum digitis libat primoribus æquor,
  Et vaga ſuſpenſos temperat arte gradus.
Prima relabenti relegit veſtigia curſu.
  Se rotat, & volucri ſe rapit ipſa fuga.
Nunc ſecat obliquans trepidos incerta meatus;
  Mille per anfractus textile nectit iter.
Nunc ſalit, & tremulas vibrans per inania plantas
  Vix tacito ſummam verbere mordet humum.
Fulgure mobilior celeri ſe turbinat orbe
  Et labyrintheas implicat arte vias.
Curuatis fertur ſpatijs ampla atria circum:
  Iam grauior, paſſo prouehiturque ſinu.
Mox ruit, & laxis veluti furiatur habenis;
  Mox premit, excurſus frangit & ipſa ſuos.
Inde pedem pede ſupplantans trepidatque, labatque,
  Ludit & innumeris Dædala planta modis.

P.Mar.Bettinus in Lyc.l.4.Eutrop.11.

Seu dulci modulata choro veſtigia flectis,
Arduus in numerum greſſus formare decoros.

P.Conſt.Pulcha ellus l.1.car.7.

Mira

Mira chori facies. nunc intercepta virili
Corpore Nympharum turbæ veſtigia certâ
Lege regunt; nunc oppoſitis ſtant frontibus omnes
Atque aduerſa viro virgo eſt: nunc dextera dextræ
Hæret, & attollit generoſo brachia motu,
Nunc dimiſſa manus cuique eſt, errantque viciſſim,
Et dominam mutant pueri, dominumque puellæ,
Mox ſibi deſertas repetunt, & quæque priori
Saltando matrona coit. velut ipſa vagantur
Sidera: iamque ſtudent iungi. modo tramite longo
Diſſociata micant melius. leuis area cunctis
Tunditur ad numeros nunc hic, nunc ille caprizat,
Peſque pedi teritur quartò. rotat ille lacertos
In gyrum, curritque trochus. directa mouentur
Membra, nec inflexis fœdè ludibria debent
Poplitibus prudens ſtrepitus, motuſque feroces
Virgo cauet, lenique ferit proſcenia ſaltu.
Inde manus pulſant manibus, feriuntque, crepantque
Argutè digitis, & ſolo pollice cantant.
Præludunt litui, ſaltatriceſque choreas
Siſtra, tubæque regunt. forma eſt diuerſa canendi,
Et diuerſa chori. iam priſcum Corduca ſaltant,
Iam Lædam, iam Trettanelum; iam Pyrrica ſolos
Laſſat forma viros, rutiliſque mouentur in armis.
Nunc chorus Eumelia eſt, nunc inconcinna Sicinnis,
Hi Samios referunt motus, hi Cariatizant,
Illi Hormum alternis ſaliunt, Corybantiaque æra.
Curetumque modos alij, moreſque vetuſtos
Phæacum, aut varijs imitantur Prothea formis.
Gaſp. Barlæus Heroic. l. 4.

Ante leuis graditur, ſaltuſque, chorique magiſter
Exilit ad numerum, ſe ſeque per aera verſat
Lubricus & ſummas vix dum pede lambit arenas
Argutas iaſtatque manus, voluenſque loquaces
Hinc, atque hinc oculos, & mollia corpora flexu
Saltantum celeri vertigine temperat orbem.
P. Alex. Donatus l. 2. Conſt.

VENATIO.

IT portis iubare exorto delecta iuuentus
Retia rara, plagæ, lato venabula ferro;
Maſſylique ruunt equites, & odora canum vis.
Poſtquam altos ventum in montes, atque inuia luſtra,
Ecce feræ ſaxi deiectæ vertice capræ
Decurrere iugis: alia de parte patentes
Tranſmittunt curſu campos atque agmina cerui
Puluerulenta fuga glomerant, monteſque relinquunt.
At puer Aſcanius medijs in vallibus acri
Gaudet equo. iamque hos curſu, iam præterit illos:
Spumantemque dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fuluum deſcendere monte leonem.
Virgilius l. 4. Æn.

Ac

Ac velut ille canum morſu de montibus altis
Actus aper multos Veſulus quem pinifer annos,
Defendit, multoſque palus Laurentia: ſilua
Paſtus arundinea, poſtquam inter retia ventum eſt
Subſtitit, infremuitque ferox, & inhorruit armos;
Nec cuiquam iraſci, propiuſue accedere virtus,
Sed iaculis, tutiſque procul clamoribus inſtant.

Idem l. 10.

Incluſum veluti ſi quando flumine nactus
Ceruum, aut puniceæ ſeptum formidine pennæ
Venator curſu canis, & latratibus inſtat.
Ille autem inſidijs, & ripa territus alta
Mille fugit, refugitque vias; at viuidus Vmber
Hæret hians, iam iamque tenet, ſimiliſque tenenti
Increpuit malis, morſuque eluſus inani eſt.

Virgilius l. 12. Æn.

Venimus, & latos indagine cinximus agros,
Illa leui velox ſuperabat retia ſaltu,
Summaque tranſibat poſitarum lina plagarum.
Copula detrahitur canibus, quos illa frequentes
Effugit, & cœtum non ſegnior alite ludit.
Poſcor & ipſe meum conſenſu Lælapa magno:
(Muneris hoc nomen) iamdudum vincula pugnat
Exuere ipſe ſibi, colloque morantia tend t,
Vix bene miſſus erat? nec iam poteramus vbi eſſet
Scire, pedum calidus veſtigia puluis habebat,
Ipſe oculis ereptus erat; non ocyor illo
Haſta, nec exutæ contorto verbere glandes,
Nec Gortyniaco calamus leuis exit ab arcu.
Collis apex medijs ſubiectis imminet aruis;
Tollor in hunc, capioque noui ſpectacula curſus
Quo modò deprendi, modò ſe ſubducere ab ipſo
Vulnere viſa fera eſt; nec limite callida recto,
In ſpatiumque fugit, ſed decipit ora ſequentis,
Et redit in gyrum, ne ſit ſuus impetus hoſti
Imminet hic, ſequiturque parem, ſimiliſque tenenti
Non tenet, & vanos exercet in aere morſus.

Ouidius l. 7. met.

Quò poſtquam venere viri, pars retia tendunt,
Vincula pars adimunt canibus, pars preſſa ſequuntur
Signa pedum, cupiuntque ſuum reperire periclum.
Hic aper excitus medios violentus in hoſtes
Fertur, vt excuſſis eliſus nubibus ignis.
Sternitur in curſu nemus, & propulſa fragorem
Silua dat: exclamant iuuenes, portentaque forti
Tela tenent dextra lato vibrantia ferro,
Ille ruit, ſpargitque canes, & quiſque furenti
Obſtat, & obliquo latrantes diſſipat ictu.

Vide reliqua apud Ouidium l. 3. met.

Ite vmbroſas cingite ſiluas,
Summaque montis iuga Cecropij.
Vos qua Marathon tramite læuo
Saltus aperit, qua comitatæ

Gre-

Gregibus paruis nocturna petunt
Pabula fœtę, vos quà tepidis
Subditus auſtris frigora mollit
Durus Acarnan, alius rupem
Dulcis Hymetti; paruas alius
Calcet Aphyduas; pars illa diu
Vacat immunis, qua curuati
Littora ponti Sunion vrget,
Si quem tangit gloria ſiluæ
Vocat hunc Philipis
Hic verſatur metus agricolis,
Vulnere multo iam notus aper.
At vos laxas canibus tacitis
Mittite habenas.
Teneant acres lora moloſſos;
Et pugnaces tendant Creſſæ
Fortia trito vincula collo.
At Spartanos, genus eſt audax
Auidumque feræ, nodo cautus
Propiore liga, veniet tempos
Cùm latratu caua ſaxa ſonent.
Nunc demiſſi nare ſagaci
Captent auras, luſtraque preſſo
Quærant roſtro, dum lux dubia eſt;
Dum ſigna pedum roſcida tellus
Impreſſa tenet.
Alius raras ceruice graui
Portare plagas, alius teretes
Propter laqueos, picta rubenti
Linea pinna vano eludat
Terrore feras, tibi libretur
Miſſile telum: tu graue dextra
Læuaque ſimul robur lato
Dirige ferro: tu præcipites
Clamore feras ſubſeſſor ages.
Tu iam victor curuo ſolues Viſcera cultro.

Seneca in Hipp. ac. 1. ſc. 1.

Nec verò leporem tantum, capreaſue fugaces,
Aut timidos agitent præcluſa indagine damas,
Queis iugulæ inſpirent auras, & amicus Orion.
Quin ipſis in ſpeluncis, in rupe cauata
Excipiant verſum impauidi, & venabula contra
Obiectent, denſiſque actum de ſaltibus aprum
Innixi expectant haſtis. ir calle ſilenti
Efferus, ac fuſo ſpumant virgulta veneno.
Nec vaſto timeant aut comminus ire leoni.
Venatus iuuat audaces.

Ion. Pontanus l. 3. de Stell.

Sed venabula longa, ſed inſidioſa plagarum
Texta, ſed omnigenum venantibus apta canum vis.
Inuenies geminos neruis horrentibus arcus,
Spiculaque, & pictæ formoſum inſigne pharetræ:
Prædones etiam aligeros, roſtroque minaces,

Et

Et genus, accipitres, generi fatale volantum;
Et gladium capulo fulgentem, & flammea bullis
Cingula, Sidonio quibus aurum intermicat oſtro,
Fulmineoſque tubos, & arundine robur ahena
Flammiuomum, miſſoque touans lethale metallo,
Ille pharetrata comitum ſubeunte caterua
Vectus eques, mulca cane cinctus, & aureus armis,
Septa fugit, monteſque procul contendit in altos,
Quò gregis alta vocant obliuia, quò rapit acer
Vmber iter, cui viſus aper dare terga ſequaci.

P. Pulcharellus l.2. Eclo.6.

Irruimus ſiluam, cinctoſque indagine ſaltus:
Fouerat innumeras intima ſilua feras.
Tum dare ſigna duces, iuuenum ruere ardua pubes,
Et latrare canes, & trepidare greges.
Fit fuga: perque omnes ſternuntur inertia campos
Agmina: pars iaculo pars cane victa cadit.
Non leporem virgulta tegunt, nec inhoſpita damas
Culmina, ſetigeros nec ſua vallis apros.
Hac hominum curſus, hac fertur odora canum vis;
Prædaque diuerſos & ſua quemque rapit.
Illic capra iugis deiecta minacibus: illic
Cingitur obiectis anxia cerua plagis.
Iamque adeo dum quiſque ruunt in deuia, ceruus
Per nemus aeria fertur inane fuga.
Inſequor, inde ferox fugit ille ferocior; & quà
Inuia cuique foret, peruia vtrique via eſt.
Sæpe feram ferro, iaculoque volante laceſſo,
Irrita ſed ferri vis iaculique fuit.

P. Iac. Bidermanus l.2. Hero.ep.1.

It longum campis agmen ſelecta canum vis
Roſtroque captat omina:
Impatienſque moræ (notas odor attulit auras)
Tentat manus abrumpere
Signa canunt. omni rabies mox libera fræno
Feſtiua ſpirat prælia
Inque recens ſignata ſolo veſtigia fertur
Sagax amuſſis narium.
Ecce per ambages ceruus clamoribus actus
Ramoſa tollit cornua.
Quærenti per aperta fugam plaga nexilis obſtat,
Et impeditum retrahit.
Ille volat ventis etiam poſt terga relictis
Fontemque quærit auium.

P. Iac. Balde l.1 ſil.

Quædam vix Geticis diſtat venatio bellis:
Enſe, manuque ferox,
Martemque verum prouocat.
Quippe ſui meminere feræ, ſecat ecce lutoſam
Turbine rapta viam,
Globumque ſtantem perfurit.
Emicat & Lachne Spartana, & Oribaſus Arcas,
Setigeraſque Nape

De-

Deprendit aures mordicus.
Aduerſi confligit apri pinguiſſima moles,
Cum canibuſque ſuos
Miſcere dentes æſtuat.
Donec ab innumeris equitata ſagacibus ictum
Non remouere valet
Obſtante coram Pamphago.
Sic quoque terribili: trepidat, mortemque minatur
Igne flagrant oculi:
Vires in ictum conuocat.

Idem ibidem.

Frigidus hibernum contriſtat Iuppiter annum
Quæ non aucupijs, quæ non venatibus illic
Gaudia proueniunt altis de montibus actus
Fertur aper: fruſtra ille animos, ſetaſque comantes
Arrigit, & ſpumis albet feruentibus ora,
Fulmineumque acuit nodoſa ad robora dentem.
Audaces inſtant Vmbri, forteſque moloſſi,
Albanumque genus, non certi cedere, quamquam
Nunc hos obliquo, nunc illos diſſipat actu.
Tantus amor prædæ eſt, & ſæui gloria morſus.
Nec minus & curſu iuuenes iaculiſque fatigant
Setigerum; hortantur ſe ſe, & latrantibus addunt
Cum clamore animos, dum tandem in retia trudant
Frendentem, & teretes nodos differre parantem.
Accurrit victor, ſplendentique ilia ferro
Tranſadigit: lato ſequitur de vulnere ſanguis
Procumbitque ferox, & adhuc in morte minax ſus.

P. Iac Vuallius in Paraph. H. r.

Conditor Auſtriaci regni Rodulphus opacos
Luſtrabat ſaltus, frondentia tecta ferarum,
Venatu penetrans radijs imperuia ſolis.
Vt patriæ ſecreta feræ patuiſſe virentis,
Siluarumque fidem, & violata ſilentia cernunt.
Corripuere fuga campos: nec ſegnius inſtant
Latratu, curſuque canes, clamore cateruæ.
Exultat Rodulphus equo, nec vulgus in omne
Nobile conſumit robur; tantum optima ceruix
In vulnus regale placet; ſeu dentibus apri,
Vnguibus horrenteſue vrſi, ceruique tumentes
Cornibus arboreis: hos curſu prendere, at illos
Dignatur iaculis, ſpecioſaque funera donat.
Vix haſta tangit damas parcente minores.
Ecce autem medio elapſus latrante tumultu
Vmbrorum, preſſans ingenti corpore ceruus.
Grande decus frontis, ramoſaque cornua iactans,
Præcipitat ſaltu, & campis ſe credit apricis.
Euolat immiſſis ardens Rodulphus habenis.
Incubuitque fugæ: venantum caſtra ſequuntur
Longo interuallo clamoſa, feramque Ducemque
Vltimus extremo iam celat in æquore puluis.
Illam per campos fugientem, & aperta viarum
Præcipites modò per valles virgultaque latè

S Ster-

Sternentem ſonitu vaſto, aut obiecta natatu
Flumina, vel ripas iungentem ſaltibus altas
(Vrget quippe metus ſtimulo violentior omni)
Victor agit Princeps, & voce, haſtaque fatigat.
P. Gul. Dondinus car. 1.

VIRTVTES.

Virtus.

VIrtus repulſæ neſcia ſordidæ
Intaminatis fulget honoribus:
Nec ſumit, aut ponit ſecures
Arbitrio popularis auræ.
Virtus recludens immeritis mori
Cœlum, negata tentat iter via:
Cætuſque vulgares, & vdam
Spernit humum fugiente penna.
Q. Hor. l. 3. Ode 2.

Ipſa quidem virtus pretium ſibi, ſolaque latè
Fortunæ ſecura nitet, nec faſcibus vllis
Erigitur, plauſuve petit clareſcere vulgi.
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,
Diuitijs animoſa ſuis, immotaque cunctis
Caſibus, ex alta mortalia deſpicit arce.
Claudianus de Conſ. Manl.

Aureo Virtus ſolio decora
Regnat, & regnum neque Gangis vnda,
Nec maris tractus poſitis columnis
Ciampole claudit.
Hæc inextinctis radijs parentem
Imbrium nubem, tenebraſque noctis
Negligit, miros & amoris ignes
Excitat ore.
Hac datum viſa ſemel ante pomum
Palladis formæ Paris annuiſſet;
Nec feris ſedes Priami iaceret
Diruta flammis.
Sat ſuo cenſu ſibi diues, extra
Se nihil virtus cupit, hæc vel hoſtes
Placat iratos, ſociaſque nectit
Compede mentes.
Vrbanus VIII. Ode ad Io: Ciampol.

Virtus ætherei progenies Patris
Natiuo rutilat ſidere verius,
Caſtiſque inſita mentibus
Extra ſe nihil expetit.
Cœlo nata fuga nititur ardua
Cœlum ſidereo tangere vertice
Curru vecta volubili
Flammis incita patrijs.
Et iam ſtelliferis arcibus inſidens

Infra

Infra ſe rapidis omnia fluctibus
  Miſceri videt, otijs
    Felix ipſa facillimis.
Merſet nocte licet liuidus inuida,
Ipſis è tenebris expediet caput:
  Obſcuroque diem ſitu
    Ducet fraude ſuperbior.

P. Ber. Stephonius in Criſ. in Cholu. c. 1.

Fides diuina.

FIdem profunda nocte reconditam
  Nitere dicis præter Apollinem
    Dieque lucem. mira narras.
      Cœca regit, beat illa cœlo.
Exul, ſed altam ducit originem
Cognata cœlo, nec pudet exulem
  Abeſſe, mortales reponat
    Illa tamen, metuente greſſu.
Errare; tutum ſtrauit iter Deus
Idemque teſtis non reuocabilis
  Sententiarum, turpe falli
    Neſcius, & ſine fraude verax.
Obſcura ſuadens attenuat fides
Senſum proteruum; credulus auribus
  Nil obtueri curo tendens
    Certus iter ſine luce phœbi.
Diuina rerum nec rapere audeo
Sub diuum, vmbris obſita prodere,
  Mortali & impermiſſa lyncis
    More ſuperſedeo tueri.

P. Io: Maſculus l. 1. Ode 28.

Inde venit ſanctæ fidei inſuperabile robur,
Inde animi ductore Deo, quin ipſa columna eſt
Dia fides, nobis immobile firmamentum,
Veri prima baſis ſummo quæ vertice tangit
Sidera, quæ lucem ſpeculari in nube refringit
Ingenitam, genitamque Deo, quæ lumine blando
Signat iter cæli, curſumque intendit olympo,
Te ſequimur diuina Fides, tu lampade noctem
Errorum, ſcelerumque fugas, tu lumine certo
Diſpeſcis chaos, & media in caligine ſplendens,
Te ſine mortales nec ſpes lactauerit vlla,
Nec diuinus amor caſto calefecerit igne,
Nec ſolida vlla polo tulerit faſtigia virtus.
Tu verum, iuſtumque doces, tu regula vitæ,
Vitaque iuſtorum diuina viuida flamma.

P. Ant. Millieus l. 4. Moyſ. Viat.

Fides humana.

HVic diuæ germana fides, eademque ſororis
Corde tuo delubra tenens, ſe ſe omnibus actis

Inſerit. hæc nullo docuit liueſcere fuco,
Nunquam falſa loqui, nunquam promiſſa morari,
Inuiſos odiſſe palam, non virus in alto
Condere, non lætam ſpeciem prætendere fraudi,
Sed certum, mentique parem componere vultum.
Occultò ſæuire vetat, prodeſſe remittit.
Hæc & amicitias longo poſt tempore firmat,
Manſuroque adamante ligat; nec mobile mutat
Ingenium, paruo ſtrepitu nec vincula noxæ
Diſſolui patitur, nec faſtidire priorem
Allicitur veniente nouo: benefacta tenere
Reſpuere offenſas facilis, pariterque minoris
Officij, magnique memor ſuperare laborat,
Vtque hoſtes armis, meritis ſic vincit amicos
Hæc fouet abſentes, hæc longè ſola remotis
Conſulit, hæc nullis auidam rumoribus aurem
Pandit & ignarum nunquam læſura clientem
Inſidioſa tuos alienent murmura ſenſus.

Claudianus lib.2. de laud. Stil.

Spes, & Charitas. Vide Tit. Affectus humani.

Prudentia.

IDeo mouemur, ne quid in vita nimis:
Hæc hauſta, non exhauſta prudenter velim,
Eſt ratio vera quatenus tendit gradum.
Ducatur ardens animus auctoris manu.
Sit qui rependat incitum temerè impetum:
Sit qui reflectat turbidè effuſum retro.
Arripiat æqua, vera diſcernat, ſibi
Imperet, & illa multa non multum velit,
Vtilia, quam iucunda, potiora æſtimans.
Quædam recuſet, differat quædam in locum:
Hæc ſumma libet; illa ne libet quidem.
Ad hæc refectus reuolet, hinc feſſus volet:
Momenta captet; tempore vtatur ſuo:
Cura recenti ſemper hoc ſpatium voret:
Nunquam ſerena pace deſueſcat frui.

P. Ber. Stephonius in Flau. ac 3. ſc. 4.

Mentis æternæ Dea nata partu
Fata contemplor, rapidumque rerum
Turbinem, curſu cita qui perenni
Sæcula torquet.
Quicquid orditur vaga pertinaci
Ita Saturni fugiens caueri,
Sponte præcurram; nihil imparata
Mente manebo.
Mente nil vnquam ſequor impedita;
Nil redordiri ſemel orſa cogor
Nec citra fixam titubante metam
Calce reſiſto.
Sum togæ vindex, pietatis altrix,
Numinis cuſtos, domitrix amorum

Dulce

Dulce ludentes moderata curas,
Dulce ferentes.
Quo ſuos flectat fugitans videri
Vita Mæandros, video: nec vllas
Fraudis ambages mihi celat æui
Lubricus error.
Nullus incauram dolor, aut voluptas
Occupat, nullus furor impotentem,
Nullus ignauam timor & cupido
Nullus inermem.

P. Pulch. lib. 5. Ode 4.

Eſt Dea, quæ medios hominum ſe fundit in actus
Conſcia præteriti, & ſortis præſaga futuræ,
Arbitra difficilis cauſæ, Prudentia, centum
Prædita luminibus, longis venerabilis annis
Mille modis edocta vias inſiſtere recti,
Mille modis edocta mali depellere formas,
Et cœptis inſtare ſuis, fortemque periclis
Obiectare animum, dubijs non fidere rebus
Nec male conſultos vulgi ſpreuiſſe furores,
Nec metuiſſe nimis. capit à diſcrimine laudis
Incrementa ſuæ, & fortunæ libra ſecundæ
Iratis dicit ſe ſe ſubmittere fatis.

Gaſp. Barlæus Her. l. 1.

Iuſtitia.

Eſſe ſed iniuſtum fateor quodcunque negatur
Iuſtitiæ, tu prima hominem ſilueſtribus antris
Elicis, & fœdo detergis ſæcula victu.
Te propter colimus leges, animoſque ferarum
Exuimus. nitidis quiſquis te ſenſibus hauſit,
Irruet intrepidus flammis, hyberna ſecabit
Æquora, conſertos hoſtes ſuperabit in armis.
Illa vel Æthiopum pluuijs ſolabitur æſtus:
Illum trans Scythiam vernus comitabitur aer.

Claudianus de Conſ. Manl.

Iuſtitia vtilibus rectum præponere ſuadet
Communeſque ſequi leges, iniuſtaque nunquam
Largiri ſocijs.

Idem l. 2. de laud. Stil.

.... Primas Deo
Iuſtitia tribuat, templa, pietatem, ſacra;
Patriæ ſecundas, arma, conſilium, fidem.
Homini pudoris lumen, ingenium ſagax,
Partes in omnes decoris intentum impetum,
Animumque memorem Numinis, caſtum & metum.

P. Ber. Stephonius in Flau. ac. 4. ſc. 2.

Iuſtitiæ diuinæ forma & habitus.

.... ſpectandam in luce maligna
Sed dedit arma rotans Aſtræa, coruſcat, & ardet.

Flammea cæſaries, atque aura ventilat iras
Vndabunda minis: dextra emicat enſis. Orion
Non aliter gladio terras, & crine minaci
Terrificat, pluuiaſque ciet fert læua volumen;
Signat vbi flammis hominum ſcelera, ignis & ignes
Euocat æternos, hoc exarat ira Tonantis;
Sub prælo vindicta premit; mors publicat vmbris.

P. Car. de Iutal. 4. Dom. Iaur.

Fortitudo.

EFfinge fortem Cæſar: in bello ferox
Furit ille ſemper aſpero armorum ſono?
Nunquam ille temerè ſæuit: haud cæcum impetum
Proiectat audax animus: inſani hoc erat
Non fortis. igitur ille qui Magni notam
Lucratus, aulam Macedo Perſarum eruit,
Temerè profuſis viribus, veræ decus
Laudis reliquit, turbide tantum ferox.
Armata virtus mente rem belli gerit. *Et inf.*
Memor ferocem fortis ardorem in loco
Expromit, aut cum ſancta relligio virum
Obſeſſa poſcit; nutat aut patriæ ſalus
Oppreſſa bello. ſæpe pro caſta decet
Vitam paciſci laude, nam quædam benè
Tempora pudori fortis inuicto dabit;
Vitæque turpi fortiter mortem pudor
Præfert honeſtam.

P. Bern. Stephonius in Flau. ac. 4. ſc. 1.

Conſtantia.

QVisquis compoſito ſerenus æuo
Fatum ſub pedibus dedit ſuperbum,
Fortunamque tuens vtramque rectus,
Inuictum potuit tenere vultum:
Non illum rabies minæque ponti
Verſum funditus excitauit æſtum;
Nec ruptis quoties vagus caminis
Torquet fumificos Veſeuus ignes,
Aut celſas ſoliti ferire turres
Ardentis via fulminis mouebit.
Quid tantum miſeri feros tyrannos
Mirantur ſine viribus furentes?
Ne ſperes aliquid, nec extimeſcas
Exarmaueris impotentis iram.

Boetius l. 1. metr. 4.

Beatus à quo non humilem grauis
Fortuna vocem, non tumidam leuis
Expreſſit vnquam curioſis
Dum tacitus premit ora fatis.
Ad prima ſi quis vulnera non gemit,
Solo peregit bella ſilentio.

Cela-

Celare qui nouit ſiniſtros
Ille poteſt bene ferre caſus.
Ille & caducis ſe licet vndique
Suſpendat auris pontus, & in caput
Vnius & flammas, & vndam, &
Vertat agens maria omnia auſter:
Rerum ruinas mentis ab ardua
Sublimis aula, non ſine gaudio
Spectabit; & latè ruenti
Subijciens ſua colla cœlo
Mundum decoro vulnere fulciet;
Interque cœli fragmina, lugubre
Telluris inſiſtet ſepulchrum, ac
Incolumis morientis æui
Heres ab alto proſpiciet, magis
Hæc magna quàm ſint, quæ pedibus premit,
Quàm quæ relinquit, iam tum Olympi
Non dubius moriturus hoſpes.

P. Caſ. Sarbieuius l.4. Ode 3.

Clementia.

SEd piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox,
Quique dolet, quoties cogitur eſſe ferox.
Qui vincit ſemper, victis vt parcere poſſit,
Clauſit & æterna ciuica bella ſera.
Multa metu pœnæ, pœna qui pauca coercet,
Et iacet inuita fulmina rara manu.

Ouidius l.1. de Pon. el.3.

Hæc Dea pro templis, pro thure calentibus aris
Te fruitur, poſuitque ſuas hoc pectore ſedes.
Hæc docet vt pœnis hominum, vel ſanguine paſci
Turpe ferumque putes: vt ferrum Marte cruentum
Sic cum pace premas, vt non infenſus alendis
Materiem præſtes odijs: vt ſontibus vltro
Ignouiſſe velis; deponas ocyus iram
Quam moueas: precibus nunquam implacabilis obſtes
Obuia proſternas, proſtrataque more leonum
Deſpicias, alacres audent cùm ſternere tauros,
Tranſiliunt prædas humiles hac ipſe magiſtra
Das veniam victis, hac exhortante calores
Horrificos, & quæ nunquam nocitura timentur
Iurgia, contentus ſolo terrore coerces.

Claudianus l.2. de laud. Stilic.

Religio.

ECce ſedens in nube, ſecans fulgore procellas
Relligio, & ventis quatuor deuecta, carinæ
Ingreditur Regina foros coma ſanguine gemmat;
Vt crinalis acus pennata ſagittula crines
Ornat, & in partes bellè diſcriminat: arcus
Paruulus in turrim generoſa in fronte capillum

Erigit: innumeræ, quas pingit purpura, vittæ
Serpunt per capitis crinita volumina: malæ
Luminaque ardeſcunt, turgent pro lacte cruore
Vbera; & armantur non hoec thorace, ſed igne
E cruce vibrato, quæ nobile pectus honeſtat,
Inceditque graues diuino ſanguine mammas
Venarum roſeis imbuta canalibus, artus
Veſtis obit, luditque feris aquilonibus vndam.
Sciuditur haud vnquam textura; cohæret amore,
Æternumque manet; licet enſis & haſta furoris
Soluere fila manu, modo ſociata laborent.
Sunt manicæ armillæ, ſunt ferrea vincula torques.
Et manicæ armillas, pretioſa monilia ferrum
Sideraque exuperant; nam vincula ſanguis inaurat,
Pondere qui vincit torques, & ſidera luce.
Pectora vulneribus multis transfixa coruſcant,
Roſcidaque in multas migrarunt vulnera gemmas.
Labra cicatricum ceu rubra corallia flagrant,
Sanguine concreti rubro velut æquore flores.
Martyribus vexilla ſuis, & teſſera belli
Quina etiam tollit cruciati ſigna Tonantis.

P. Car de Lucal. 15. Dom. Iaur.

Adſtitit, exegitque metus, animumque labantem
Conſtituit, ſuperos inter quo fulget in aſtris
Relligio, pandens auguſtæ frontis honorem,
Digna polo, & ſuperis ſpecies erat; ardua molem,
Ora grauis, cultumque decens, blandeque rigenti
Fronte ſeuera, metum caſto miſcebat amori,
Terrorem illecebris, maieſtatique decorem;
Parque metus, & amoris honos; formaque ſerena,
Hyberni velut æthra poli, cùm nubila vento
Diffugere, Deæ facies & lumina fulgent,
Per latos diffuſam humeris permiſerat Euris
Cæſariem, rutiloque vagam criſpauerat auro.
Splendida mitra tegit frontem, conoque coactum
Attollens apicem, triplicis regit orbe coronæ
Clara comam; Numenque Dei, nomenque tremendi
Sculpta gerit, læuem rutili ſub marginis oram.
In tunica niueus color eſt, in ſtamine pallæ
Cæruleus: variam diſtinguunt ſidera pallam.
Thuris odoratam nimbo geſtabat acerram
Dextera, & anguſtum diuina lege volumen
Læua manus.

P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Liberalitas.

AT ne tributum pendere neſcius
Se ſubditorum munere regio
Audito vectigalem auebit
Munificus Fabiane princeps,
Non ille frontem contrahit ad ſui
Petita vulgi, non popularium

Sur-

Surdus querelarum moleſto
Accumulat ſua lucra cenſu.
Et illa tantum computat, ac ſuæ
Importat arcæ, quæ tenues opum
Effudit in ciues; ſuarum
Largus opem, & ſibi pauper vni.
Ille ille magnis dignior aſſeri
Quem larga plenis copia cornibus,
Pronæque liberalitatis
Egregiæ comitantur artes.
Et non coactis munera paſſibus.
Vltroue dandum quod petitur, cui
Anhela præueniſſe vota: &
Munificum libet eſſe gratis.
Magnetis auram ſi ſubeat vices
Trahentur enſes. fortior eſt manus
Onuſta donis, nemo Thraces
Non feriet, modo neruus adſit,
Quin & retuſo iam ſenio putres
Serenioris cote pecuniæ
Limantur enſes. ſic virorum
Et meritorum opulentus emptor.
Antiqua Princeps ſæcula prorogat.
Sic pænè ab ipſis Manibus Hectoras,
Codroſque, Mutioſque, & altis
Scipiades reuocas ab vmbris.

P. Alb. Ineſ cent. 1. Ode 60.

Pœnitentia.

EHeu! quis gemitus, quis ille fletus
Confuſus populi ſonus repente
Arrectas mihi verberauit aures?
Nil fletur ſolitis modis: nec ora
Queſtu ſufficiunt, manuſque planctu,
Heu, heu! quò gemitus dolorque vergit?
Proſtratum gelido pauore Regem
Hirſuto video rigere texto.
Non aurata premit corona frontem;
Squalet cæſaries, caputque ſparſi
Deturpant cineres, & ora fletus.
Non auro bibitur: falerna nemo
Nemo tempora floribus coronat.
Pollent ora fame: ſitis peruſtis
Ardet viſceribus: nec vllus vnquam
Fit tectis ſtrepitus, niſi eiulantis
Quem ſuſpiria reddere turbæ
Heu, heu! quò gemitus dolorque vergit?
Nec regem modò, ſupplicemque luctus
Exercet populum. greges & ipſi
In partem veniunt, nec vlla gramen
Attingit quadrupes, nec vlla fontem.
Impaſtæ ſtabulis gemunt capellæ,

Impaſtæ ſtabulis gemunt & agnæ.
Arent vbera, nec ſuas, vt ante
Ad mulctram Pholoe vocat iuuencas,
Muta eſt fiſtula, nec ſuos, vt ante
Aut Daphnis canit, aut Alexis ignes.
Heu, heu! quò gemitus dolorque vergit?
An Reges iterum ſimul ſeueris
Aures impulerit minis Ionas
Deſcendent ſolio, hiſpidiſque cingent
Setis corpora, liuidumque pectus
Et palmis ferient, & aſtra votis?
An mœrens populus cibique, & vndæ
Expers, flebitur Deum per aras
Expoſcet veniam, preceſque noſtras
Et noſtros aliquid valere fletus
Placari facilis probabit æther?
Quid cùm pænituit, piæ reorum
Non poſſunt lacrymæ? Rubentis æthræ
Siſtunt fulmina. ſæpè deſtinato
Vrbes perdere iam parabat ictu,
Cùm luctus ſubito paruoque flentem
Inceſſit populum, ſimulque noxæ
Terras pœnituit, Deumque pœnæ.

P. Iac. Vuallin: lyr. l. 2. Ode 6.

Hæc vbi vulgauit Vates in caſtra reuerſus,
Incendit magnum in populo Dea ſæua dolorem
Miſſa polo, & triſtes lacrymas ſuper agmina fundit,
Mox lacerat comptos crines, & puluere turpat;
Florentes ſcindit tunicas, auroque crepantes
Rumpit acerba ſinus, ſpoliataque corpora cultu
Sternit humi cinere inuoluens: tum cannabe torta
Inijcit horrentes ſaccos, & funibus arctat
Præcinctos artus: ſetis quos ſubter equinis
Aſpera textâ terunt, aut tonſis retia capris.
Amouet & menſis epulas, & balnea thermis:
Vina vetat, molleſque thori in lanugine ſomnos;
Mandat humum, aut duris iubet arcta cubilia truncis,
Lurida cum ſicca ſoluit ieiunia cæna.
Dat caſtas lacrymis noctes, vigilataque planctu
Aſtra ferit, pulſanſque Dei demitigat iras.
Hos Metanœa, habitus pullo mœſtiſſima luctu
Nuda pedes, plangens liuentia pectora palmis
Perculſis dederat caſtris, fletuque madebant
Omnia ad inſtantes irato Numine diras.

P. Ant. Millieus l. 9. Moyſ. Viat. to. 1.

Paupertas voluntaria.

SVperba damna's ſæcula pauperum
In verba iuro: quod ſatis eſt manu
Altrice donabit ſuorum
Vſque memor Genitor, daturus.
Æterna, largus ſcilicet & potens

Diui-

Diuiniorum; non ego pinguium
Regnabo camporum, tibi alueo
Nectar opes Siculæ reponant.
Latebra munit me ſatis, æneos
Damnoque vectes, nec penetrabile
Cubile; Paupertas reſignat
Omnia ſplendidior videri.
Deiecit Orco cura pecuniæ
Dei ſodalem; iure perhorrui
Tractare lucrum turpe, venali
(Heu ſcelus) ob pretium Tonante.
Me caſtra poſcunt, ſignaque pauperum
Beatiorem ſorte Quiritum,
Et Mygdonum Regum; neganti
Multa mihi, meliora Diui,
Et deſtinarunt plura, Cupidinis
Iniurioſi, fraudis & inſcio.
Nondum reſoluet martialis
Pauperies Erebi in ruinas.

P.Io.B.Maſculus l. 13 par. 3 Ode 7.

Obedientia.

Conſulta Patrum nulla iubentium
Scrutabor audax, ſeditionibus
Et cuncta permiſcens, ſed otj
Dulce fruar potiore fructu.
Eſt vt quietem fluctibus Adriæ
Ignoret alter ſæuior, ardua
Nunc iura culpans, nunc iniquum
Aut ſenis imperium parentis.
Faſtidioſum, non mihi ferrea
Mens eſt, acerbo non ergo præſuli
Crudus renitar, nec moratus
Aggrediar pede iuſſa claudo.
Lenis voluntas non inamabilem
Faſtidit iram Principis; aſperet
Natura, ſeu triſtis ſenecta
Siue humiles referat penates.
Genuſque vulgi; quiſquis erit, Dei
Nutum tuebor, leniter obſequi
Promptus, iubentem præque vertens
Robur & ingenij refringens.
Vltro benignus quod Genitor dedit,
Mentis redonabo arbitrium, neque
Inglorius parere, ſenſus
Meque regam meliore clauo.
Regnare diſcam ſubdere fortior
Faſces ſuperbos mentis, & infulas,
Potens triumphatæque iura
Sponte dare, ac tenuare faſtum.

P.Io:B.Maſculus l. 13. p. 1. Ode 13.

Voluntaria carnis afflictatio.

NImirum vt pacem pareret, ſibi bella mouebat
Tranquilla pietate ferox, ieiunia longæ
Sunt famis illecebræ. dapibus non inſtat opimis:
Sola Ceres mollita focis, & frigida fauces
Recreat. immenſo non miſſo in viſcera cenſu
Pro dape nutritur ſuperi, ſed regis honore.
Hanc votis, & corde vorat conviva Tonantis,
Exhauſto qui ieiunus in ſanguine, pectus
Pro dape, pro ſucco venarum impleuit amore.
Pontifici crux menſa fuit, thalamuſque ſoporem
Ipſa ſopore quies ibi perdomat. excitat iras
In ſua dum dormit languentia membra: cubantem
Excipit haud grauidum curis ceruical, & auro.
Numine ſecundam ſuſtentat Numine mentem.
Qui ſomnum cruciat, vigilans ſibi parcet? in artus
Tegmen villoſum ſæuit, tegiturque ſub oſtro
Ceu vallata rubis roſa purpurat. omnia cedunt
Arma togæ, Cæleſtinus quam ſtamine texit
Pœnarum; imperij chlamydem cœleſtis, ab illa
Pungitur ambitio; villuſque ferocior enſe
Membra tegit, faſtumque ferit pacatus in ira.
P.Car. de Luca l.22. Dom. Laur.

Variarum virtutum complexio.

INtentus animus, arduus, celſus, ſagax,
Impiger, amœnus, viuidus, verax, probus;
Expoſita virtus. mollis affatus, manus
Donare facilis, mitis ingenij ſales,
Conſilia certa mentis, ingenij rigor,
Cuſtos pudoris, æqua promiſſis fides,
Idemque vultus ſemper, & nullo metu
Timidè recedens pectoris, agni color
Nec dextra bello ſegnis aut paci grauis
Vbiuis amantur, ſiue ſi modico latent.
P. Ber. Stephonius in Flau. ac. 4. ſc. 2.

Multos illa tuæ rapuit clementia formæ,
Et non turbati pectoris ille nitor:
Conis amabilitas, facilis reuerentia vultus,
Semper & in placida fronte modeſtus honor:
Eloquij grauitas in tempore: gratia linguæ
Multa, ioci faciles, ingenuique ſales.
Ille iuuandi ardor, ſtudium ſine fraude merendi,
Et ſibi quàm reliquis mens nocitura prius
Conſilio deuota manus, prudentia falli
Neſcia, nec docilis fallere ſimplicitas,
Relligio, pietas, recti tenor, ardor honeſti,
Cura loquuturi pectoris ante Deum.
P. Vinc. Guiniſius el. 4.

VITIA

VITIA.

Auaritia, vel Homo auarus.

DAnda eſt ellebori multo pars maxima auaris:
Neſcio an Anticyram ratio illis deſtinet omnem
Hæredes Staberi ſummam incidere ſepulcro;
Ni ſic feciſſent, gladiatorum dare centum
Damnati populo paria, atque epulum, arbitrio Arri.
Ergo, cum ſummam patrimoni inſculpere ſaxo
Hæredes voluit, quid ſenſit? credidit ingens
Pauperiem vitium, & cauit nihil acrius, vt ſi
Forte minus locuples vno quadrante periret,
Ipſe videretur ſibi nequior. omnis enim res,
Virtus, fama, decus, diuina, humanaque pulchris
Diuitijs parent: quas qui conſtruxerit, ille
Clarus erit, fortis, iuſtus, ſapiens, etiam & Rex,
Et quidquid volet. *Et infra.*
Si quis emat cytharas, emptas comportet in vnum,
Nec ſtudio cytharæ, nec Muſæ deditus vlli:
Si ſcalpra & formas non ſutor: nautica vela
Auerſus mercaturis: delirus & amens
Vndique dicatur meritò. quid diſcrepat iſtis
Qui nummos aurumque recondit, neſcius vti
Compoſitis, metuenſque velut contingere ſacrum?
Q. Horatius l. 2. Sat. 3.

Tempore creuit amor, qui nunc eſt ſummus, habendi:
Vix vltra, quò iam progrediatur habet
Pluris opes nunc ſunt, quàm priſci temporis annis,
Dum populus pauper, dum noua Roma fuit.
At poſtquam Fortuna loci caput extulit huius
Et tetigit ſummo vertice Roma Deos:
Creuerunt & opes, & opum furioſa cupido:
Et cùm poſſideant plurima, plura petunt.
Quærere vt abſumant, abſumpta requirere certant.
Atque ipſæ vitijs ſunt alimenta vices,
Sic quibus intumuit ſuffuſa venter ab vnda,
Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.
Ouidius l. 1. Faſt.

Cupit hic gazis implere famem;
Nec tamen omnis plaga gemmiferi
Sufficit Iſtri, nec tota ſitim
Lydia vincit; nec quæ zephyro
Subdita tellus ſtupet aurato
Flumine clarum radiare Tagum;
Nec ſi totus ſeruiat Hebrus,
Ruraque diues cingat Hydaſpes,
Intraque ſuos currere fines
Spectet toto flumine Gangem
Auidis auidis natura parum eſt.
Seneca in Her. Oct. in Chor. ac. 2.

Quid tam ſollicitis vitam conſumimus annis?
Torquemurque metu, cœcaque cupidine rerum,
Æternisque ſenes curis dum quærimus aurum,
Perdimus, & nullo votorum fine beati
Victuros agimus ſemper, nec viuimus vnquam.
Pauperiorque bonis quiſque eſt, qui plura requirit:
Nec quod habet, numerat: tantum quod non habet, optat.
Cumque ſui paruos vſus natura repoſcat,
Materiam ſtruimus magnæ per vota ruinæ,
Luxuriamque lucris emimus, luxuque rapinas,
Et ſummum cenſus pretium eſt effundere cenſum.

Mar. Manilius l. 4.

Fallit enim vitium ſpecie virtutis, & vmbra,
Nec dubiè tanquam frugi laudatur avarus,
Tanquam parcus homo, & rerum tutela ſuarum
Certa magis, quàm ſi fortunas ſeruet eaſdem
Heſperidum ſerpens, aut Ponticus. adde quod hunc, de
Quo loquor egregium populus putat, atque verendum
Artificem: quippe his creſcunt patrimonia fabris,
Sed creſcunt quocumque modo, maioraque fiunt
Incude aſſidua, ſemperque ardente camino.
Et pater ergo animi felicis credit auaros,
Qui mirantur opes, qui nulla exempla beati
Pauperis eſſe putant: iuuenes hortatur vt illam
Ire viam pergant, & eidem incumbere ſectæ.
Sunt quædam vitiorum elementa: his protinus illos
Imbuit, & cogit minimas ediſcere ſordes:
Mox acquirendi docet inſatiabile votum.
Seruorum ventres modio caſtigat iniquo,
Ipſe quoque eſuriens: neque enim omnia ſuſtinet vnquam
Mucida cærulei panis conſumere fruſta,
Heſternum ſolitus medio ſeruare minutal
Septembri; nec non differre in tempora cœnæ
Alterius concham æſtiui cum parte lacerti
Signatam, vel dimidio, putrique ſiluro,
Filaque ſectiui numerata includere porri.

Iun. Iuuenalis Sat. 14.

De ſordibus quid dicam? ſordidiſſimus.
Etiam obſoletos calceos vendi iubet,
Crateras etiam fractos: è ſevaceis
Candelis iam conſumptis, ſi quid fruſtuli
Reliquum eſt, id ille ſubito, tantillum modo
Si fuerit, aſſeruari in vaſculum iubet;
Et plurima cùm congeſta iam ſint fruſtula,
Tum vendi & vtitur ſæpè hoc prouerbio,
Quo ſordidum hanc tuetur parſimoniam:
Inopia inquit, quæ res minimas magni facit;
Et prouidè referat, diuitias parit.
Et qui cùm diues eſt, ſe pauperem putat,
Hic ſemper diues eſt, & fit ditiſſimus.

P. Pulchar. in Dial. de Vit. Sen.

In-

Incerto interea dum hæredi congeris aurum
    Et paria regnis prædia
Menſibus adnumeras, dum nomina biſſenarum
    Superba villarum annuis
Aſſignas lunis; nüllamque relinquis inanem
    (Annum vnus vt ſolidum occupes)
Faſtorum partem Conſul quam nomine ſignes;
    Et ruris angulum angulo
Iungere non ceſſas. inſomni lumine nummis,
    Arcæque vigilas diuiti.
Ac velut addictus cuſtos donaria ſeruas,
    Ariſque deuotas opes,
Quas nulli dextra licet attrectare profana,
    Aut curioſo lumine
Delibare, aut ſacrilegis anathemata votis
    Auro ipſe concolor tuo
Palles, atque altos tantum miraris aceruos
    Lentoque langues ictero;
Verum neſcio quid ſummæ deeſt vſque rotundæ,
    Et angulus ſemper vacat
Conferta vacuus, aurique famelicus arca,
    Satiare quem nunquam potes.

P. Gilb. Ionninus l. 1. Ode 23.

Adulatio.

QVid quod adulanti gens prudentiſſima laudat
Sermonem indocti, faciem deformis amici,
Et longum inualidi collum ceruicibus æquat
Herculis, Antæum procul à tellure tenentis.
Mirantur vocem anguſtam, qua deterius nec
Ille ſonat, quo mundetur gallina marito.
Hæc eadem licet & nobis laudare; ſed illis
Creditur. an melior cum Thaida ſuſtinet, aut cum
Vxorem Comœdus agit, vel Dorida nullo
Cultam palliolo? mulier nempe ipſa videtur
Nec tamen Antiochus, nec erit mirabilis illic
Aut Stratocles, aut cum molli Demetrius Hoemo.
Natio comœda eſt, rides? maiore cacchino
Concutitur, flet, ſi lacrymas aſpexit amici,
Nec dolet; igniculum brumæ ſi tempore poſcas,
Accipit endromedem: ſi dixeris, æſtuo: ſudat
Non ſumus ergo pares: melior qui ſemper & omni
Nocte dieque poteſt alienum ſumere vultum.

Iuuenalis Sat. 3.

Vilis adulator, cuius venale cadauer
    Incepi deſcribere verſu,
Intus, & in cute noſcendus. tam nobile plectro
    Prodigium pingatur ad vnguem.
Huic ſcelera, & fraudes, animæ ſunt duplicis inſtar
    Admiſſus tibi vendere laudes,
Crimina contortis æquanda rudentibus, inter
    Telarum ſubtilia ponet

Ille

Ille tuos facili purgabit pumice næuos,
Et molli ſermone fricabit.
Quidquid agas, verbis ſuadere ſonantibus auſit
Decerni tibi poſſe triumphum.
Quamquam octo viduas in cœna abſumpſeris vna,
Pupilli patrimonia radas:
Vulturis ingenium miluus miratur, & vngues,
Flammifero Iouis alite dignos.
Si breuis es, ſit pumilior: ſi longior, optat
Aſtragalis incedere tecum.
Riſeris, arridet: flebis, lacrymabitur hydrops
Et pluuijs vel ſaxa cauabit.
Pinge tamen ſiccum, lugebit pectore læto,
Et coget plorare ſaliuam
Magna tui cura eſt etiam de vilibus illi:
Ne peluis, cum deſpuis, abſit;
Ne natet in phiala flauum gemmante venenum,
Impediat ne languor orexin.
Si malè digeſtus ſterit intra viſcera pauo,
Dat medicas Podalyrius herbas.
Lurida nocturnam rumpunt tibi ſomnia pacem?
Mox in aquas ſe mittet, & ignes.
Accuſat Parcas, fuſtemque & probra minatur:
Ni valeas, morietur & ipſe.
Intrabit thermas? i ſanè, non ſine cura
Alterius, votiſque marinis.
Neptuno, vt ſaluum te balnea fida remittant.
Cœruleæ vouet exta iuuencæ.
Intolerabilior tunc eſt cùm præmia ſperat
Et metuit riualis honorem.
Elimat vafer ora dolis, Salibuſque facetis,
Vt noceat ſpecioſius hoſti.
Quid ſi etiam laudet, quem tanto fortius vrit
Excuſet, quem ſternere geſtit!
Nimirum ad metam, tangendaque pectora, linguæ
Miſſurus iaculabile virus,
Auratum totis incurrat viribus arcum,
Et dulci linit vnguine canam.

P. Iac. Balde l. 5. Lyr. Ode 1.

Gulę vitium.

.... non in caro nidore voluptas
Summa, ſed in te ipſo eſt, tu pulmentaria quære
Sudando pinguem vitijs, albumque, nec oſtrea,
Nec ſcarus, aut poterit peregrina iuuare lagois.
Vix tamen eripiam, poſito pauone, velis quin
Hæc potius, quam gallina tergere palatum:
Corruptus vanis rerum quia væneat auro
Rara auis, & picta pandat ſpectacula cauda.
Tanquam ad rem attineat quidquam, num viſceris iſta
Quam laudas pluma? cocto num adeſt honor idem?
Ieiunus ſtomachus raro vulgaria temnit.

Por-

Porrectum magno magnum ſpectare catino
Vellem, ait harpyijs gula digna rapacibus, at vos
Præſentes Auſtri coquite horum obſonia, quamuis
Putet aper, rhombuſque recens: mala copia quando
Ægrum ſollicitat ſtomachum: cùm rapula plenus
Atque acidas mauult inulas, nec dum omnis abacta
Pauperies epulis regum: nam vilibus ouis
Nigriſque eſt oleis hodie locus. at variæ res
Vt noceant homini credas, memor illius eſcæ,
Quæ ſimplex olim tibi ſederit. at ſimul aſſis
Miſcueris elixa, ſimul conchilia turdis,
Dulcia ſe in bilem vertent, ſtomachoque tumultum
Lenta feret pituita. vides vt pallidus omnis
Cœna deſurgat dubia? quin corpus onuſtum
Heſternis vitijs animum quoque prægrauat vna;
Atque affligit humo diuinæ particulam auræ.

Horatius l. 2. Sat. 1.

Vide Tit. Vita humana delicijs affluens.

Peccatum hæreditarium, ſeu vt vocant Originale.

ACerba narras damna parentum
Iuobſequentum, primaque funera,
Et poma deteſtata, genti
Terrigenum, miſeriſque natis.
Manent ſuperbæ nos etiam vices,
Et iura fati debita poſteris:
Cunctaſque ceruices ſuorum
Ipſe manu genitor recidit.
Ictu ſub vno. pœna præit reum;
Cunas feretrum protinus occupat?
Et occido vix ortus, vrnæ
Puluis iners, cinis atque acerbus.
Vt fugit omnis iam decor, & nitor?
Infuſa labes vt mihi candidum
Turpauit, infecitque pectus?
Vtque notam Pater immerenti
Impreſſit informem? haud timuit graves
Minas, ſeueri iuraque fœderis
Vxorius pomum remordens
Patre Deo grauius vetante.
Hinc & rebelles pectore feruido
Deprælîantur non ſine turbido
Senſus tumultu, perque miſcet
Ciuica ſeditio quietum
Regnum pudicæ mentis; inæſtuat
Iecurque flamma, quam ciuis integis
Doloſæ, natalemque Martem
(Mira fides) acuunt amores.

P. Io. Bap. Maſculus l. 1. Ode 23.

Congenitum miſeris monſtrum mortalibus imo
Pectore, viſceribuſque furit, quo ficta Megeræ
Mitior ira, caniſque trifaux, qui creditus Orci
Ianitor, exterret trepidas latratibus vmbras.
Sanguinis humani tabo, ſanieque veneni
Paſcitur, & rabido carpens vitalia morſu,
Triſtibus inſanos furijs crudele dolores
Concitet: æterno rationem, ipſumque laceſſit
Marte Deum: ſolio domini detrudere mentem,
Et caſſum imperio pugnat ſibi ſubdere Numen
Hic Fomes fera perpetuo prognata labori,
Terrigenis fatale malum: vel nomina monſtri
Horrida, & auguſtæ probrum intolerabile Matri.
Et inſr. Hæc diram crudelis hirudo
Sanguinis inſatiata ſitim; feralibus ardor
Ignibus inſultans menti veſana cupido,
Numinis indignata iugum, turbaſque rebelli
Marte ciens: pyra tartareis accenſa fauillis,
Virtutum rogus, & vitæ lacrymabile buſtum
Innocuæ, primique parentum infanda propago
Criminis, in duras lacerans præcordia pœnas
Tortor, auernalem figens ſub pectore legem
Hoc primi genus exitij, fatalis origo
Tot ſcelerum, quòd progenies humana per æuum
Auſa Deum violare, Erebo ſe trudere ſontem,
A primo concepit auo, totamque nepotum
Concipiet ſacra per ſeriem.

P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Superbia.

MOnſtrorum quæ prima parens cœloque ſoloque
Primus & inſanæ mentis furor, obuia cœlo
Infeſtum fert dira caput: ſublime tuentes
Stant oculi: excuſſoque iugo ſternacia ruptis
Colla tument vinclis: omni quaſi lege ſoluta
Effreni volat arbitrio: ſemperque volatu
Summa petit, nihil & meritis non arrogat audax
Viribus aut confiſa ſuis, vt debita, tollit
Nunquam humiles radit terras, aut arcibus altis
Imminet, aut ipſas fertur ſuper ardua nubes:
Ex quibus excuſſa eſt Aquilonibus, inuidet aſtris:
Conceptos fouet ventos, & parturit ignes:
Queis tandem dirupta crepat, ſonitumque per auras
Ingentem ciet, attonitus ceu fulmine terris.

P. Ant. Millieu l. 17. Moyſ. Viat to. 2.

Calcare cœlum reſtat, in terris nihil
Iam fulminandum. fregimus quidquid minax
In iſta torſit ſceptra ſacrilegam manum
Noſtris ſub armis terra iam latè tremit;
Spectat triumphos orbis attonitus meos;
Et cum ſuperbis militum cinctum globis
Niueos iugales flammeo curru premo,

Sub

Sub luce ferri trepidus inſerpit dies
Stellæ expaueſcunt, ſtant Noti, fluctus ſilent.
Perge anime, perge, ſi quis eſt cœlo Deus,
Sentiat in aſtris eſſe riualem ſibi.
Terris ſubactis ingeram ſtellis manum,
Ortus ſiniſtra, dextra occaſus premam;
Et me pauebunt cœlites, ſi non amant.
Exinde fuluo cinctus aſtrorum choro.
Leges tremendas, & polo, & terris feram.
P.Nic.Cauſinus Nabuc.ac.2.ſc.2.

Ambitio.

IT comes Ambitio matri, multoque parente
Deterior, mouet inuentis immanibus artes.
Blanda loqui docilis, palpumque obtrudere vulgo;
Et prenſare inopes, & munera ſpargere dextra,
Mercarique tribus campo, nec parcere menſis,
Blanditu captata parum ſi gratia poſſit
Obſtantes turbare gradu, conuellere leges,
Vim tentare foro, rapere inconceſſa fauori
Munera, præcipites annos vrgere Parentum,
Deijcere aut de ponte ſenes, aut tollere ferro:
Vel patre calcato ſceleratum inuadere ſceptrum.
P.Millieus ibidem.

Vide etiam Tit. Aula, & Aulicorum vita.

Hyppocriſis.

SIc mea virtutem ſpecies imitatur, vt illa
Effigiem vultus ſe putet eſſe mei.
Sæpè habitu fuit illa meò deluſa, meique
Sæpè opus ingenij, credidit eſſe ſui.
Impariter ſumus ergo pares. ego moribus illam
Mentior; aſt habitum, quo tegor, illa tegit.
Frontem illi germanam habeo, non nomen; at illa
Eſt inimica mihi nomine, fronte ſoror.
Væ mihi, ſi quando deprenderit illa figuram
Me ſimulare ſuam, diſſimulare meam.
An mala, vel bona ſim, quæris? ſum neutra. quid ergo?
Falſa boni effigies, ſum quoque falſa mali.
P. Pulcharellus l. 4. ep. 20.

Crudelis.

CErnis vt horrentem galeæ de cuſpide vibra
Aſpida, terribiliſque minaci murice criſtas,
Hamatamque rigens loricam, auroque trilicem
Hic Pharao: crudele, ferox, furiale tyranni
Prodigium, vltori monſtrum execrabile cœlo.
Quale ſupercilium fronti: quam triſte ſuperbo
Fornice: qui rugis frontem ſulcantibus horror:
Sanguineis quæ flamma oculis, vel in æquoris vndis
Ar-

Ardet: quam torui cilijs horrentibus orbes:
Pupillaque nigrante, geniſque ferocibus, hirto
Cuſpidibus rigidis mento, quam barbara ſæuit
Impietas, Vetereſque minas quas quam dira retentat.
P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Quàm metuenda viri ſpecies: quàm turgida mitræ
Maieſtas: tetricæ qualis truculentia frontis;
Quanta ſupercilij, quàm dira ſuperbia: quanto
Ora tument faſtu; propexiſque hiſpida villis
Barbaricos ſpirant animos, ſæuumque furorem.
Quo facies horrore minax, quàm triſtia flammis
Lumina: ſanguineæ ſpecies quàm turbida formæ.
Stant circum furor ira.
Idem ibidem.

Homo ſceleſtiſſimus.

Est mihi prodigium cunctis immanius hydris,
Tigride mobilius fœta, violentius Auſtris,
Acrius Harpyis, flauis incertius vndis
Ruffinus; quem prima meo de matre cadentem
Suſcepi gremio; reptauit paruus in iſto
Sæpè ſinu tenero, perque ardua colla volutus
Vbera quæſiuit fletu, linguiſque triſulcis
Mollia lambentes finxerunt membra ceraſtæ.
Me tradente dolos, geſtus artemque nocendi
Edidicit ſimulare fidem, ſenſuſque minaces
Protegere, & blando fraudem prætexere riſu.
Plenus ſæuitiæ, lucrique cupidine feruens
Non Tarreſſiacis illum ſatiaret arenis
Tempeſtas pretioſa Tagi, non ſtagna rubentis
Aurea Pactoli, totumque exhauſerit Hermum,
Ardebit maiore ſiti. quàm fallere mentes
Doctus, & vnanimes odijs turbare ſodales.
Talem progenies hominum ſi priſca tuliſſet,
Pirithoum fugeret Theſeus; offenſus Oreſtem
Deſereret Pylades, odiſſet Caſtora Pollux.
Claudianus l. 1. in Ruff.

.... diſtantibus idem
Inter ſe vitijs cinctus: quodcunque profunda
Traxit auaritia, luxu peiore refundit.
Inſtat terribilis viuis, morientibus hæres,
Virginibus raptor, thalamis obſcenus adulter,
Nulla quies. oritur præda ceſſante libido,
Diuitibuſque dies, & nox metuenda maritis.
Quiſquis vel locuples, pulchra vel coniuge notus,
Crimine pulſatur falſo: ſi crimina deſunt,
Accitus conuiua perit; mors nulla refugit
Artificem; varios ſuccos, ſpumaſque requirit
Serpentum virides, & adhuc ignota nouercis
Gramina. ſi quiſquam vultu præſentia damnet,

Li-

Liberiuſque gemat, dapibus crudelis in ipſis
Emicat ad nutum ſtricto mucrone miniſter.

Claudianus de bello Gild.

Illum nocte ſatum horribili, & phlegethonte creatum
Protulit in lucem nigranti è ſede Megæra:
Tiſiphone excepit gremio, ſucciſque cerastæ
Nutrijt Alecto ſuppromens vbere virus,
Et diram inſtillans rabiem: mox triſtis Enyo
Ignibus accenſum ſtygijs in bella vocauit
Prodigium crudele: dolos prætexere riſu
Nempe poteſt; ſimulare fidem, mentemque nocentem
Protegere, & verbis intendere funus amicis.
Quacumque incedit, paribus veſtigia ponit
Liuor edax gradibus: nec longè luxus aberrat
Depopulator opum; ſequitur malè ſuada libido,
Et furor, & cœci mater diſcordia belli.
Cunctorumque ſubit ſerit inſana malorum.

P.Tarq.Gallutius l.1. car.19.

AFFECTVS HVMANI.

Amor.

Diua non miti generata ponto
Quam vocat matrem geminus Cupido,
Impotens, flammis, ſimul & ſagittis
Iſte laſciuus puer, acrè nitens,
Tela quam certo iaculatur arcu,
Labitur totas furor in medullas
Igne furtiuo populante venas.
Non habet latam data plaga frontem,
Sed vorat rectas penitus medullas.
Nulla pax iſti puero, per orbem
Spargit effuſas agilis ſagittas:
Quæque naſcentem videt ora ſolem,
Quæque ad occaſus iacet ora ſeros,
Si qua feruenti ſubiecta cancro eſt
Si qua maioris glacialis Vrſæ
Semper errantes patitur colonos,
Nouit hos æſtus, iuuenum feroces
Concitat flammas, ſenibuſque feſſis
Rurſus extinctos reuocat calores.
Virginum ignoto ferit igne pectus,
Et iubet cœlo ſuperos relicto
Vultibus falſis habitare terras.

Seneca in Hipp. in Cho. ac.2.

Volucrem eſſe amorem fingit, immitem Deum,
Mortalis error, armat & telis manus,
Arcuſque ſacros inſtruit ſæua face;
Genitumque credit Venere, Vulcano ſatum.
Vis magna mentis, blandus atque animi calor.
Amor eſt: iuuenta gignitur; luxu, otio

Nutritur, inter læta fortunæ bona.
Quem ſi fouere, atque alere deſiſtas, cadit,
Breuique vires perdit extinctus ſuas.
Seneca in Octau. ac. 2. ſc. 2.

Amor ex animis æſtuat imis
Noxius error ſenſibus hauſtus,
Qui cùm laxas fudit habenas,
Animi latè populatur opes,
Nullaque poteſt ratione premi:
Calor inſanus, furor immanis,
Vis in vetitos probroſa thoros,
Degener ardor, decorum labes.
Hoſtis honeſti, transfuga recti.
P. Bern. Stephonius in Criſ. ac. 5. ſc. 1.

Amor pueri ſpecie.

ORe puer ſeptennis erat, cui fulgidus auro
Crinis, & in criſpis cirrorum tortilis orbes
Vndabat niuea ludens ceruice: micabant
Acribus ex oculis flammæ, ceu fulgura lætis
Ignibus, & blandis feriebant lumina telis.
Ora tenella; color puro, quem purpura lacti
Mixta daret; ſic alba roſis confuſa nitebant
Lilia, diluerat niueum ſic murice florem.
Tubera bina genis vndantibus, vuida molli
In medium compacta globum, ſe pondere librat
Materies, cumuloque tumet, rurſuſque decori
Indice, per ductus hilares ſe læta reſoluit.
Labra pari diducta nota dulcedine blanda
Lætitiæ reſperſa fluunt, ſpirantque beatam
Ambroſiam, & dulces Zephyris halantibus auras.
Ad ſummas fluit ex oſtro pellucida ſuras
Carbaſus, hanc nodo zonæ collegerat vmbo,
Fibulaque ad collum mordaci adſtrinxerat auro.
Præciſæ ad cubitos manicæ, qua liber in omnes
Brachia diſtentat nitat niſus: pharetræque ſiniſtrum
Ex humeris pendebat onus, victricia mundi
Tela gerens: arcum læua, geminumque ferebat
Cuſpidis accenſa telum penetrabile flamma.
P. An. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Amoris materni blanditiæ.

NOn ita prolis amans teneræ, ſi fortè querentem
Audiat, & triſti longè clamore vocantem
Auxilio, gemitu ſentit præcordia mater
Icta quati, & puppi lacrymis, duroque dolori
Accelerans feſtinat opem: rorantia mulcet
Ora manu, labriſque terit, blanditur amicis
Vocibus, infringitque ſonos, & mille vocatum
Nominibus complexa fouet, ſæuoque minatur
Iuſta malo celeres pœnas, promitque dolorem

Ip-

Ipſa ſuum, lacrymas lacrymis confundit, amorem
Accenſum licet, his ardens inflammat ab vndis.
Idem ibidem.

QValis in eximiam forma, & genitrice carentem
Regis amor natam, vidui qua publica regni,
Et priuata ſalus ſtat claræ gentis, in vnam
Figit ouans hilares oculos, animumque prementes;
Hoc leuat aſpectu curas, felicia paſcit
Lumina: quo ſe cumque ferat, quo tendat, euntem
Proſequitur, regemque timendum oblitus, & annos,
Iam ſenior patriſque memor ſuſtollit in vlnas,
Aut gremio fouet amplexans ſtringitque lacertis
Implicitam, premit ore genas, dat & oſcula fronti
Plurima, demulcetque manu, blandèque vocatam
Nominibus quæ fingit amor, ſcitatur amantem
An redamet, tenerum ne pij patris æquet amorem?
Illa ſenis gauiſa ſinu ſubridet amanti
Blanditijs, illecebraſque patris maioribus auget
Illecebris, captumque ligat ceu carmine patrem.
Idem ibidem.

Amoris ardor.

VRitur & validis ardent præcordia flammis,
Nec flammis imbrem, quæ medeatur, habet.
Ardor erat vultus, geminæ duo lumina flammæ,
Flamma ſupercilium; cœtera membra rogus.
Ipſa redundabat flammarum aſpergine cyclas,
Denique ſidereo totus in igne Deus. *Et inf.*
Sic puer ardores cœli dum ſuſpicit, ardet:
Nec quàm pectus adhuc æſtuet, ora negant.
Stintillant oculi, frons fulgurat, ebria flammis
Tempora ſunt, medio vultus in igne latet.
Non ſolum in faciem diuina allabitur æſtas,
Sed magis anguſto pectore clauſa furit.
Hic ſtimulat ſeſe, & tanquam indignata teneri,
Tentat inæqualis rumpere clauſtra ſinus.
Iamque adeo iuuenis flamma eluctante laborat,
Quamquam ſi neſcis, eſt amor ille labor.
Ex Palat. Reg. Eloq. excr. 6 punct. 2.

Amoris indicia.

ERumpit oculis ignis, & lapſæ genæ
Lucem recuſant: nil idem dubiæ placet,
Artuſque variè iactat incertus dolor.
Nunc vt ſoluto labitur moriens gradu,
Et vix labente ſuſtinet collo caput.
Nunc ſe quieti reddit, & ſomni immemor
Noctem querelis ducit: attolli iubet,
Iterumque poni corpus; & ſolui comas
Rurſumque fingi, ſemper impatiens ſui

Mu-

Mutatur habitus; nulla iam Cereris ſubit
Cura aut ſalutis. vadit incerto pede,
Iam viribus defuncta: non idem vigor,
Non ora tingens nitida purpureus rubor;
Populatur artus cura, iam greſſus tremunt,
Tenerque nitidi corporis cecidit decor.
Lacrymæ cadunt per ora, & aſſiduo genæ
Rore irrigantur.

Seneca in Hipp. ac 2 ſc. 1.

Interdum dulci languentia corda calore
Permulcens blandè in lacrymas liquefacta reſoluit;
Et primum teneris guttæ eluctantur ocellis;
Mox velut effractis torrens violentus habenis
Præcipitat, totum in largos cor liquitur imbres.
Quis referat quoties vultus mutauit honorem?
Quàm varios ſubitus color accuſauit amores?
Friget, inardeſcit, pallet, rubet, æſtuat, horret.
Nunc tremulo excuſſæ micuerunt ſanguine venæ,
Nunc & inæquali per mollia pectora motu
Fuſæ langueſcunt animæ; nunc impetus omnis
Emoritur, refugitque animus, ſubitòque reſurgunt
Conceptæ vires, languorem concutit ardor.

Ex Palatio Reg. Eloq. exer. 6. pun. 8.

Amicitia, ſiue Amicus fidelis.

FOedus amicitiæ non vis cariſſime noſtræ
Nec ſi fortè velis, diſſimulare potes.
Donec enim licuit, nec te mihi carior alter.
Nec tibi me tota iunctior vrbe fuit.
Iſque erat vſque adeò populo teſtatus, vt eſſet
Pœne magis quam tu, quamque ego, notus amor,
Quique eſt in caris animi tibi candor amicis,
Cognitus eſt iſti, quem colis ipſe, viro.
Nil ita celabas, vt non ego conſcius eſſem,
Pectoribuſque dabas multa tegenda meis.
Cuique ego narrabam, ſecreti quidquid habebam.
Excepto, quod me perdidit, vnus eras.
Tu tamen ò nobis vſu iunctiſſimè longo
Pars deſiderij maxima penè mei.

Ouid. l. 3. Triſt. el. 3.

Odium, Diræ, & imprecationes.

AT bello audacis populi vexatus, & armis,
Finibus extorris, complexu auulſus Iuli,
Auxilium imploret, videatque indigna ſuorum
Funera; nec cum ſe ſub leges pacis iniquæ
Tradiderit, regno, aut optata luce fruatur.
Sed cadat ante diem, mediaque inhumatus arena.
Tum vos ò Tyrij ſtirpem, & genus omne futurum
Exercete odijs, cinerique hæc mittite noſtro
Munera, nullus amor populis, nec fœdera ſunto.

Exo-

Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus vltor,
Qui face Dardanios, ferroque ſequare colonos.
Nunc olim, quocumque dabunt ſe tempore vires,
Littora littoribus contraria, fluctibus vndas,
Imprecor, arma armis: pugnent ipſique nepotes.

Virgil. l. 4. Æn.

Terra tibi fruges, clementem ſpiritus auram,
Afflatum zephyri, potum neget vnda ſalubrem.
Et niſi ſi lento crucieris in igne calorem
Flamma neget; paſſim pauido tibi terra dehiſcat,
Et vapor erumpat Stygia caligine denſus,
Impia qui flammis fumantibus incoquat ora.
Nulla tibi pateant fugienti littora, nulla
Peruia ſit tellus; noctem tibi ſomnia turbent
Triſt a, & horrifica lacerentur imagine ſomni,
Nec ſit nocte dies optatus lætior atra,
Nec tibi clarus eat; ſubita ſed nocte queraris
Interijſſe iubar: ſolitam ſcrutantia lucem
Lumina contriſtet, quo gaudent omnia, Titan.
Exul, inops erres, vt cæſo fratre Cainus,
Exiguumque petas inimica per oſtia panem:
Sis miſer: eſſe miſer nulli videaris; & eſſe
Vt videare miſer, miſerabilis eſſe negeris.
Accendant odium lacrymæ: mala multa ferenti
Plura rogent: tuleris cum plurima, plura precentur.
Seueris? intereant ſegetes, ſeges enitet? æſtus
Vſtulet, hic parcet? ſteriles rubigine culmos
Falce ſeces paleas iactes eluſus in auras.
Horrea ſi facilis prouentus ruperit ignis
Deuoret occultus, tineæ vel morſus ariſtas.
Non oleam felix maturet Virginis aſtrum,
Sordida nulla tibi madeat vindemia muſto.
Omnia deficiant: cupias tamen omnia demens,
Sis æterna tuæ ſemper quo cauſa querelæ
Cùm ſitiens fontes acceſſeris, abditus imo
Fonte latex auidos fallat captantis hiatus.
Eſuries? poſitæ eludant ieiunia menſæ,
Et vacuam ingluuiem, & fauces fruſtrentur inanes.
Vulnere nulla vacet pars corporis, vlcere nulla.
Cauſa tibi mortis non deſit, copia deſit,
Innumeros inter cruciatus tarda moreris
Funera, luctantemque animam miſerèque gementem
Viuaci ſub morte trahas: ſic omnibus vnus
Sufficias pœnis, vt noxæ ſufficis omni
Nec valeas animo melius, quam corpore demens.
Æger, inops, excors, furijs agitatus oberres.
Nunc furor in medios incurrere ſuadeat ignes:
Nunc probet e tecto corpus demittere præceps;
Nunc in aquis duros properet finire dolores:
Informem lethi nodum nunc nectere cogat:
Pectore nunc feſſo meditetur mergere ferrum.
Semper & è furijs torto ſonet vna flagello
Verberibuſque ſecet liuentia terga per vrbes,

Altera fumiferas tædas obiectet in ora,
Et caput inuoluat picea caligine dirum.
Tertia terrificis armata draconibus adſit.
Atque Meduſæos intentet vbique colubros.
Has vigil extimeas, tacitis hæ noctis in vmbris
Excutiant pauidos inſano pectore ſomnos:
Hæ vitam oblato laudent abſcindere ferro,
Hæ rurſum erepto cogant te viuere ferro,
Hæ quoque quam votis optabis, & eſſe propinquam
Maturamque tuis ærumnis fortè putabis
Mortem, immaturam ſcelerato è limine pellant.
His viuus furijs vexabere, mortuus ijſdem:
Noxia ne penis laniere minoribus vmbra.
Nemo tibi aſſideat moribundo: lumina nemo
Condat; at accerſat properantia fata veneno
Si qua tibi fuerit coniux, aut filia fida:
Cantaridumque bibas ſuccos; aut vulnera Patri
Imprimat exultans iterato filius enſe.
Nec ſuper iniecta tumuletur corpus arena,
Nec tenui condaris humo: ſed vile per agros
Proijciare caput, ſæuorum rixa luporum,
Præda cruenta canum, indeploratumque cadauer;
Aduolet, & roſtro trahat ilia vultur obunco,
Aut iaceas nigris miſerabilis anguibus eſca.
Quidquid vbique gemunt, quidquid patiuntur vbique
Damnatæ tenebris animæ; patiere, gemeſque:
Improbè cunctorum fient tormenta, vel vno
Supplicio leuiora tuo. quæ Tenarus ipſe
Incutit aut alijs, aut ipſe miſerrimus horret.
Ludus erunt collata tuis, teterrime, monſtris.
Nulla tuas fraudes obliteret immemor ætas:
Viuat, & extincto ſcelerum ſit fama ſuperſtes.
Crimina patris eant in ſeros longa nepotes,
Duret & in natis rabies æterna parentis.
Oſtentare manus imbutas ſanguine fratrum
Gloria ſit generis: cari reuerentia patris.
Dedecus: occiſam iurent per numina matrem:
Occidiſſe ſoror laudetur adultera fratrem,
Qui iugulum ſoluat ſtricto mucrone ſororis,
Qui ſecet, & natos epulandos torreat igni,
Qui patris, & cœſæ mandat præcordia matris,
Maximus hæredum ter maximus audiat hæres.

P. Bern Stephonius car. 3. in Herod.

Quare ò piorum vindices Diræ Deæ
Et impiorum, quotquot incluſæ nigro
Latitatis antro. Cæſarem ſcelere obrutum,
Seque execrantem, ſcelere deteſtabilem
Audite, adite, rapite, diſcindite,
Abdite profundo noctis æternæ ſpecu.
Huc huc ſorores impiæ, quantæ impios
Agitaſtis vnquam viperea innexæ coma,
Huc huc adeſte ſquallidæ ſerpentibus.
Tuque ò ſilentum dirus Vmbrarum arbiter,

Imo

Imo gementum quære par ſceleri meo:
Molire (merui) ſupplicium, quod tu horreas,
Quod expaueſcant inferi, quidquid gemunt
Populi nocentum, ſontium Cœſar gemat
Peſſimus, in vnum Cœſarem ſontem, omnium
Tranſcribe pœnas. feſſus Ixion vacet,
Sufflaminetur impetus præceps rotæ.
In me laboris irriti, in me lubrici
Montis ruinam transfer: in me vultures
Tytio relicto deuolent: tandem vaca
Tantale, recede, cede ſubeunti mihi,
Meam laceſſant, effluant, ludant ſitim
Vndæ fugaces: ſtimulet admotus meo
Autumnus ori, fallat ablatus famem.

Idem in Symphor. ac. 5. ſc. vlt.

Videndus etiam Ouidius in Ibin.

Ira, ſiue Homo iratus.

.... Dixit, atque ira furit.
Ardent minaces igne truculento genæ,
Oculique vix ſe ſedibus retinent ſuis.
Violentus, audax, mutus, iratus, ferox.
Tantum cruentus gemuit, & dirum fremens
Manus in ora torſit.

Seneca in Œdipo. ac 5. ſc. 1.

Sic memorans torques fumantem ex ore vaporem,
Iraque anhelatum proturbat pectore murmur:
Vt multo accenſis feruore exuberat vndis
Clauſus vbi exuſto liquor indignatur aheno.
Tum præceps ruit in medium, cœlumque fatigat
Flaminium inceſſens.

Silius l. 6.

.... ſuffuderat ora
Sanguis, & à toruo ſurgebant lumine flammæ.
Tum rictu ſpumas & anhelis faucibus acta
Verſabant penitus dirum ſuſpiria murmur.

Idem l. 11.

At circùm populi longè, latèque colentes
Igneſcunt calido afflatu, & fax martia ſæuit.
Scintillis etenim alterius temerarius ardor
Incenſus furit, & truculentia fortibus auſis
Effera, at alterius effert calefacta fauillis
Indomitum caput, ac violenta ſuperbia voce
Intonat, & nigro rabies armata veneno,
Fœda vngues, impexa comas, & dente cruento,
Quà greſſum mouet, & ſaltu ſe tollit Erynnis,
Crine minax, hac erranti diſcordia paſſu,
Iraque, veſanuſque furor comes additur, & lis,
Ipſa quidem ardenti ſpargens incendia dextra
Euocat è latebris bellum.

Iou. Pontanus l. 5. de Stell.

Furor, ſiue Homo furens.

His agitur furijs, totoque ardentis ab ore
Scintillæ obſiſtunt, oculis micat acribus ignis.
Mugitus veluti cùm prima in prælia taurus
Terrificos ciet, atque iraſci in cornua tentat.

Virgilius l. 12. Æn.

.... illa feroces
Torquet adhuc oculos, totoque vagantia cœlo
Lumina, nunc vultu pauido, nunc torua minaci.
Stat nunquam facies: rubor igneus inficit ora,
Liuenteſque genas: nec qui ſolet eſſe timenti,
Terribilis ſed pallor ineſt: nec feſſa quieſcunt
Corda, ſed vt tumidus Boreæ poſt flamina pontus
Rauca gemit, ſic multa leuant ſuſpiria vatem.

Lucanus l. 5.

Stetit furenti ſimilis, ac toruum intuens
Herculea coniux, fœta vt Armenia iacens
Sub rupe tigris hoſte conſpecto exilit;
Aut iuſſa thyrſum quatere, conceptum ferens
Mænas Lyæum: dubia quò greſſus agat
Hæſit parumper, tum per Herculeos lares
Lymphata rapitur; tota vix ſatis eſt domus.
Incurrit, errat, ſiſtit: in vultus dolor
Proceſſit omnis: pectori penè intimo
Nihil eſt relictum; fletus inſequitur genas,
Nec vnus habitus durat, aut vno furit
Contenta vultu, nunc inardeſcunt genæ,
Pallor ruborem pellit, & formas dolor
Errat per omnes. queritur, implorat, gemit.

Seneca in Herc. Oet. act. 2. ſc. 1.

Silet repente Phœbas, & pallor genas
Creberque totum poſſidet corpus tremor.
Stetere viriæ, mollis horreſcit coma;
Anhela corda murmure incluſo fremunt;
Incerta nutant lumina, & verſi retrò
Torquentur oculi: rurſus immites rigent:
Nunc leuat in auras altior ſolito caput,
Graditurque celſa; nunc reluctantes parat
Reſerare fauces: verba nunc cluſo malè
Cuſtodit ore Mœnas impatiens Dei.

Idem in Agam. act. 3. ſc. 5.

Proſilit in medios viſu, audituque tremendus,
Impatienſque Dei, fragili quem mente receptum
Non capit: exundant ſtimuli, nuduſque per ora
Stat furor, & trepidas incerto ſanguine tendit,
Exhauritque genas: acies huc errat, & illuc
Sertaque mixta comis ſparſa ceruice flagellat.
Sic Phriga terrificis genitrix Idæa cruentum
Elicit ex adytis, conſumptaque brachia ferro
Scire vetat; quatit ille ſacras in pectora pinus,
Sanguineoſque rotat crines, ac vulnera curſu

Exa-

Exanimat, pauet omnis ager, reſperſaque cultris
Arbor, & attoniti currum erexere leones.
Statius l. 10. Theb.

Spes.

HÆc Dea, cum fugerent ſceleratas numina terras
Ex Dijs inuiſa ſola remanſit humo.
Hæc facit vt viuat foſſor quoque compede vinctus,
Liberaque à ferro crura futura putet.
Hæc facit vt videat cùm terras vndique nullas
Naufragus in medijs brachia iactet aquis.
Sæpe aliquem ſolers Medicorum cura reliquit,
Nec ſpes huic venia deficiente cadit.
Carcere dicuntur clauſi ſperare ſalutem,
Atque aliquis pendens in cruce vota facit.
Hæc Dea quàm multos laqueo ſua colla ligantes
Non eſt propoſita paſſa perire nece.
Ouidius l. 1. de Pon. el.

Quam Spes alma ſuper paſſis ſuſpenderat alis
Florentes effuſa ſinus, quos læta ſmaragdis
Ad latera, & manicas duplici ordine fibula nectit
In loricam adamas: ſapphyro caſſida fulget;
Cuius paciferam criſtæ curuantur in irim.
Affectata Deam erecto Fidentia vultu
Et pietas albata ſimul, lapſa illa per auras
Coccineum euoluit funem, quo ſacra tenetur
Ad Triados ſolium, morſuque immobilis hæret
Anchora, nec metuens ventis retinacula rumpi.
Hinc quoties Virgo miſeros conuiſere iuſſa,
Funem illum complexa manu, delabitur æthra
Lurida in antra ſitu, & ſqualentes carceris vmbras;
Depoſiti quocumque vocent in clade iacentes:
Mox vbi odoratum patera gemmante liquorem,
Nepentheſque animis blandè porrexit amaris,
Tum gremio complexa preces, & clauda Litarum
Agmina, comploſis reuolat ſuper æthera pennis,
Purpureum relegens funem, genibuſque Tonantis
Illita ceratis committit vota tabellis.
P. Ant. Millieus to. 1. Moyſ. Viat. l. 2.

Speranda infeſtis tibi ſors eſt altera rebus:
Res mala felicis ſemina ſortis habet.
Si puppim Boreas tamen abripit, anchora firmet.
Hanc Spes formoſa porrigit ipſa manu.
Quamuis iam tabulæ ventis ſoluantur, & vndis,
Et tumidæ feriant ora precantis aquæ:
Spes tamen adijciat vires, animoſque natanti:
Illa per inuitas brachia ducet aquas.
Omnia cùm terrent, & deplorata videntur,
Quod iuuet, in medijs inuenit illa malis.
Illa nec ad ſcopulos alliſa naue fatiſcit,
Nec fracta pariter cum rate, fracta perit.

Nutritur, inter læta fortunæ bona.
Quem ſi fouere, atque alere deſiſtas, cadit,
Breuique vires perdit extinctus ſuas.
Seneca in Octau. ac. 2. ſc. 2.

Amor ex animis æſtuat imis
Noxius error ſenſibus hauſtus,
Qui cùm laxas fudit habenas,
Animi latè populatur opes,
Nullaque poteſt ratione premi:
Calor inſanus, furor immanis,
Vis in vetitos probroſa thoros,
Degener ardor, decorum labes.
Hoſtis honeſti, transfuga recti.
P. Bern. Stephonius in Criſ. ac. 5. ſc. 1.

Amor pueri ſpecie.

ORe puer ſeptennis erat, cui fulgidus auro
Crinis, & in criſpis cirrorum tortilis orbes
Vndabat niuea ludens ceruice: micabant
Acribus ex oculis flammæ, ceu fulgura lætis
Ignibus, & blandis feriebant lumina telis.
Ora tenella; color puro, quem purpura lacti
Mixta daret; ſic alba roſis confuſa nitebant
Lilia, diluerat niueum ſic murice florem.
Tubera bina genis vndantibus, vuida molli
In medium compacta globum, ſe pondere librat
Materies, cumuloque tumet, rurſuſque decori
Indice, per ductus hilares ſe læta reſoluit.
Labra pari diducta nota dulcedine blanda
Lætitiæ reſperſa fluunt, ſpirantque beatam
Ambroſiam, & dulces Zephyris halantibus auras.
Ad ſummas fluit ex oſtro pellucida ſuras
Carbaſus, hanc nodo zonæ collegerat vmbo,
Fibulaque ad collum mordaci adſtrinxerat auro.
Præciſæ ad cubitos manicæ, quà liber in omnes
Brachia diſtentat nitat niſus: pharetræque ſiniſtrum
Ex humeris pendebat onus, victricia mundi
Tela gerens: arcum læua, geminumque ferebat
Cuſpidis accenſa telum penetrabile flamma.
P. An. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Amoris materni blanditia.

NOn ita prolis amans teneræ, ſi fortè querentem
Audiat, & triſti longè clamore vocantem
Auxilio, gemitu ſentit præcordia mater
Icta quati, & puppi lacrymis, duroque dolori
Accelerans feſtinat opem: rorantia mulcet
Ora manu, labriſque terit, blanditur amicis
Vocibus, infringitque ſonos, & mille vocatum
Nominibus complexa fouet, ſæuoque minatur
Iuſta malo celeres pœnas, promitque dolorem

Ip-

Ipſa [illegible] que, manuſque,
A[illegible] omnia credi
[illegible] ncurſibus vrbes.
[illegible] eat aſtra,
[illegible] eſcendere ſiluas.

Q[illegible]

Statius l.7. Theb.

Fi[illegible] are peractis,
H[illegible] error habet.
L[illegible] ſudoribus angit,
P[illegible] ira redit.
I[illegible] excutit artus,
A[illegible] nago choros.
I[illegible] ſtramine lecti,
P[illegible] o:
N[illegible] rbore ventus,
A[illegible] ante comæ.
I[illegible] ignibus æther,
B[illegible] axe fragor?
Illecebras [illegible] tumultu,
[illegible] e peti.
[illegible] ſcilicet vmbræ.
[illegible] na necem.
[illegible] frena gubernet,
[illegible] rò timet.

[illegible] in Pijs Deſid. l.2. n.4.

V[illegible] s.
[illegible]
Ardor erat [illegible] midine preſſus
Flamma [illegible] & vox faucibus hæſit.

Virgil. l 1. Æn.

Ipſa [illegible] , oſſaque & artus
Denique [illegible] ſudor.

Idem l.7.

Sic puer [illegible] colorem
Nec [illegible] re rigebant.

Ouid l.7.met.

Stintillat [illegible] horror
Tempora [illegible] ſumque coercens
Non ſolum [illegible] ia ripa.

Lucanus l.1.

Sed [illegible] t timor,
Hic flimmat [illegible] ros tremor,
Tenet [illegible] timor.

[illegible] eneca in Oct. ac.4. ſc.1.

Iamque [illegible] ſſibus horror?
Q[illegible] cerua cruentis

E[illegible] pectore molli
L[illegible] cia curſu,
A[illegible] iamque teneri
N[illegible] e morſus.
E[illegible]
N[illegible]

Stat. l.5. Theb.

Illa etiam in vaſto reperit ſibi gurgite portum.
Illa ſuas, quamuis naufraga, ſeruat opes.
Omnibus amiſſis ſi ſpes animuſque ſuperſit,
Pars melior cenſus eſt tibi ſalua tui.
P. Sidron. Hoſchius l. 1. El. 6.

Spes rutila de nube oculos, atque ora recludit,
Diua potens triſtes animis auertere luctus
Et mentis renouare diem, micat ignis in ore:
Irrequieta ſalit regali vertice flamma,
Quæ deſiderijs alitur, creſcitque per auras
Ardua, & oppoſitas perrumpit lumine nubes.
Cœſaries non fronte natat collecta, ſed aurum
Complicat in nodum crinale: ardentia flagrant
Lumina, quæ cœli charites obtutibus afflant,
Et Solis tolerans inconniuentia fulgur.
Eminus illa oculos contorquet, & alta tuetur
Anchora queis cordis figatur, germina florum
Pomorum ſpes, in ſertum nectuntur, & vmbrant
Tempora: vicinos frontis flos mitigat ignes.
Non tamen areſcit, viret at roratus ab igne.
Symbola dextra ſpei fert lilia: gaudia vultus
Sed dubio ſplendore gerit: micat; hæret eodem
Fixus in obtutu: mox ſe ſe attollit, & vrget,
Quærit & aſtra oculis, riſuque, & voce ſalutat.
P. Car. de Incal. 3 Dom. Laur.

Deſperatio.

TOnate cœlo ſidera, & rupto ſemel
Crepate mundo, trahite vobiſcum polos,
Polos, & axes & relucentes globos
Refixa ſede Numina, & mundus labans
Per capita noſtra, & funerum ſtrages ruat.
Nimis minantur aſtra, feriant quà volent.
Si magna ceruix petitur, en magnam offero,
En nudo pectus funeris magni capax:
En irretorto lumine per ignem, & faces,
Et per coruſcos fulminis iactus feror.
Tantum ruina cadere generoſa iuuat,
Toto perire mundo, & inſtrato tegi
Mundo ſepultum. proh ferax luctus dies!
Quis hic locus, quæ regio, quo tandem vagor
Salutis expers, æger, afflictus, miſer?
Deſertor animę ſanguinis riuo tui
Extingue flammas patriæ, & errantes riga
Vmbras tuorum.
P. Nic. Cauſſinus in Soly. act. 2.

Timor.

INde vnum dira comitum de Plebe Pauorem
Quadrupedes anteire iubet. non alter anhelus
Inſinuare metus, animumque auertere veris

Ap-

Aptior: innumeræ monſtro voceſque, manuſque,
Et facies quæcunque liber. bonus omnia credi
Author. & horrificis lymphare incurſibus vrbes.
Si geminos ſoles ruituraque ſuadeat aſtra,
Aut nutare ſolum, aut veteres deſcendere ſiluas.
Ah miſeri vidiſſe putent.

Statius l.7. Theb.

Flagitijs demum incipiunt trepidare peractis,
Ante ſcelus, nullus pectora terror habet.
Tum pauor heu madidis mentem ſudoribus angit,
Et læſi ante oculos Numinis ira redit.
Tum ſubitus ſtrato vigiles timor excutit artus,
Propria tum vacuos terret imago choros.
Si ſtrepitum forſan dederit mus ſtramine lecti,
Creditur è ſiluis exiluiſſe leo.
Nocte leuis quaſſa ſi murmuret arbore ventus,
Horreſcunt rigidæ fronde ſonante comæ.
Quid faciant, ſubitis, ſi fulminet ignibus æther,
Aut ſonet æthereo grandior axe fragor?
Pectora cœleſti ſtupeant perculſa tumultu,
Et flamma metuant diſſiliente peti.
Tunc terrent auræ, tunc terrent ſcilicet vmbræ.
Augurioque notant omnia ſigna necem.
Vtilis ante ſcelus timor eſt, qui frena gubernet,
Qui timet admiſſo crimine, ſerò timet.

P. Herm. Vgo in Pijs Deſid. l.2. n.4.

Homo timens.

TVm verò ancipiti mentem formidine preſſus
Obſtupui, ſteteruntque comæ, & vox faucibus hæſit.

Virgil. l.2. Æn.

Olli ſomnum ingens rupit pauor, oſſaque & artus
Perfundit toto proruptus corpore ſudor.

Idem l.7.

Ille diu pauidus pariter cum voce colorem
Perdiderat, gelidoque comæ terrore rigebant.

Ouid l.7. met.

. . . . tunc perculit horror
Membra ducis, riguere comæ, greſſumque coercens
Languor in extrema tenuit veſtigia ripa.

Lucanus l.1.

Tandem quietem magnus excuſſit timor,
Quatit ora, & artus horridus auſtros tremor,
Palſatque pectus, continet vocem timor.

Seneca in Oct. ac.4. ſc.1.

Talia cernenti mihi quantus in oſſibus horror?
Quiſue per ora color? qualis cùm cerua cruentis
Circumuenta lupis, nullum cui pectore molli
Robur: & in volucri tenuis fiducia curſu,
Præcipitat ſuſpenſa fugam, iam iamque teneri
Credit, & eluſos audit concurrere morſus.

Stat. l.5. Theb.

Illa etiam in vaſto reperit ſibi gurgite portum.
  Illa ſuas, quamuis naufraga, ſeruat opes.
Omnibus amiſſis ſi ſpes animuſque ſuperſit,
  Pars melior cenſus eſt tibi ſalua tui.
P. Sidron. Hoſchius l. 1. El. 6.

Spes rutila de nube oculos, atque ora recludit,
Diua potens triſtes animis auertere luctus
Et mentis renouare diem, micat ignis in ore:
Irrequieta ſalit regali vertice flamma,
Quæ deſiderijs alitur, creſcitque per auras
Ardua, & oppoſitas perrumpit lumine nubes.
Cœſaries non fronte natat collecta, ſed aurum
Complicat in nodum crinale: ardentia flagrant
Lumina, quæ cœli charites obtutibus afflant,
Et Solis tolerans inconniuentia fulgur.
Eminus illa oculos contorquet, & alta tuetur
Anchora queis cordis figatur, germina florum
Pomorum ſpes, in ſertum nectuntur, & vmbrant
Tempora: vicinos frontis flos mitigat ignes.
Non tamen areſcit, viret at roratus ab igne.
Symbola dextra ſpei fert lilia: gaudia vultus
Sed dubio ſplendore gerit: micat; hæret eodem
Fixus in obtutu: mox ſe ſe attollit, & vrget,
Quærit & aſtra oculis, riſuque, & voce ſalutat.
P. Car. de Aucal. 3 Dom. Laur.

Deſperatio.

TOnate cœlo ſidera, & rupto ſemel
  Crepate mundo, trahite vobiſcum polos,
Polos, & axes & relucentes globos
Refixa ſede Numina, & mundus labans
Per capita noſtra, & funerum ſtrages ruat.
Nimis minantur aſtra, feriant quā volent.
Si magna ceruix petitur, en magnam offero,
En nudo pectus funeris magni capax:
En irretorto lumine per ignem, & faces,
Et per coruſcos fulminis iactus feror.
Tantum ruina cadere generoſa iuuat,
Toto perire mundo, & inſtrato tegi
Mundo ſepultum. proh ferax luctus dies!
Quis hic locus, quæ regio, quo tandem vagor
Salutis expers, æger, afflictus, miſer?
Deſertor animę ſanguinis riuo tui
Extingue flammas patriæ, & errantes riga
Vmbras tuorum.
P. Nic. Cauſinus in Soly. act. 2.

Timor.

INde vnum dira comitum de Plebe Pastorem
  Quadrupedes auteire iubet. non alter anhelus
Inſinuare metus, animumque auertere veris.

Aptior: innumeræ monſtro voceſque, manuſque,
Et facies quæcunque libet. bonus omnia credi
Author. & horrificis lymphare incurſibus vrbes.
Si geminos ſoles ruituraque ſuadeat aſtra,
Aut nutare ſolum, aut veteres deſcendere ſiluas.
Ah miſeri vidiſſe putent.

Statius l. 7. Theb.

Flagitijs demum incipiunt trepidare peractis,
Ante ſcelus, nullus pectora terror habet.
Tum pauor heu madidis mentem ſudoribus angit,
Et læſi ante oculos Numinis ira redit.
Tum ſubitus ſtrato vigiles timor excutit artus,
Propria tum vacuos terret imago choros.
Si ſtrepitum forſan dederit mus ſtramine lecti,
Creditur è ſiluis exiluiſſe leo.
Nocte leuis quaſſa ſi murmuret arbore ventus,
Horreſcunt rigidæ fronde ſonante comæ.
Quid faciant, ſubitis, ſi fulminet ignibus æther,
Aut ſonet æthereo grandior axe fragor?
Pectora cœleſti ſtupeant perculſa tumultu,
Et flamma metuant diſſiliente peti.
Tunc terrent auræ, tunc terrent ſcilicet vmbræ.
Augurioque notant omnia ſigna necem.
Vtilis ante ſcelus timor eſt, qui frena gubernet,
Qui timet admiſſo crimine, ſerò timet.

P. Herm. Vgo in Pijs Deſid. l. 2. n. 4.

Homo timens.

TVm verò ancipiti mentem formidine preſſus
Obſtupui, ſteteruntque comæ, & vox faucibus hæſit.

Virgil. l. 1. Æn.

Olli ſomnum ingens rupit pauor, oſſaque & artus
Perfundit toto proruptus corpore ſudor.

Idem l. 7.

Ille diu pauidus pariter cum voce colorem
Perdiderat, gelidoque comæ terrore rigebant.

Ouid l. 7. met.

. . . . tunc perculit horror
Membra ducis, riguere comæ, greſſumque coercens
Languor in extrema tenuit veſtigia ripa.

Lucanus l. 1.

Tandem quietem magnus excuſſit timor,
Quatit ora, & artus horridus auſtros tremor,
Palſatque pectus, continet vocem timor.

Seneca in Oct. ac. 4. ſc. 1.

Talia cernenti mihi quantus in oſſibus horror?
Quiſue per ora color? qualis cùm cerua cruentis
Circumuenta lupis, nullum cui pectore molli
Robur: & in volucri tenuis fiducia curſu,
Præcipitat ſuſpenſa fugam, iam iamque teneri
Credit, & eluſos audit concurrere morſus.

Stat. l. 5. Theb.

Illa etiam in vaſto reperit ſibi gurgite portum.
Illa ſuas, quamuis naufraga, ſeruat opes.
Omnibus amiſſis ſi ſpes animuſque ſuperſit,
Pars melior cenſus eſt tibi ſalua tui.
P. Sidron. Hoſchius l. 1. El. 6.

Spes rutila de nube oculos, atque ora recludit,
Diua potens triſtes animis auertere luctus
Et mentis renouare diem, micat ignis in ore:
Irrequieta ſalit regali vertice flamma,
Quæ deſiderijs alitur, creſcitque per auras
Ardua, & oppoſitas perrumpit lumine nubes.
Cœſaries non fronte natat collecta, ſed aurum
Complicat in nodum crinale: ardentia flagrant
Lumina, quæ cœli charites obtutibus afflant,
Et Solis tolerans inconniuentia fulgur.
Eminus illa oculos contorquet, & alta ruetur
Anchora queis cordis figatur, germina florum
Pomorum ſpes, in ſertum nectuntur, & vmbrant
Tempora: vicinos frontis flos mitigat ignes.
Non tamen areſcit, viret at roratus ab igne.
Symbola dextra ſpei fert lilia: gaudia vultus
Sed dubio ſplendore gerit: micat; hæret eodem
Fixus in obtutu: mox ſe ſe attollit, & vrget,
Quærit & aſtra oculis, riſuque, & voce ſalutat.
P. Car. de Incal. 3 Dom. Laur.

Deſperatio.

TOnate cœlo ſidera, & rupto ſemel
Crepate mundo, trahite vobiſcum polos,
Polos, & axes & relucentes globos
Refixa ſede Numina, & mundus labans
Per capita noſtra, & funerum ſtrages ruat.
Nimis minantur aſtra, feriant quā volent.
Si magna ceruix petitur, en magnam offero,
En nudo pectus funeris magni capax:
En irretorto lumine per ignem, & faces,
Et per coruſcos fulminis iactus feror.
Tantum ruina cadere generoſa iuuat,
Toto perire mundo, & inſtrato tegi
Mundo ſepultum. proh ferax luctus dies!
Quis hic locus, quæ regio, quo tandem vagor
Salutis expers, æger, afflictus, miſer?
Deſertor animę ſanguinis riuo tui
Extingue flammas patriæ, & errantes riga
Vmbras tuorum.
P. Nic. Cauſſinus in Soly. act. 2.

Timor.

INde vnum dira comitum de Plebe Pauorem
Quadrupedes anteire iubet. non alter anhelus
Inſinuare metus, animumque auertere veris.

Ap-

Aptior: innumeræ monſtro voceſque, manuſque,
Et facies quæcunque libet. bonus omnia credi
Author. & horrificis lymphare incurſibus vrbes.
Si geminos ſoles ruituraque ſuadeat aſtra,
Aut nutare ſolum, aut veteres deſcendere ſiluas.
Ah miſeri vidiſſe putent.

Statius l.7. Theb.

Flagitijs demum incipiunt trepidare peractis,
Ante ſcelus, nullus pectora terror habet.
Tum pauor heu madidis mentem ſudoribus angit,
Et læſi ante oculos Numinis ira redit.
Tum ſubitus ſtrato vigiles timor excutit artus,
Propria tum vacuos terret imago choros.
Si ſtrepitum forſan dederit mus ſtramine lecti,
Creditur è ſiluis exiluiſſe leo.
Nocte leuis quaſſa ſi murmuret arbore ventus,
Horreſcunt rigidæ fronde ſonante comæ.
Quid faciant, ſubitis, ſi fulminet ignibus æther,
Aut ſonet æthereo grandior axe fragor?
Pectora cœleſti ſtupeant perculſa tumultu,
Et flamma metuant diſſiliente peti.
Tunc terrent auræ, tunc terrent ſcilicet vmbræ.
Augurioque notant omnia ſigna necem.
Vtilis ante ſcelus timor eſt, qui frena gubernet,
Qui timet admiſſo crimine, ſerò timet.

P. Herm. Vgo in Pijs Deſid. l.2. n.4.

Homo timens.

TVm verò ancipiti mentem formidine preſſus
Obſtupui, ſteteruntque comæ, & vox faucibus hæſit.

Virgil. l 1. Æn.

Olli ſomnum ingens rupit pauor, oſſaque & artus
Perfundit toto proruptus corpore ſudor.

Idem l.7.

Ille diu pauidus pariter cum voce colorem
Perdiderat, gelidoque comæ terrore rigebant.

Ouid l.7. met.

. . . . tunc percul it horror.
Membra ducis, riguere comæ, greſſumque coercens
Languor in extrema tenuit veſtigia ripa.

Lucanus l.1.

Tandem quietem magnus excuſſit timor,
Quatit ora, & artus horridus auſtros tremor,
Palſatque pectus, continet vocem timor.

Seneca in Oct. ac.4. ſc.1.

Talia cernenti mihi quantus in oſſibus horror?
Quiſue per ora color? qualis cùm cerua cruentis
Circumuenta lupis, nullum cui pectore molli
Robur: & in volucri tenuis fiducia curſu,
Præcipitat ſuſpenſa fugam, iam iamque teneri
Credit, & eluſos audit concurrere morſus.

Stat. l.5. Theb.

Furor, ſiue Homo furens.

HIs agitur furijs, totoque ardentis ab ore
Scintillæ obſiſtunt, oculis micat acribus ignis.
Mugitus veluti cùm prima in prælia taurus
Terrificos ciet, atque iraſci in cornua tentat.
Virgilius l.12. Æn.

.... illa feroces
Torquet adhuc oculos, totoque vagantia cœlo
Lumina, nunc vultu pauido, nunc torua minaci.
Stat nunquam facies: rubor igneus inficit ora,
Liuenteſque genas: nec qui ſolet eſſe timenti,
Terribilis ſed pallor ineſt: nec feſſa quieſcunt
Corda, ſed vt tumidus Boreæ poſt flamina pontus
Rauca gemit, ſic multa leuant ſuſpiria vatem.
Lucanus l.5.

Stetit furenti ſimilis, ac toruum intuens
Herculea coniux, fœta vt Armenia iacens
Sub rupe tigris hoſte conſpecto exilit;
Aut iuſſa thyrſum quatere, conceptum ferens
Mænas Lyæum: dubia quò greſſus agat
Hæſit parumper, tum per Herculeos lares
Lymphata rapitur; tota vix ſatis eſt domus.
Incurrit, errat, ſiſtit: in vultus dolor
Proceſſit omnis: pectori penè intimo
Nihil eſt relictum; fletus inſequitur genas,
Nec vnus habitus durat, aut vno furit
Contenta vultu, nunc inardeſcunt genæ,
Pallor ruborem pellit, & formas dolor
Errat per omnes. queritur, implorat, gemit.
Seneca in Herc. Oet. act. 2. ſc. 1.

Silet repente Phœbas, & pallor genas
Creberque totum poſſidet corpus tremor.
Stetere viriæ, mollis horreſcit coma;
Anhela corda murmure incluſo fremunt;
Incerta nutant lumina, & verſi retrò
Torquentur oculi: rurſus immites rigent:
Nunc leuat in auras altior ſolito caput,
Graditurque celſa; nunc reluctantes parat
Reſerare fauces: verba nunc cluſo malè
Cuſtodit ore Mœnas impatiens Dei.
Idem in Agam. act. 3. ſc. 5.

Proſilit in medios viſu, audituque tremendus,
Impatienſque Dei, fragili quem mente receptum
Non capit: exundant ſtimuli, nuduſque per ora
Stat furor, & trepidas incerto ſanguine tendit,
Exhauritque genas: acies huc errat, & illuc
Sertaque mixta comis ſparſa ceruice flagellat.
Sic Phriga terrificis genitrix Idæa cruentum
Elicit ex adytis, conſumptaque brachia ferro
Scire vetat; quatit ille ſacras in pectora pinus,
Sanguineoſque rotat crines, ac vulnera curſu

Exa-

Exanimat, pauet omnis ager, reſperſaque cultris
Arbor, & attoniti currum erexere leones.
Statius l. 10. Theb.

Spes.

HÆc Dea, cum fugerent ſceleratas numina terras
Ex Dijs inuiſa ſola remanſit humo.
Hæc facit vt viuat foſſor quoque compede vinctus,
Liberaque à ferro crura ſutura putet.
Hæc facit vt videat cùm terras vndique nullas
Naufragus in medijs brachia iactet aquis.
Sæpe aliquem ſolers Medicorum cura reliquit,
Nec ſpes huic venia deficiente cadit.
Carcere dicuntur clauſi ſperare ſalutem,
Atque aliquis pendens in cruce vota facit.
Hæc Dea quàm multos laqueo ſua colla ligantes
Non eſt propoſita paſſa perire nece.
Ouidius l. 1 de Pon. el.

Quam Spes alma ſuper paſſis ſuſpenderat alis
Florentes effuſa ſinus, quos læta ſmaragdis
Ad latera, & manicas duplici ordine fibula nectit
In loricam adamas: ſapphyro caſſida fulget;
Cuius paciferam criſtæ curuantur in irim.
Affectata Deam erecto Fidentia vultu
Et pietas albata ſimul, lapſa illa per auras
Coccineum euoluit funem, quo ſacra tenetur
Ad Triados ſolium, morſuque immobilis heret
Anchora, nec metuens ventis retinacula rumpi.
Hinc quoties Virgo miſeros conuiſere iuſſa,
Funem illum complexa manu, delabitur æthra
Lurida in antra ſitu, & ſqualentes carceris vmbras,
Depoſiti quocumque vocent in clade iacentes:
Mox vbi odoratum patera gemmante liquorem,
Nepentheſque animis blandè porrexit amaris,
Tum gremio complexa preces, & clauda Litarum
Agmina, comploſis reuolat ſuper æthera pennis,
Purpureum relegens funem, genibuſque Tonantis
Illita ceratis committit vota tabellis.
P. Ant. Millicus to. 1. Moyſ. Viat. l. 12.

Speranda infeſtis tibi ſors eſt altera rebus:
Res mala felicis ſemina ſortis habet.
Si puppim Boreas tamen abripit, anchora firmet.
Hanc Spes formoſa porrigit ipſa manu.
Quamuis iam tabulæ ventis ſoluantur, & vndis,
Et tumidæ feriant ora precantis aquæ:
Spes tamen adijciat vires, animoſque natanti:
Illa per inuitas brachia ducet aquas.
Omnia cùm terrent, & deplorata videntur,
Quod iuuet, in medijs inuenit illa malis.
Illa nec ad ſcopulos alliſa naue fatiſcit,
Nec fracta pariter cum rate, fracta perit.

Illa etiam in vaſto reperit ſibi gurgite portum.
Illa ſuas, quamuis naufraga, ſeruat opes.
Omnibus amiſſis ſi ſpes animuſque ſuperſit,
Pars melior cenſus eſt tibi ſalua tui.

P. Sidron. Hoſchius l. 1. El. 6.

Spes rutila de nube oculos, atque ora recludit,
Diua potens triſtes animis auertere luctus
Et mentis renouare diem, micat ignis in ore:
Irrequieta ſalit regali vertice flamma,
Quæ deſiderijs alitur, creſcitque per auras
Ardua, & oppoſitas perrumpit lumine nubes.
Cæſaries non fronte natat collecta, ſed aurum
Complicat in nodum crinale: ardentia flagrant
Lumina, quæ cœli charites obtutibus afflant,
Et Solis tolerans inconniuentia fulgur.
Eminus illa oculos contorquet, & alta tuetur
Anchora queis cordis figatur, germina florum
Pomorum ſpes, in ſertum nectuntur, & vmbrant
Tempora: vicinos frontis flos mitigat ignes.
Non tamen areſcit, viret at roratus ab igne.
Symbola dextra ſpei fert lilia: gaudia vultus
Sed dubio ſplendore gerit: micat; hæret eodem
Fixus in obtutu: mox ſe ſe attollit, & vrget,
Quærit & aſtra oculis, riſuque, & voce ſalutat.

P. Car. de Luca l. 3 Dom. Laur.

Deſperatio.

TOnate cœlo ſidera, & rupto ſemel
Crepate mundo, trahite vobiſcum polos,
Polos, & axes & relucentes globos
Refixa ſede Numina, & mundus labans
Per capita noſtra, & funerum ſtrages ruat.
Nimis minantur aſtra, feriant quà volent.
Si magna ceruix petitur, en magnam offero,
En nudo pectus funeris magni capax:
En irretorto lumine per ignem, & faces,
Et per coruſcos fulminis iactus feror.
Tantum ruina cadere generoſa iuuat,
Toto perire mundo, & inſtrato tegi
Mundo ſepultum. proh ferax luctus dies!
Quis hic locus, quæ regio, quo tandem vagor
Salutis expers, æger, afflictus, miſer?
Deſertor animę ſanguinis riuo tui
Extingue flammas patriæ, & errantes riga
Vmbras tuorum.

P. Nic. Cauſinus in Soly. act. 2.

Timor.

INde vnum dira comitum de Plebe Pauorem
Quadrupedes anteire iubet. non alter anhelus
Inſinuare metus, animumque auertere veris

Ap-

Aptior: innumeræ monſtro voceſque, manuſque,
Et facies quæcunque liber. bonus omnia credi
Author. & horrificis lymphare incurſibus vrbes.
Si geminos ſoles ruituraque ſuadeat aſtra,
Aut nutare ſolum, aut veteres deſcendere ſiluas.
Ah miſeri vidiſſe putent.

Statius l. 7. Theb.

Flagitijs demum incipiunt trepidare peractis,
  Ante ſcelus, nullus pectora terror habet.
Tum pauor heu madidis mentem ſudoribus angit,
  Et læſi ante oculos Numinis ira redit.
Tum ſubitus ſtrato vigiles timor excutit artus,
  Propria tum vacuos terret imago choros.
Si ſtrepitum forſan dederit mus ſtramine lecti,
  Creditur è ſiluis exiluiſſe leo.
Nocte leuis quaſſa ſi murmuret arbore ventus,
  Horreſcunt rigidæ fronde ſonante comæ.
Quid faciant, ſubitis, ſi fulminet ignibus æther,
  Aut ſonet æthereo grandior axe fragor?
Pectora cœleſti ſtupeant perculſa tumultu,
  Et flamma metuant diſſiliente peti.
Tunc terrent auræ, tunc terrent ſcilicet vmbræ,
  Augurioque notant omnia ſigna necem.
Vtilis ante ſcelus timor eſt, qui frena gubernet,
  Qui timet admiſſo crimine, ſerò timet.

P. Herm. Vgo in Pijs Deſid. l. 2. n. 4.

Homo timens.

TVm verò ancipiti mentem formidine preſſus
Obſtupui, ſteteruntque comæ, & vox faucibus hæſit.

Virgil. l. 1. Æn.

Olli ſomnum ingens rupit pauor, oſſaque & artus
Perfundit toto proruptus corpore ſudor.

Idem l. 7.

Ille diu pauidus pariter cum voce colorem
Perdiderat, gelidoque comæ terrore rigebant.

Ouid l. 7. met.

. . . . tunc percul it horror
Membra ducis, riguere comæ, greſſumque coercens
Languor in extrema tenuit veſtigia ripa.

Lucanus l. 1.

Tandem quietem magnus excuſſit timor,
Quatit ora, & artus horridus auſtros tremor,
Palſatque pectus, continet vocem timor.

Seneca in Oct. ac. 4. ſc. 1.

Talia cernenti mihi quantus in oſſibus horror?
Quiſue per ora color? qualis cùm cerua cruentis
Circumuenta lupis, nullum cui pectore molli
Robur: & in volucri tenuis fiducia curſu,
Præcipitat ſuſpenſa fugam, iam iamque teneri
Credit, & eluſos audit concurrere morſus.

Stat. l. 5. Theb.

At procul exanguis Rufinum perculit horror:
Infectæ pallore genæ: ſtetit ore gelato
Incertus peteretne fugam, veniamve ſubactus
Poſceret

Claudianus in Ruf. l.2.

Vrbs tandem concuſſa metu, fatoque propinquo
Intremuit, veteriſque minas ponentia faſtus
Tunc primum trepidis nutarunt culmina muris.
Egelidus mixto tremor it ſudore per artus
Hoſtibus, & pulſæ ſaliunt ſub pectore venæ;
Ignotuſque diu propioris imagne damni
Corda ſubit, timor, & quamquam ſe prodere verbis
Deprendique pudet, lethi tamen ore colorem
Inuitus rapit, & mentem pallore fatetur.

Apud P. Laur. le Brun. to. 1. El. Poet.

Pallida frons, oculi triſtes, macieſque genarum
Lurida, turbatæ motus, ſæuamque procellam
Mentis, & implacidos ventis pugnantibus æſtus
Pectoris, & tanti pandunt diſcrimina caſus. *Et inf.*
Omne miniſterium circa tremit, horridus haurit
Corda pauor, trepidos rerum ſtatus, iraque Regis
Exanimat, fixique rigent ceu marmora toto
Pondere, in alternos verſi modo lumina vultus,
Inque oculos Dominorum acres.

P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Nullus in ore color: rigidi ſtant vertice crines:
Attonitus volvens oculos ſuſpenſa lacunat
Fronte ſupercilia, & vaſto quatit impete malas.
Dentibus infrendens ſtridet, queriturque, ſiletque;
Faucibus it gemitus, ſuſpiria corde recondit:

P. Alex. Donatus l.6. Conſt.

Homo dolens.

PRotinus icta malo, vitrea de rupe ſolutis
Exilijt furibunda comis, ac verbere crebro
Oraque, pectoraque, & viridem ſcidit horrida veſtem

Statius l.6. Theb.

Par habitus cunctis, deiecti in pectora crines,
Accinctique ſinus. manant lacera ora cruentis
Vnguibus, & molles planctu creuere lacerti.

Idem l.12.

Non expectato reſpectu cladis, amictus
Conſcidit, & fractas cum crine auellit ariſtas
Hæſerunt lacrimæ; nec vox aut ſpiritus oris
Redditur, atque imis vibiat tremor oſſa medullis,
Succidui titubant greſſus.

Claudianus l.1. de raptu.

Ventilat errantem per eburnea colla capillum,
Natium qui ſponte fluens temerarius aurum
Diſſipat, & vittas ſine lege in terga refundit.
Gemma oculis iam prona tremit, iamque innatas altus
In vultu dolor, & faciem demittit honeſtam.

Igue-

Igneſcunt ſine luce genæ; vix attrahit auras
Pectus, inexhauſto vix & ſuſpiria corde
Inuenit, exitium deploratura ſupremum.

Aug. Maſcardus l. 1. ſil. car. 1.

. . . . At ipſa
Palluit aſpectu, ſtratoque ſimillima ſponſo
Concidit exanimis: gemitum cum voce repreſſit.
Poſtquam vibrauit ſponſæ tremor oſſa dolentis,
Hæſeruntque diu voces, tandem ora querelis
Liberat. impactis contundit pectora palmis
Euellitque comas, & fœmineo vlulatu
Extinctum complexa virum.

P. Car. de Luca l. 21. Dom. Laur.

Lacryma.

VOs lacrymæ fontes, dios vbi corripit ignes
Extinguitque tuas mens, Erycina faces.
Per vos occultæ nitida vt ſpecularia mentis
Quælibet arcani pectoris ima patent.
Vos oculi roſeis fundunt vt verba labellis
Et taciti partes multa loquentis agunt.
Per vos contractæ ſurgunt vbi nubila frontis,
Et ſubitus tepidæ labitur imber aquæ,
Picta ſerenatis intermicat Iris ocellis,
Filia mœſtitiæ, nuncia lætitiæ.
Cor puteus geminis oculorum ducitur vrnis,
Quæ leuat æternam nectaris vnda ſitim
Sint lacrimæ noſtro gemmata monilia collo:
Hæc micet in digitis lucida gemma meis.

P. Mar. Bettinus in Lyc. l. 2. el. 2.

Inuidia.

LIuor tabificum malis venenum
Intactis vorat oſſibus medullas,
Et totum bibit artubus cruorem.
Quod quiſquis furit, inuidetque forti,
Vt debet, ſibi pœna ſemper ipſe eſt.
Teſtatur gemitu graues dolores
Suſpirat, fremit, incutitque dentes
Sudat frigidus intuens quod odit,
Pallor terribilis genas colorat,
Infelix macies renudat oſſa.
Non lux, non cibus eſt ſuauis illi,
Nec potus iuuat, aut ſapor Lyæi,
Nec ſi pocula Iuppiter propinet,
Aut hæc porrigat, & miniſtret Hebe.
Non ſomnum capit, aut quieſcit vnquam,
Torquet viſcera carnifex cruentus,

Virg. in Epigr.

Concuſſæ patuere fores: videt intus edentem
Vipereas carnes vitiorum alimenta ſuorum,
Inuidiam; viſaque oculos auertit, at illa

Surgit homo pigrè, ſemeſarumque reliquit
Corpora ſerpentum, paſſuque incedit inerti
Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto,
Nuſquam recta acies liuent rubigine dentes.
Pectora felle virent, lingua eſt ſuffuſa veneno,
Riſus abeſt, niſi quem viſi mouere dolores,
Nec fruitur ſomno vigilantibus excita curis;
Sed videt ingratos, intabeſcitque videndo
Succeſſus hominum: carpitque, & carpitur vnà,
Suppliciumque ſuum eſt.

Ouidius l.2. met.

Semper recenti frons dolore nubila,
Dirique mœroris grauis;
Obducta nimbo cilia diluuiem imbrium
Ortis minantur lacrymis.
Oculi maligna luce ſuccenſi rubent,
Prænunciantque fulgura,
Cadauerosus pallor ore lurido,
Orcoque concolor inſidet
Ignaua macies, quæ aridas fuligine
Marcente deturpat genas
At deflua coma ceream frontem premit,
A qua relegatus decens
Oculos ſerenos exulat riſus; niſi
Quem viſus alienus dolor,
Aut voto iniquo proximus penatibus
Optata fecerunt mala,
Profunda anhelant faucibus ſuſpiria.
Gemituſque mentis conſcij,
In virulentis quod latet præcordijs
Teſtantur incluſum ſcelus.

P. Gilb. Ionninus lib. Epod. Ode 9.

Homo varijs affectibus agitatus.

MAiora cruciant, quàm vt moras poſſim pati.
Flammæ medullas, & cor exurunt meum:
Miſtus dolori ſubdidit ſtimulos timor:
Inuidia pulſat pectus: hinc animum iugo.
Premit cupido turpis, & vinci vetat.
Et inter iſtas mentis obſeſſæ faces
Feſſus quidem, & deiectus, & peſſumdatus
Pudor rebellat. fluctibus varijs agor:
Vt cum hinc profundum ventus, hinc æſtus rapit,
Incerta dubitat vnda cui cedat malo.
Proinde omiſi regimen è manibus meis:
Quocunque me ira, quo dolor, quo ſpes feret,
Huc ire pergam, fluctibus dedi ratem.

Seneca in Agam. ac. 2. ſc. 1.

.... pallet, igneſcit, color
Non vnus errat ſimilis attonito, modò
Exanimis albet vultus, am ſſas prior
Modò flamma vires reparat, & varia vice

Fu-

Fugat, & fugatur oris ingenui rubor:
Tum ſæpè tanquam ſperet, afflictam alleuat
Mentem renidens ore: poſt paulò quaſi
Deſperet eadem, gaudio mœret breui
Et dubia ceruix ore deiecto labat:
Addubitat, audet, ingemit, ridet, fremit.
Lacrymæ ſequuntur: ſpiritum ex alto citat;
Impunè verba fundit inſanus dolor;
Sine mente murmur vota taciturnum canit.

P. Bern. Stephonius in Criſ. act. 1. ſc. 3.

Nec minus interea turbati nuncia cordis
Signa præit vultus, varijſque coloribus anceps
Æſtuat, vt primo cum Sole reciprocat vnda.
Nobile virginea credas in fronte theatrum:
Hic vbi legitimus pugnæ campique magiſter
It pudor, & tota moderator oberrat arena:
Hic timor, infelix animi mouet arma ſatelles:
Hic ſubit hortatrix avidæ fiducia mentis,
Pallorem rubor, & pallor fugat arte ruborem,
Miſcenturque vna; ſed cui victoria palmam
Annuat, incertum facit inclementia pugnæ.
Quid faciat, qua vi dirimat certamina Virgo?
Vritur, & dubio curarum fluctuat æſtu,
Et timet, & ſperat, palletque, rubetque viciſſim,
Spemque metuenſque rigat lacrymis, augetque rigando,
Semper, & in ſegetem, mœroris ſemina creſcunt:

P. Vinc. Guiniſius car. 4.

Ille domi reſidens ſe deteſtatur, & horret:
 Squalore ſeptus lurido,
  Terribilique coma.
Sæpe gemit ridens, & formidabile pallet:
 Mox gaudijs plorantibus
  Pectora nuda lauat.
Infremit exultans: ſic vt metuendus in ipſo
 Pauore diſcordet ſibi
  Terror ineſt lacrymis.
Sæpe iniuſſa manus clauditque, aperitque feneſtras.
 Seſſurus attollit pedes
  Egrediturque foras:
Primaq; permenſus viridis ſpectacula campi,
 Maiore rurſum tedio
  Damnat, & odit agros.
Denique laſſatus iuxta confinia lethi,
 Sopore membra plumbeo
  Oſſea ſternit humi.
Erigitur ſubito, factique ignarus anhelat,
 Humente vultu ſidera
  Non nimis æqua tuens.

P. Iac. Balde in Od. Parth. Ode 51.

SAPIENTIA.

Diua terrarum, pelagique præſes,
Dicta ſubluſtres habitare nubes
Inter. & latè cohibere pictis.
Sidera frenis.
Patris æternas imitata flammas,
Pura ſinceri ſoboles ſereni,
Mentis arcanum iubar & coruſcæ
Filia lucis:
Par Patri natum ſine matre Numen,
Candor aſpecti ſine nube veri,
Ingenij proles, genialis almi
Pectoris ardor.
Tu ſacer mundi lepor, ò decoræ
Fabra naturæ facies, paternæ
Mentis exemplum, liquidi ſerenus
Luminis imber.
Patris interpres, ſimiliſque voci
Nata fœcundo Genitoris ore,
Vena virtutum, generoſa pulchri
Mater honeſti.
Tu tuos cauſis imitata vultus
Diuidis toto ſimulacra mundo,
Numinis formam ſtudioſa vili ef-
Fingere limo.
Iamque mortales ſimulata cultus
Inter humanas manifeſta turmas,
Barbaram gaudes lepido cateruam
Ducere ludo,
Vtilis morum, placidèque fortis
Certa permiſſi dare iura recti, &
Siderum ſolers, patrioque mentem
Dedita Cœlo.

P. Caſim. Sarbienius l. Epod. Ode 6.

Vide ſupra Tit. Sapientia diuina.

SCIENTIA, ET ARTES.

Homo multarum ſcientiarum comple-xione felix.

Ille decus Lybies, ardentis gloria mundi,
Ingeniorum excelſus apex, viuumque lycæum
Palladis, & medio Sol Sole nitentior orbi,
Proh dolor! hæreſeos tenebris caligine ſenſus
Inuoluente animum, vitiorum præda ſuorum,
Mancipium Ditis, Geminata in nocte iacebat,
O quanti vis ingenij, luſtrare capacis

Na-

Naturę fibras omnes, & viſcera rerum,
Et quodcunque latet, vigili comprendere mente
Quicquid Socraticis Sapientia vidit in vmbris,
Naturęque oculus, doctique Platonis acumen,
Et quę Pythagoras potuit docuiſſe ſilendo.
Nil Auguſtino ſapientius, aut prior ętas
Protulit, aut ventura feret; tot pectus onuſtum
Diuitijs Sophię, tot donis lingua Mineruę.
P.Gul.Dondinus in Car.de S.Aug.

Theologia.

NOn tu iacentes vile perambulas
Terras premendo, ſed vigor aliger
Per ętheris campos citatum
Euehit, & ſuper alta ſiſtit.
Poli haud pauentem, tu ſapientię
Sublimioris callidus intimum
Cubile veſtigas Tonantis,
Et taciti penetrale cœli.
Veri magiſtram dicis, & artium
Ducem, ſciendi nec decus abnegas,
Vt illa rerum oracla firmat
Teſte nihil variante Diuo.
Hęc templa olympi, ſideris hic nitor
Deum fatentur; Dędalus artifex
Mundi elaboratum decorem
Perpetuis opibus tuetur.
Non ille nectit fœdere ſordido
Mortale corpus; Numine candido
Simplex, & impermiſtus omni
Labe Deus, ſocięque partis.
Immunis, omni ex parte beatior
Et aptus ex ſe, nullius indiget,
Nil deſit illi, ſed reſorbet
Fonte velut, decus vnus omne.
P.Io.Maſculus l.1.Ode 27.

Seu cæcis penetralibus
Naturę referas abdita, tetricę
Cunſultus ſapientię;
Siue inconſpicuum mentibus aſpici,
Et caligine lucida
Cęlari cupidum numinis abditi
Æternum iubar, & pio
Veſtigas oculis tecta ſilentio;
Cùm feliciter improbus
Miſtus cælicolis aſtra perambulas,
Tu, mentes domino regit
Quæ nutu, arbitrijs molliter imperans,
Humanamque proteruiam
Cogit fræna pati (ne male liberis
Nectat vincula mentibus,

Aut

Aut ſeruile iugum) nectis amabili
Grato fœdere Gratiæ
Vires ingenuas, & vice mutua
Cœleſtem dominam ſequi
Cui fas eſt, temerè ne præeat, caues,
Natura ambitioſior:
Nec vel principium, vel meriti ſibi
Felicem arroget exitum.
Quam centum Pietas iuncta ſororibus
Stipat, nec pudor innocens,
Sacrorum neque abeſt Relligio potens.

P. Gilb. Ionninus l. 1. Lyr. Ode 22.

Maieſtas Diuæ venerabilis; ore ſereno
Gratia concilians animos: frons Iride circum
Cincta, Dei magnum lamna gerit indice nomen.
Hoc etiam deſcripta cyclàs, ſtellæque frequentes
Cærulea radiant palla, paribuſque cothurnis.
Libera læua, graui ſignata volumina dextræ. *Et inf.*
Illa ego, ſupremum cui fas attingere Numen,
Quæ ſcrutator diuina ſagax, hincque inclita laudem,
Auguſtumque Dei duco de nomine nomen.
Quæ neque fas vidiſſe oculis, fruſtraque laborent
Humanæ, ſuperæque animis ſibi fingere mentes:
Sola docet, quæ fuſca Fides, pando ipſa, meoque
Obſcuris affundo nouam de lumine lucem.

P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

PHILOSOPHIA.

Dialectica.

O Macte fama, dum ſapientiæ
Conſultus, alti niteris ingenij
Pennis, & auras Dædaleis
Certior auſpicijs inerras;
Nec vſquam aberras: nil latet artium
Zenonis; omni tu laqueo rudem
Tironem acutus fraudulenti
Ingenij per iniqua ſoluis.
Quandoque veri ludit imagine
Vis differendi fallere lubrica,
Diffingis argumenta, & aſtus
Detegis artificis doloſi.
Sic captioſis denique mens plagis
Euadit extricata, neque improbi
Luſere Sortitæ, atque Theſei
Certus iter regis omne filo.

P. Io. B. Maſculus Lyr. l. 2. Ode 5.

Ens fictitium, quod vocant Ens rationis.

Eſt aliquid (dixit) per cæca habitacula mentis,
Obijciturque animis, noſtra ſed ora latet.
Naſcitur obiectu tenui dum noſcitur; illi
Sic datur è grauido mentis abire ſinu.
Ortus at infelix; fragilis quod munere vitæ
Huic tantum liceat viuere, dum paritur.
Nec natum fœcunda ſinu dignata, nec vlli
Abiecto mater pignore credit onus.
Nuſquam habitat; non intra enixæ viſcera mentis:
Non extra refugo limite quærit iter.
Et tamen aſpicitur viſu depreenſa remoto
Mentis inaſpectis fictilis vmbra cauis.
Quippe nihil ſibi mens ſtudio compulſa videndi
Format, vt in ſolido corpore forma viget.
Tum leuis incerta ſpectatur imagine vultus,
Et nouus à nihilo corpora fœtus agit.
Sed neque corpus agit; credas vmbratile monſtrum,
Quale per obſcuras credis ineſſe vias.
Sic veri ſimulacra mouens, dum vera repoſcit,
Plurima concipiet mens paritura nihil.

P. Alex. Donatus l. 3. el. vlt.

Quid mens inani laudat imagine?
Quid arte curat Dædala fingere,
Ne quære ſolers, & chimæræ
Tolle ſuperuacuum laborem.
Fruſtra reuincis non ſociabiles
Hircumque, Ceruumque abnegat inſolens
Natura, nec iungit iugales
Arbitrio leuiore mentis.
Quid monſtra fingis barbara? quæ neque
Nutrix ſub altis educat Africa
Luſtris, nec hydris fœta Lerne,
Horridus aut Erymanthus abdit.
Mens euaganti fueta licentia
Aptare formas indociles pati
Commune fœdus, fraudulenti
Callida mens opifex laboris.
Sed vis volendi non opus arrogat
Sequax monentis; Præuia nam regit
Intelligendo, præque eundo
Mens animi, face noctiluca.
Permiſſa menti ludicra; quæ ſimul
Inſueta iunxit fœdera geſtiens,
Formaſque rerum complicatas
Inuoluit, ſimulacra gignit.

P. Io. B. Maſculus Lyr. l. 5. Ode 14.

Rerum

Rerum nexus, quas Relationes vocant.

VIces amorum, certaque fędera
Doces; vt vnum rettulit alteri
Natura ſolers, quippe mire
Omnia conſociare nexu
Amans; parentem ſeu ſoboles nouo
Tuetur obtutu, & ſobolem pater
Luce irretorta; ſeu notantur
Res ſimili vice concolores.
Relata quamquam fœdere mutuo
Menſura nunquam reſpicitur, neque
Amoris alternat gemelli
Iura fides repetita vtrinque.

P. Io: Bap. Maſculus l. 1. Ode 18.

Phyſica, ſiue Philoſophia naturalis.

CVmque animo, & vigili perſpexerat omnia cura,
In medium diſcenda dabat, cœtumque ſilentium,
Dictaque mirantum: magni primordia mundi,
Et rerum cauſas, & quid natura docebat.
Quid Deus, vnde niues, quæ fulminis eſſet origo.
Iuppiter, an venti diſcuſſa nube tonarent,
Quid quateret terras, qua ſidera lege mearent,
Et quodcumque latet.

Ouid. l. 15. met.

At quoties elementa doces, ſemperque fluentis
Materiæ cauſas; quæ vis animauerit aſtra,
Impleritque choros; quo viuat machina motu.
Sidera cur ſeptem retrò nitantur in ortus
Obluctata polo, varijſque meatibus idem
Arbiter, an geminæ conuertant æthera mentes,
Siue color proprius rerum, luciſque repulſu
Eludant aciem: tumidos quæ Luna recurſus
Nutriat oceani: quo fracta tonitrua vento.
Quis trahat imbriferas nubes: quo ſaxa croentur
Grandinis: vnde rigor niuibus: quæ flabra per auras
Excutiant rutilos tractus, aut fulmina velox
Torqueat, aut triſtem figat crinita cometen.

Claudianus de Conſ. Manl.

Dum iura mundi, certa fœdera
Solers retractas; dum tacitos ſatus
Fonteſque nataleſque rerum
Mente noua meditaris ortus.
Res vnde pronat, quoque alat vbere
Natura adaugens, quoque cadentia
Humana fatali reſoluat
Puluere, nunc vegetante vita,
Nunc morte inerti cuncta reciprocans.
Verſus profundo materiam ſinu,
Complexa formam ſeu ſodalem

Ro-

Hoſpitio facilis receptet,
Seu pellat inſida, & ſociam dolis
Periura fallat; ſcilicet hoſtium
Plerumque coniurata mouit
Caſtra, nouos agitans tumultus,
Vim multiformem, vim genitabilem,
Stirpemque narras alta ab origine,
Vimque appetentem coniugali
Fœdere conſociare formam.

P. Io: B. Maſculus Lyr. l. 1. Ode 16.

Meteora.

TV ſæuientum cęca flabra ventorum,
Et Æolorum regna, pallidam lunam,
Et nunc rubentem; nunc ſuaue ridentem,
Faces, dracones, lanceas, refulgentem
De ſole ſolem, grandineſque ſaxoſas,
Niueſque doctè, & horridum gelu cantas.
Tu ſigna prodis aeris ſerenati,
Tu ſigna prodis aeris procelloſi,
Pater ſereni, & nubili, pater rerum
Quæ vel videntur ſole, vel vident ſolem.
Tu diſcolores pingis Iridis vultus,
Nunc veſperæ cadentis, aut renaſcentis
Faciem diei, te docente iam ſcimus
Cur verticoſis ſe ſe hiatibus magnus
Diffindat æther, & Deum ſalutares
Mingat procellas ſemipota maieſtas.
Cur macula Phæben turpet, & coruſcantem
Titanis orbem polluta latens ſtigma.
Cur dira męrens horreat cometarum
Oſtenta mundus, purpuræque peccantes.
Quis ventricoſam vibret impetus terram,
Eructet ignes, ſaxa, ſulphur, & fontes;
Cur fatua flamma perſequentibus cedat,
Timidos ſequatur; ſtella decidat cęlo,
Et Tyndarim gemellus oderit frater.

Gaſp. Barlæus to. 2. Miſcell. l. 1.

Mathematica.

INcerta cœli iura volubilis,
Inſanientum ac fœdera temporum
Tu corrigis, Soliſque curſum
Conſilio reuocans, viaſque.
Errantis anni. ni bene conſulas
Cogens dierum frena licentiæ,
Confuſa, & indiſcreta quondam
Relligio trepidet moueri.
Ipſe inuolutum digeris ordinem
Vindex iniqui temporis vnice,
Seu menſtruos componis orbes,

Seu vacuas reficis Kalendas.
Quicquid ſeuerus Panthoides docet,
Tenes, retractans & Babylonias
Arteſque Chaldæas viciſſim
Per numeros ſeriemque ducis.
Deſcribis æquam planitiem, polum
Nunc turbinas; diſcrimina lineis
Grandusue certos nunc reponis,
Pæne Syracuſio videri
Prior magiſtro.

P.Io:B.Maſculus l.1.Ode 17.

Seu iam relictis nubibus igneo
Errare Cœlo, ſeu tibi ſiderum
Curſus, & errorem erudito
Mens fuerat radio notare;
Innctiſque flexus cornibus angulos,
Et implicatas ducere circino
Nolente falli, linearum
Ductilum tenues figuras;
Certiſque cœlum ſcindere partibus,
Aut Climatum diſcrimina ponere;
Et quicquid Architas laborat,
Aut Megaræ ſapiens alumnus.

P.Gilb.Ionninus lyr. l.5.Ode 11.

Aſtronomia.

ILla quidem numerum ſtellarum, & nomina nouit,
Et nouit quod Sol currat, & annus iter.
Iamque aliquis, dum nox cęlum conſperſerit aſtris,
Deſcribet radio, quæ videt, aſtra ſuo.
Hic rutilat Mauors, hic eſt Cythereius ignis:
Quæ nitet hic, felix, dignaque ſtella Ioue eſt.
Arctophylax illic, illic ſunt Arcades Vrſæ:
Hæc regit Argolicas, Sidonis illa rates.
Hic Ariadneæ fulgent monumenta coronæ.
Hæc Bereniceo vertice tonſa coma eſt.
Aſpice Signiferum, quo cœlum cingitur, orbem;
Principium ſignis aurea fulget ouis.
Hinc Sol quadrijugos, bijugos hinc Cynthia currus
Incitat: hęc tenebris linea damnat equos,
Aſpice, & albentem mecum mirabere tractum:
Longa via eſt: ex re lactea nomen habet.
Hic tangit Geminos; illic tua ſidera Chiron:
Inde ſubit flammas Caſſiopeia tuas.

P.Iac.Vuallius in l.2 el.3.

Stellata mundi templa, ſiderum lapſus,
Ortuſque rectos, & tueris obliquos.
Deum penates iam placere cœperunt,
Cui domita tellus; quaque parte terrarum
Emergat Arctos, occidatque; vel rectus
Voluatur orbis, & moras tenebrarum
Titan adæquet lucibus, vel extendat,

Scru-

Scrutaris alti municeps nouus cœli.
Quæ cauſa priſcis aſtra ſedibus trudat,
Cur Spica fugiat Virginem, & minans cornu
Medio remotus orbe frigidum ſpectet
Aries Booten: cur ſuos trahat currus
Borealis Æthon, pluſque pellat Auſtralis.
Vt axe in iſto, quo ferox Ducem ſenſit
Iberus, vmbra dextra, vel ſiniſtrorſum
Flagellet æſtum, biſque torreat fruges,
Bis altus ipſum verticem premat Phœbus:
Toties quadrigas ſiſtat, & dies nocti
Deſcribat æquos, luminumque tot vultus
Attollat omnes, & mari lauet cœlum.

Gaſp. Barlæus to. 2. Miſc. l. 1.

Horologium.

TV per patentes ætheris vadis domos
Raptuſque verum ſcribis in cœlo diem,
Horaſque paribus explicas veſtigijs.
Hic in tabellis orbitam pingit tuam,
Et vſitatas ponit horarum moras,
Curſuſque rarus artifex, mimus tui.
Te prodit vmbra, quoque cœli cardine
Currant iugales, monſtrat humanus labor.
Stat plana, & æquo deſerit libramine
Inflexa nulla parte terram lamina;
Quam recta tenuis lineæ ſecat via,
Mediumque ſuperis figit, & mundo diem.
Hæc limes ille eſt, vmbra quo breuiſſima
Septentrionis dexterum ferit latus;
Nullamque cernit bis quotannis machina
Obliqua nuſquam, quo Syene torrido
Suppoſta Cancro neſcia eſt vmbræ ſemel.
Tranſuerſa rectis ducitur mox angulis
Tangitque primam norma, quo diſtans pari
Statione tellus, hic cadentis lumina,
Naſcentis iſthic indicet ſolis iubar.
Hanc vmbra lambens parte quarta circuli
Diſtat priori, & ſexta mortales pigros
Vel poſcit hora mane, vel ſera expedit.
Quas inter alios ſcribit horarum ſitus
Mens arte certa: qualis emenſus polum
Colurus alter, doctus index temporis,
Terræ incubantem diſſecat cœli viam.
Exinde gnomon fixus vmbram proijcit,
Tenebriſque ſpatia certa deſignat ſuis.
Indocta non hunc ponit in circo manus,
Sed gnara rerum. cernis vt celſo micans
Cynoſura cœlo, nec Katauis occidens
Hoc orbe iuſto ſurgat è terra gradu
Axiſque curuo permeet centrum ſitu?
Hac lege gnomon cuſpidem tollit ſuam,

Au-

Auſtrumque ſpectat hinc, & hinc ſeptem videt
Boreæ triones, horridumque Caucaſum.
Gaſp. Barlaus Miſcell. l.

Aſtrologia.

HEnrice dic, per omnes
Te precor ſtellas: mihi cur Hydrocoum minaris?
Quis Deus alligauit
Liberam mentem rapidi legibus, ede, cœli?
Scilicet alba frontem
Luna, vel pallens cerebro terrigenum moleſta
Certius imperabit,
Quàm ſibi præſens animus? cum quoties repleuit
Plenior orta furtim
Igne fraterno: pariter me reparare macros
Coget opaca vultus,
Mollium pulpa leporum, vel Numida volucri,
Vel petaſone rapto?
An velut murem catus, & bos vitulum minaci
Cynthia iactat orbem
Hinc & hinc cornu? ſed enim cur timidi ſub aſtro
Armipotente Martis
Sæpe naſcuntur? ſtolidi ſub bene litterati
Arcadis, & rapaces
Sub Iouis ſigno? neque ſi quem Venus alma natum
Viderit ex Olympo,
Vrget infantem facibus continuò petulcis.
Ius animo ſuum ſtat
Semper immotum, ſuper altam Babylona vecto.
P. Iac. Balde in Ode Parth. Ode 31.

.... dum ſidera voluis
Ætheraque immenſum, & ſuſpenſos fornice cœlos,
Hinc regnis ſua fata legis, quis ſoſpitet orbem
Conſpectus, facieſque poli, quis mutet habenas
Stellarum oppoſitis radians fulgoribus ignis;
Qua face ſeditio ſurgat, ſolioque potentes
Excutiat grauis ira Dei: quæ ſceptra fecundent
Lumina, quæque ſuis rectores vniat arctè
Ciuibus Arcturi ſtatio, per cuncta Deorum
Incedis ſpatia, & Saturni inamabile ſidus
Regibus aduerſum damnas, plebique malignum
Præcipitque fauens. Iouis vt clementius aſtrum
Concilias, poſciſque tibi, regiſque ſenectæ
Cuſtodem hunc ſcis eſſe Deum, vacuumque malorum.
Sub Mauorte probas, iuſtis victricia cauſis
Arma capi, & rutilos ſtringi ſecurius enſes,
Poſtquam hoſtis fortuna labat; vel turbine fati
Vicinis metuenda venit. *Et inf.*
Inter ſolis equos feros regnantibus annos
Obſeruas Lacheſin trahere, & proſperrima terris
Fata dari: Phaetonteæ diſcrimina flammæ
Acribus auerti monitis, curruumque teneri

Re-

Rectius arte ſenum, & ſub conſultore verendo.
Nec veneris lux ſcæua tibi eſt, nec dura minatur
Phoſphorus, at placido Ludouicum lumine tandem
Aſpicit, hæredeſque duos deducit Olympo
Mercurij per ſigna, quibus ſe purpura prudens
Aſſerat eloquijs, qua maieſtate loquatur
Pro populis, facunde notas, fraudumque magiſtros
Proſcribis procul. at Lunæ penetralibus altis
Deprendis varijs flecti mutabile formis
Imperium, inſtabileſque vices; nunc porgere plenum
Regna decus, fractis nunc expalleſcere rebus.
Gaſp. Barlaus Heroic. l. 1.

Cingara muliercula vaga Chiromantica.

CIngara terribilis, terrorem & crinibus augens,
Finibus è Pharijs, ſic ſors tulit, obuia facta eſt.
Præ nimia facies fulgere nigredine viſa:
Quomodo coruorum plumæ, tenebræque renident.
Grande ſupercilium, frons parua, oculique rubentes,
Tecta latus, ſed nuda pedes, humerumque ſiniſtrum,
Mira docebat, vbi certis regerentur ab aſtris
Corpora, vt acciperent viuendi habitumque, modumque
Cùm ſemper partus cœleſtia ſigna ſequantur.
Bos, Aries, Cancer fingunt ſibi conſona membra:
Dant Gemini formam: fæcundant viſcera Piſces;
Libra virum trutinat, moreſque inducit honeſtos:
Cogit amare Caper, nutrit Leo flammeus iram:
Mitior inſanum compeſcit Virgo Leonem:
Solerteſque facit porrecto Scorpius arcu,
Pondera maturans faſtigia matribus aufert:
Exacuit telis animum iaculator, & illi
Pro meta ingenium eſt: contriſtat Aquarius annum
Imbribus aſſiduis, ſed ſidere mollit aquoſo
Felicem geneſin, & primam læuigat horam.
Protinus explicitam iactantior offero palmam.
Inſpicit arguians, totamque intenta pererrat
Luminibus tacitis, ramoſque examinat omnes,
Menſuraſque, ſinuſque volæ: nam linea longa,
Num breuis, inque cruces ſectas obliqua recurrat.
Quippe alias fortuna, alias natura figuras
Vindicat, & noſtrum rhombos ſeponit in artem.
P. Iac. Balde Sat. 19.

Rhetorica, & Eloquentia.

TVm bona tranquillo venit facundia vultu:
Qua viſa trux ira cadit, cadit ira, minæque,
Effuſæque ſudes manibus, ramique præuſti.
Mox vbi ſubrectas aures, populoſque vocatos
Conſpicit intentos, & facta ſilentia linguis,

Inci-

Incipit, & dictis malè turbida pectora mulcet,
Qua dicente cadunt cauri: fluuijque retorto
Amne fluunt celeres, auulſaque vertice ſaxa:
Illa tenet dictis animos, illa imperat iræ:
Illa iubet rigido decedere corda furores.
Et nunc magna iuuat, veluti cum grandine nimbos
Verba dare, & docta iaculari fulmina lingua.
Nunc libet in dulces deponere fulmina voces,
Et laxare velut liquido labentia curſu
Fulmina; nunc parco, multo nunc pingere fuco,
Nunc ſine vi tenero conuoluere dicta lepore,
Nectere nunc aureo præſtat ſermone catenam,
Quæ linguæ de fonte fluens, vulgi illigat aures,
Attrahit, & verſat facilis. quacunque ſequuntur
Scilicet, & dictis parent, & iuſſa faceſſunt.

P.Tar.Gallutius l.1.car.16,

Illa ego ſum mores agreſtum exoſa virorum
Surgere quæ tectis vrbes, atque oppida iuſſi
Mænibus obuallata ſuis, ritúque ferarum
Degentes populos concordi pace ligaui.
Illa ego quæ fontes gelido de limine lethi,
Oppreſſoſque opibus procerum, ſtudijſque potentum
Eripio innocuos, vitam miſerata labantem.
Ira mihi regum cedit, populique frementis
Seditio, poſito cedit Bellona flagello,
Et furor, & verſis diſcordia mobilis armis
Mecum degit honor, & degunt examina laudum.
Me decorant faſces, & pacto purpura textu,
Gloriaque, & populi plauſus comitantur euntem.

Idem l.1.car.2.

O quis latinæ fons opulentiæ
Exuberanti viuidus impetu
  Bacchatur, & lymphata ſecum
    Corda rapax animoſque voluit.
Qui nunc profundo voluitur alueo
Sententiarum, nunc gracili fluit
  Torrente linguæ: nunc apertis
    Ingenij ſpatiatur aruis.
Suique latè pronus, & inſolens
Exire ripam, non tamen vuida
  Captiuus alga, nec tenaci
    Ire piger per aprica limo.

P.Caſ.Sarbieuius lyr.l.1.Ode 22.

Orator inſignis.

ARdua nunc eadem ſtipat fora, cùm tua mæſtos
Defenſura reos vocem facundia mittit:
Seu trepidos ad iura decem citat haſta virorum,
Et firmare iubet contento iudice cauſas:
Seu capitale nefas operoſa diluis arte,
Laudibus ipſa tuis reſonant fora. tu quoque Piſo
Iudicis affectum, poſſeſſaque pectora ducis,

Victor

Victor ſponte ſua ſequitur quocunque vocaſti.
Flet, ſi flere iubes; gaudet gaudere coactus:
Et te dante capit iudex, quam non habet iram.
Quis non attonitus iudex tua reſpicit ora?
Quis regit ipſe ſuam, niſi per tua pondera, mentem?
Nam tua ſiue libet pariter cum grandine nimbos,
Denſaque vibrata iaculari fulmina lingua.
Seu iuuat aſtrictas in nodum cogere voces,
Et dare ſubtili viuacia verba catenę,
Vim Laertiadę, breuitatem vincis Atridę.
Dulcia ſeu mauis, liquidoque fluentia curſu
Verba, nec incluſo ſed aperto pingere flore
Inclyta Neſtorei cedit tibi gratia mellis.

Lucanus in Poem. ad Piſonem.

Virtutis idem ſuaſor ex omni aureum
Referens lyceo flumen ingenij: grauis,
Vehemens, amęnus, profluens linguę artifex,
Vitęque pariter integer, caſtus, ſacer,
Sectanda laudat ſplendidè, vt nemo ſupra:
Vitanda punit melius irato Ioue.
Quę poſuit, amplè tranſigit: verum in loco
Narrat facete: ſoluit ambages carè.
Conficit acutè, breuiter, ingenuè, acriter,
Pręcepta morum, arcana naturę, ſacra
Officia ciuitatis, & regni edocet:
Fines bonorum, iuris humani vberes
Fontes recludit: Prothei ritu ſtylum
Vultus in omnes vertit: elatè tonat,
Si fulminandum: verba ſubmiſsè premit,
Si perdocendum: ſerpit, aſſurgit, dolet,
Diſſimulat, inſtat, cedit, vrget, imminet
Hoſti timendus. ſupplicat, plorat, gemit,
Et hęc beatè varius, ac ſenſim omnia.

P. Ber Stephonius in Mimo. ac. 2. ſc. 1.

Benci, ſeu libeat pugnacis fulmina linguę
Vibrare in ſontes, tonitruque arcere nocentes:
Seu liquido curſu, puroque ſimillimus amni
Verba per vmbroſa malis deuoluere ripas,
Et victura ſuis inſcribere nomina plantis:
Seu iuuat argutas in modum cogere voces,
Et totum Aonio carmen deducere cliuo;
Nil ęquale tibi eſt: Romę ſtupet inſcia pubes,
Dum belle cadit in numeros, librataque raſis
Ludit in antithetis ęquo ſententia gyro,
Et noua ſuſpendit dubias facundia mentes:
Iuraturque palam, non olim dignius vnquam
Romana proceres cum maieſtate locutos.

P. Fam. Strada l. 2. prol. 2.

. . . . Pius ore poteſt turgere diſerto,
Et ſuperare Tigris, vel Hydaſpis flumina curſu.
Vox olli dulcis, ſed amoris plena ſeueri,
Flexa, poplita, rapax animorum, florida, culta,
Leniter imperioſa, potens, librataque mente

Pon-

Pondere conſilij vibrata, opulentaque, victrix,
Libera, fuſa, tonans, frenis, ſed ducta pudoris,
Vndans aggeribus, quos ſola modeſtia pandit,
Egregijs dictis animoſa, inuictaque ſemper
Qua Romana fides, Deus ipſe è rupe latina
In populos fundet diuinæ oracula vocis,
Atque animos fluido rapiet ſermone volutos:
P.Car.de Lucal.22.Dom.Laur.

Poeſis.

NAm quia fœcundat præcordia luce marita
Numinis vbertas, arcani fœtus amoris,
Editur æthereo primæua Poetica partu,
Pectoris interpres felicis, lingua leporum,
Viuida vis mentis, decorum natiua venuſtas,
Ingenij ſpecimen, ſermonum gratia viuax,
Lætitiæ facunda ſoror, cœleſtis origo.
At Genitrix vt me peperit diuina voluptas,
Gaudia ſic ſemper mihi ſunt ex indole matris.
Et quo me genitrix effudit tempore primum,
Continuò ſermonis opes, virtutis honeſtas,
Et placidi ſenſus, & donum fertile mentis,
Eloquij mihi cultus honos, & copia diues
Carminis, & cytharæ leges, lituique, tubæque,
Tibiaque, atque chelys, proles numeroſa modorum.
P.Bern.Stephonius car.8.

Me certè tua Muſa tui dulcedine cantus
Abripit, & memorem non ſinit eſſe mei.
Siue iubes in Threijcium capere arma Tyrannum,
Pænè minax digitis ſumitur haſta meis.
Siue ſuper nubes ſublimis, & æthera tendis.
Ipſe leui videor nube repente vehi.
Siue per Auſonios ſpatiaris lauriger hortos,
Me Floræ, & Zephyri regna ſubire puto.
Seu mœrente canis teſtudine flebile carmen,
Palleo, nec fletu lumina noſtra carent.
Seu triſtes hilari ſolaris pectine curas,
Defluit ex animo cura, dolorque meo.
Siue pios caſtę ſuſpiras mentis amores,
Vrimur: ardentes ſunt tuà verba faces.
Denique me formas ſubitò conuertit in omnes
Qualiſcunque operis pagina lecta tui.
Hoc eſt & volucres cantu, fluuioſque morari,
Hoc eſt aerea ducere ſaxa via.
Hoc eſt fulmineas auferre leonibus iras,
Hoc agnis rabidos conciliare lupos.
P.Sidron.Hoſchius l.3.el.9.

O quæ perenni Pieri carmine
Stellata mundi mœnia temperat,
Igneſque viuaces, & aulam
Cantibus æthereum remulces.
Seu tu ſupremo proxima Numini

Inuen-

Inuenta rerum ſemina perſonas:
Seu iura, ſeu formas canendi
Differis ordinibus beatis.
Tu ſiue cœli fræna fragoribus
Imponis, orbes ſeu ſuperos melos
Vocale, ſeu certa fluentes
Lege doces reparare curſus.
Leni volatu te Sapientia,
Caſto voluptas te ſequitur pede,
Decorque mollis, floreiſque
Gratia nexa caput corollis.
Te ſepta multis gloria honoribus
Et iuncta famæ candida veritas
Stipant frequentes, atque limbo
Sanctus amor properat ſoluto.
Tibi parentis munere eburneus,
Aurita doctus ducere marmora,
Ceſſere pecten, tibiæque,
Et fidibus reſonare ſeptem.
Teſtudo modis: ſeu placeat pede
Per dithyrambos ludere libero;
Seu concinis certo recurſu
Docta modos leuiore plectro.
Seu ſemper iiſdem voluere legibus
Decreta mauis carmina: verticem
Attollis, indignata terras
Nomine non tumefacta vano.
Incluſa nullis limitibus vaga
Diuinus erras quà trahit impetus;
Tuoſque definire campos
Quis velit, aut poſuiſſe metas?

P. Odo de Comitibus in Cat. Miſcell.

Nam qualis, quantuſque lepos! quæ carminis illi
Gratia, quo cultu, quo non ſplendore nitescit!
Seu numeros ſpectes, numeriſque cadentia verba;
Seu iuuet ambobus clauſos expendere ſenſus,
Nil ſcabrum, incomptumque vides, genioue coacto
Pinguius expreſſum; ſed lene, ac ſponte profuſum.
Vt fons ingenuus nitidis euoluitur vndis
Nec tamen interea nimium deiectus, humumque
Propter, agens ſe ſe penna languente recumbit;
Aut contra elatus ſemper, tumiduſque per æthram
Tollitur; aſt vtrinque timens offendere, curſum
Temperat artifici cura: quam rarus in omnem
Explicuit partem iuſto moderamine librans
Quid deceat, recti prudenſque quid exigat vſus.

Dion. Petauius in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Grammaticæ doctor, ſeu Gymnaſiarcha.

Rector iuuentę, ductor efferæ gentis,
Scientiarum multiformium doctor,

V Et

Et arbiter perite diſciplinarum
Potens docendi, quum docentis ex ore
Ignara pendet palpitantium turba.
Quis hic ſerenæ pulpitum quatit famæ
Nouus Palæmon? porticuſque doctorum
Et perſtrepenres maximi lares Phœbi
Redonat orbi? quis pueritiæ primos
Caſtigat annos? patriæ renaſcentis
Perenne germen, ſpemque gentis inuictæ
Sub iura cogit, & rebellis orcheſtræ
Retundit auſus? tu ſcholaſticum Belgis
Regnum reformans, ſceptra pædagogorum,
Trepidoſque faſces, & tribunal auguſtum,
Totumque cœtus litterarij circum
Legum cataſtis, vinculiſque conſtringis.
Hic ſparſa latè regna Grammatiſtarum
Arctas ephæbis; dogmatumque congeſtos
Purgas aceruos. hic nepotibus diram
Ferocientis Orbili dicam ſcribis:
Coryliſque lentis, frondibuſque nodoſis
Præfers minacis acre iurgium frontis.
Hic Tulliaſtros verba more mendici
Ferruminantes, ſordiumque priſcarum
Quaſi oſtiatim luridos petitores,
Reos laceſſis: hic rudes ſolæciſmos,
Feceſque Euandri, Rhetorumque tot morbos
Arces Lycæis, puriorque præfaris.

Gaſp. Barlæus Miſcell. l. 2.

Ars ſcribendi.

QVisquis erat, meruit ſenij tranſcendere metas,
Et fati neſcire modum, qui myſtica primus
Senſa animi magicis docuit ſignare figuris,
Et captiua nouis concludere verba tabellis.
Obſtupuere rudes animæ commercia linguæ
Abſentes agitare viros, mentiſque patere
Arcanas ſine voce fibras interprete penna.
Candida perplexis diſtinguitur area ſulcis,
Et niueos atro tractus ſignante veneno:
Vomer arat, raptus volucri, quæ prodere rupem
Abnuit enixis cliui in faſtigia Gallis.
Ligna æquata dabant primis conatibus aruum,
Tum Nili contexta biblos, mox pergama pelles
Detraxere boum natis, & pumice ſcabro
Expoliere ſuperficiem ſcribentis in vſum,
Denique quæ noſtris maioribus addita laus eſt
Linea contexta eſt nullo ſubtegmine tela,
Exuperans candore niues, ætate metalla.
Aſpice nunc viles ortus: non mollia Seres
Fila dedere operi, non vellera portitor Helles,
Linteola è triu js trita, & ſudore peruſta

Ma-

Maxillis contuſa molæ (mirabile) cernas
Iura Modeſtini, Sophocliſue ediſcere verſus.

Apud P. Laur. le Brun. l. 1. El. Poet.

Scriptor velociſſimus.

PVer notarum præpetum
Solers miniſter aduola,
Bipatens pugillar expedi.
Euoluo libros vberes,
Inſtarque denſæ grandinis,
Torrente lingua perſtrepo.
Tibi nec aures ambigunt,
Nec aucupatur pagina,
Et mota parce dextera
Volat per æquor cereum.
Cùm maximè, nunc proloquor,
Circum loquentis ambitu,
Tu ſenſa noſtri pectoris
Vix dicta iam ceris tenes.
Sentire iam velox mihi
Vellem dediſſet mens meas,
Quam præpetis dextræ fuga
Tu me loquentem præuenis.
Quis, quæſo, quis me prodidit,
Quis iſta iam dixit tibi?
Quæ cogitabam dicere
Quæ furta corde in intimo
Exercet ales dextera?

Auſonius Epigr. 125.

Ars Typographica.

DEerat adhuc, quàm nulla ſatis mirabitur ætas,
Ars cœlo delapſa viris, conſumere nata
Materiem, veloxque omnes tranſcribere libros,
Compoſitis quadrata acie miro ordine ſignis.
Nullus apex iuſſo diſcedit limite, nulli
Inter opus ceſſare datur, feruentque maniplis
Caſtra ſuis, foſſa ferratoque aggere clauſa
Muta cohors primum, mox ſuccis ora diſertis
Illita palladijs prælumque manumque fatigat.
Nam cogunt tormenta loqui, tandemque fatentur
Depoſitum, redduntque datas ſine crimine voces.
Abſque mora canit arma virum charta ebria lymphis
Caſtalidum, citius referens ſexcenta Maronis
Carmina, quam celeri ſcriptoris arundine verbum
Expedias, longeque operis ſtat gratia maior.

Ex P. Laur. le Brun, to. 1 El. Poet.

...... Quadratis indita clathris
Subſtratum dorſo marmor premit ænea ſculptis
Forma ſibi connexa notis, & parte reclinis
Quà legitur, vi multa, hinc illinc, terque, quaterque

Deſuper impacti teritur fuligine ſucci.
Candida mox tactu furuum tactura liquorem,
Iniicitur madefacta, & pondere preſſa ſuperno,
Dum rediens in ſe prelum gemit, ecce ſub auras
Emicat vda, recens, fucoque imbuta tenaci
Charta refert hauſtas bibula compage figuras:
Nec mora: vix ſudos excepit pendula ventos,
Inde volat populos longè viſura, ſibique
Vndique plauſuræ totum meritura per orbem
Pagina iudicium turbe. non altera cultu
Conſpicienda pari, vel caſtigatior vſquam
Prodijt, æthereas ex quo delapſa per auras
Sermones hominum volucres, ſenſuſque fugaces
Ære laboratis fixo incidere formis
Ars docuit.

Ex P. Laur. le Brun. loc. cit.

Pro foribus tota ex auro micat interraſo
Bractea, literulaſque ſuper ſine lege vagantes
Plurima gemma facit: ſed non diſtinguitur ordo,
Nec certi quidquam ſocialia grammata formant,
Nec coeunt in verba notæ, ſenſumque colorant,
Confuſique characteres lectoribus obſtant.
Nec ſperare licet, niſi Dia Pronoea figuras
Componat, relegatque typos, diſperſaque cogat
Symbola, & in verſum, quæ ſit ſententia monſtret
Sic manus artificis ſolers, quem plurima, ſecto
Teſſerulis pluteo, circumſtat littera certis
Sparſa locis elementa legit, commiſſaque conflat
Nomina, perpetuum victuris nomina chartis.

P. Vinc. Guiniſius car. 12.

Succede monumenta fabricantem ſæculis
In officinam, ſcrinijque aheneum
Populum tuetor incolam abecedarij,
In arcula frequente ſtationarium:
Populum ſupino capite geſtantem notas
Impare figura, more non item pari,
Longas, rotundas, maximas, minuſculas,
Faciles prehenſu, mutuòque nexiles,
Verba vnde coalent, ſicut elementis ſuis.
Viden' vt tabellis curioſus incubat
Styloque quantum eſt exaratum, ſublegit
Prædone ocello Dædalus, & in ſcrinio
Simulacra ſcriptis conſpicatus æmula,
Vibrat micantem in furta ſubſultim manum,
Scrinique viduat ære locupletes ſinus,
Creber rapinas reciprocans hinc modò, modò hinc,
Æra ordinata, vt quidquid in tabulis iacet,
Referant, capacis laminæ in gremio locat,
Verſis apicibus litteratis ad polum,
Facieque diſpoſta ordine obliquo, vt latus
Quod eſt ſiniſtrum ferianti adhuc typo,
Sit nigricanti per papyros dexterum;
Spatiiſque verba ſeparat vacantibus,

Paſſim

Paſſim repandas commatum addens caudulas,
Accentuumque lineas paſſim breues,
Et cuſpidatim puncta ſe anguſtantia.
Tum coniugatis laminam typis grauem
In fragmen abiegnum exonerat, ac denuò
Semper characterum in coagmenta impiger,
Onerat, & exonerat cauam ęris baiulam,
Serieque deinceps copulat Seriem pari,
Quantum papyri capiet ęquor candidum
In quadrum, & inuicem opprimens contermina
Metalla, denſæ ſegeris in morem, dato
Circùm, ne aberrent, vincta cohibet ſtamine.
Mox literariam cateruam prouidus,
Quaſi gemebundam, ni careret ſenſibus,
Ad torculi tormenta poſcit: & prius
Clathri ſupinat ambitu coercitam
Quaterni, adactis cochleatim ferreis
Obicibus in gyrum, velut Marpeſia
Cautes, parato ne recedat è loco:
Et læuigato collocans in marmore,
Ne fundus aſper tubere faciat typos
Supernè inæquales, opuſque aberceat;
Magiſque adæquans aſſere illiſo ſuper,
Proludit imminenti atroci è torculo
Preſſuræ, at alter cum manubrijs duos
Dextra, & ſiniſtra ſtringit vtriculos, probè
Pexo, & repexo turgidos villo, quibus
Illeuit vdę guttulas fuliginis,
Ventremque ventre ſordidato confricans
Pernice ductu, fuſilem vmbram vt perſpicit
Æque propagatam, inſilit grauis in typos
Calcator, atque itinere replicato celer
Perſultat, vtilique tabo perlinit.
Alius amictam pelle ouina, laneis
Et inuolucris mollicellam, ad intima
Spatia feneſtellam, atque acernis aſſulis
Circùm coactam, roſcidis aſpergine
Leui papyris, & gemella cuſpide
Hinc inde fixi, veſtit infernè, & ſuper
Dant protegentem ſubditas indebito à
Tinctu papyros lamnulam per margines
Perque media ſpatia intus, ac ſuperiacit
Flexibilem eandem laminam lęui petræ
Typis onuſtæ, trochleiſque promouet
Breui meatu per cubile ligneum
Ad præla pulſus præſtolantia ſtrenuos,
Pulchris ſtatuminata circum hærentibus,
Hiulca tortu ne frequentato labent.
Tum vecte fretus torculum ad medium ſito,
(Vno ex vetuſtę brachijs quercus,) trahit
Vectem bis ad ſe ſemiuertigine alacer,
Pellique ouinæ, ſubditiſque litteris,
Chartæque mediæ penſilem his imprimit

Ære capitatam parte molem in infima
Per tortuoſas deflua cochlea ſtrias,
Atque inter æris baſium, & pellis fugax,
Dicto ocyus perſcribit in folijs, manus
Quod graphica longas ſcribere nequit per moras.
P. Hipp. Graſſetus Epig. 159.

ARS MEDENDI.

Homo arte Medica inſignis.

. . . . medicas hinc ocyus artes
Et ſenioris opem Synali vocat: vngere vulnus
Herbarum hic ſuccis, ferrumque è vulnere cantu
Exigere, & ſomnum tutò miſiſſe chelydro,
Ante ibat cunctos, nomenque erat inde per vrbes
Perque Parethoniæ celebratum littora Syrtis.
Silius Italicus l. 5.

Illi cana fide, illi ſapientia cordi,
Quæque laborantes ars Patarea lenat.
Nouerat & calidas è corpore ducere peſtes,
Nouerat & quicquid febris iniqua mouet.
Quid vehat Autumnus, quid plumbeus afferat Auſter
Quid parili noceat libra inimica die.
Quæ male compoſitas iubeant decurrere venas
Sidera, quæ iubeant ſigna ſiniſtra neces.
P. Tarq. Gallutius l. 2. el. 22.

Mari ſeueram ſæpe Proſerpinam,
Clotonque ludis doctus Apolline;
Et igneam defendis ægris
Auxilio potiore febrem.
Vitæ reſeruans: ingluuiem & famem
Fruſtratus Orci corpora deripis;
Quæ deſtinarat furua nigris
Manibus, & Libytina Diti.
Fruſtra laborat Mercurius gregi
Compellere atro, quem bonus expedi
Per damna fati; nec ſororum
Fila citò pateris recidi;
Faſtidioſo pone ſedes toro,
Nec tu recedis ſedulus Heſpero
ſurgente, & aſtris; meque longas
Aduigilas pereunte noctes:
Edura fortis fata refringere,
Vt docta callens iura Machaonis;
Arteſque iubeas ſalubri
Conſilio carus elaboras.
Arcana miſcens pocula nectaris
Succo imbuendo; ducere nec piget
Ingrata ſucci, te iubente, in-
Grata aloes, & amara myrrhæ.
Nec ſi ſodalem Naiadis integræ

Cra-

Cratera poſcam, tu dare deneges
 Venaſque anhelas æſtuoſum
 Et iecur egelida remulcens.
P. Io: B. Maſculus l. 1. Ode 38.

Ille & amiſſas reparare vires
Certus, & cura metuente falli,
Atque inæquales reperire docto
 Pollice venas:
Pallidæ rurſum roſeum colorem
Illinet fronti benè, temperabit
Æſtuans pectus medico remiſcens
 Pocula ſucco.
Ille placabit panace, pijſque
Artifex herbis rabidos dolores,
Cum recrudeſcit, metuitque tangi
 Vulnus acerbum.
Egredi ferro reſerante plagis
Vita quid fruſtra fugitiua tentas?
Vulnerum Bodi manus en cruenta
 Oſtia claudit.
Interim Bodi caue ne quid in te
Peccet Auguſti rabies leonis;
Ne quid obliquo metuendus ardens
 Scorpius ictu.
Nam tibi regni ſtygij tyrannus
Ardet irarum ferus, & tyranno
Sæuior coniux, animoque celat
 Triſte venenum.
Dum frequens Orci populos recenſens,
Cernit vmbrarum populum minorem
Per tuas artes, vacuaque triſtis
 Regnat in aula.
P. Gilb. Ionninus l. 3. Ode 12.

Medicina morbo adhibita.

SI qua ſalutifero gemini Chironis in antro
Herba, tholo quocunque tibi Troiana recondit
Pergamus, aut medicis felix Epidaurus arenis
Educat, Idæa profert quam Creta ſub vmbra
Dictamni florentis opem, quoque anguis abundat
Spumatu; iungam ipſe manus, atque omne benignè
Virus odoriferis Arabum quod doctus in aruis
Aut Amphryſiaco paſtor de gramine carpſi.
Statius l. 1. ſil. in Soter.

Eſt aliquid mollem erucam, & plantaginis herbam,
Cumque ſuis auulſe ſolo radicibus Irim,
Caulemque, & viuax adiantum, & flaua lupini
Semina, pollentemque veneficijs capitificum.
Eſt & amygdalino dulcem de germine glandem,
Et lentem, & baccis lentiſcum excuſſe caducis,
Et quotquot quæcunque tulit ficulnea fœtus
Legiſſe, & longam ſolis decoxe per æſtum.

Cùmque virens latum cucumis turgeſcit in orbem,
Illius è ſulco ſtirpem detraxe profundo
Nec nihil eſt quæſiſſe fauos florentis Himetti,
Oſtreaque, & purum laticem flauentis Iacchi.
P.Conſt.Pulchatellus l.1.car.12.

Medicamenta varia.

.... conteritur, propinaturque corallum.
Poſt Aſini auriculas, longumque hoc mobile ſanguis
Elicitur. bibiturque auidè. nec non aquà paſtæ
Anguillæ colubri mechæ: & cum ſpermate ceti
Lampyridum expreſſus nitida putredine ſuccus
Non mihi ſi linguæ centum, præcepta medendi
Enumerare queam, lentoque dolore necandi,
Quæ Phalarim ſcripſiſſe putes, dictaſſe Perillum,
Puluis Trithemij, & bufonum, ſalque lacertæ:
Miſtaque ranarum putrefactis viſcera coruis.
Ichneumon pharius coquitur: ſtomacoque miniſtrant
Arida tartareas purgando dolia cruſtas. *Et inf.*
Trade palimpſeſtum videam commiſſa fideli
Membranę, fontem pulſura piacula morbum.
Angelicus puluis cum puluere præcipitato
Sumatur. miſce guttas ardentis aquæ ſex.
Addatur lento ſtillans calchantus ab igne;
Camphora ad hæc, moruſque rubeus, & aquatica lotos,
Seminaque vrticæ & maluis colophonia miſta:
Agnus item caſtus, vinoque Chamædrios albo
Incoctum germen: tum mala cydonia tincta:
Pulmoneſque leuans tabeſcentes tamariſcus.
Inijce nitrati glubulos ſalis, adijce mentham,
Et cum mandragora ſiliquaſtrum pæoniæque
Radicem, ac nymphęa marina, opiumque ſoporans,
Hiſſopumque, aloeque, & coniferam terebynthum,
Læticiæque crocum per mollia fila fluentis
Cumque ebuli baccis colocaſia, cumque caprina
Barba, tres Veneris dilutos rore capillos.
P.Iac.Balde Sat.3 & 13.

Corpus humanum anathomicè ſectum.

Aſpice, qui temet neſcis, ferale cadauer,
Nexaque centenis oſſibus oſſa ſtupe.
Illa tuæ ſunt fulcra domus, tabulata, trabeſque,
Hæc ſunt ingenij ſtamina dura tui.
Exuuiæ, tantæque rigent velamina molis:
Et quæ cuncta tegit molliter oſſa, cutis.
Carnea compages ſequitur, motuſque magiſter
Muſculus, & facili pondera lege mouet.
Currunt innumeris venarum flumina riuis,
Et membris præbent pabula læta ſuis.
Viſcera viſceribus famulantur, & ordine pulchro
Officium varia quodlibet arte facit.
Summa tenet ratio tunicis ſecura cerebri,
Et quia ſideribus proxima, ſola capit,

Pal-

Palpitat æterno cor implacabile motu,
Et media prudens ſe regione locat.
Eſt quæ bile tumet ſtatio, quæ nutrit amores,
Eſt vbi ren ſalſas eiaculatur aquas.
Singula miramur, ſtomachi, lecoriſque labores,
Et diſtincta ſuis viſcera mille locis.

Gaſp. Barlaus Eleg. l. 3.

Muſica, ſiue Cantus emodulatus.

CVm ſubitò erumpunt voces totiſque canentum
Ordinibus lætum modulatur pugna canorem.
Dant cœlo ingentes ſonitus animoſa tubarum
Æra procul: reſonat feſtis clangoribus æther.
Parte alia coeunt cytharæ, & vocalis arundo,
Et cœleſte melos neruorum, & flabile vulgus
Dulciſonum lituorum, & filia ſonantia plectro.
Dulcia flexiuagos numerant diſcrimina cantus
Per varios fugitiua modos, fremit ordine concors
Diſſidium vocum, & fidium numeroſa propago.

P. Conſt. Pulcharellus l. 4. car. 3.

Stant Superi aerijs in puppibus, & noua ſemper
Fœdera concentu variant; paſſimque loquaces
Conſpirant auræ in numerum, nec dulce remittunt
Diſſidium vocale ebur, & ſpirabile carmen
Dulciſonum lituorum, ſuaue trementia vocum
Ludicra, neruorumque, & mille fugacibus inter
Valla modis iterata, & fila loquentia plectro.

Idem car. 6.

Aligeri in numerum conſpirant: carmina neruis
Confundunt reſonis, ſibi Dœdalus, Icarus errat
Lubrica vox, ſimilemque viam fugitiua recurrit,
Et redit, & rurſus ſe dulci errore requirit,
Argutis emiſſa vijs: aſſurgit in altum.
Mox deprenſa: hæret ſuſpenſa: repullulat; vndat
Fracta, refracta, gemens, iucunda, vibrata, voluta,
Præcipiti reuocata fuga; exultatque, volatque
Non eadem, rurſuſque eadem, diſcrimine creſcens
Multiplici Diui Aligeris ſua gaudia miſcent
Obuia ſollicitant citharas, animantque loquaces,
Conciliantque ſonos iucundo fœdere voci.

P. Car. de Luca l. 25. Dom. Laur.

Vide ſupra Tit. Luſcinia canens.

Cytharœdus pulſans fides.

PRincipio ergo chelyn ſtringens læua inter, & vlnam,
Siluoſum clauis ſubter Plautillus acernis,
Mobilibuſque leui vertigine, ſtrideat exlex
Ne quid, init læua capus, innexaſque coactu
Extendit tortore fides, dextroque flagellat
Pollice ad arbitrium auriculæ explorantis, vt artis
Ritè rudimentum fidium concordia ponat.

Vt dociles mulcere audit parili aera cantu
Colla chelys fidicen, quibus ex ebeno, aut elephanto
Mixtum emblema nitet; ſuffulcit pollice læuæ
Suppoſito reliquoſque per interualla propagat
Tranſuerſis digitos neruis diſtincta, fatigans
Mille per errores, infra, ad mediumque, ſupraque:
Deductos modò diſſociat: modò lege maritat
Inſtabili: nunc obliquat: modò porrigit: aptat
Mox ſcalæ inflexum: modò reprenditque, fugatque:
Nunc reſides hærere iubet, vel ſponte trementes
Apprimier chordis, quaſi vel diſcerpere chordas,
Incurisque ciere nothis in fœdera eaſdem
Attentæ placitura auri: nunc applicat aut tres,
Aut geminos, cunctoſue erraticus haud reus vnquam
Errati, legis cuſtos, dum lege videtur
Extorris, nouæ adhuc artis quæſitor in arte,
In nouum vt erudiat fila icta coire canorem.
Interea dum læua melos regit vna ſuperne,
Infernè expediens enodem in verbera dextram,
Ad numerum chordas ſcandente reciprocus vngui,
Et recidente ſcabit crudumque choreuma ſub aura,
Seu contemptor agit mox ſe in meliora laceſſens
Orſa, placere ſagax, ſubducto pollice raſor
Chordat omnem exterget reliquis; queis pollicis vſum
Ponè iugat, rapiduſque iterum extergetque, iugatque,
Atque iterum, veluti violentus ab æthere vortex:
Tortillibuſque rotas modulis imitatur euntes
Aut glomus in tumidum textricem fila plicantem
Vſque adeò in ſpiras replicat dextramque, ſonumque
Præcipites: quas dum digiti variabilis error
In diuerſa rapit, digitos cunctator inertes
Interdum ſimulans, vix neruo è deſide murmur
Elingue exſculpit: mox affectata peroſus
Otia, ſeque ſibi reddens, miracla per omnem
Diſpenſat chordam, ſonitum criſpare fluoris
In morem æquorei, citharamque referre loquacem
Callidus, armataſque vocantia claſſica turmas:
Nunc geniale ſonans, nunc illætabile; mulcet,
Aſperat, in bibulas Protheus reſonabilis aures
Impartiri animam neruis operoſus acutis;
Inque vicem grauibus, quos pollice, & indice crebrè
Vellicat, aut reliquis carptu conſorte proteruis:
Mox interciſo reptans per fila tenore,
Pſalteri aerijs vt inerrat pſaltria chordis,
Conſpirat melicæ cumulare choragia pompæ.
Sepoſitam interdum rudis vt tyrunculus artem
Scitè expiſcatur: mox emicat artis apertum
In ſpecimen, digitiſque natatile fila per æqua
Lubricus ornat iter, titubat, frigutit, aberrat,
Falſificos melius iuuet vt fallacia ductus:
Titillat leuius: lædit violentius: ictum
Suſpendit dextræ, irritans in fila ſiniſtram,
Quæ moduli in cumulum, mordaci conſonat vngue:

Mox-

Mox dextra rurſum inſultat, ventrique cupreſſino
Illidens digitum, reſonam in compendia mixti
Concentus alterno adigit conamine plagam:
Explicat è neruis diſcrimina mille nouenis,
Dædalus in neruos queis tantum interplicat ingeni,
Extremæ vt vocis naſci vel neſciat Echo
Filia vel trunco ſe turbida promat abortu.

P. Hipp. Graſſetus Epigr. 17.

Luſciniæ cum citharœdo certamen muſicum. *Vide Tit. Luſcinia canens.*

Organum.

ET qui magna leui detrudens murmura tractu
Innumeras voces ſegetis moderatur ahenæ,
Intonat erranti digito, penituſque trabali
Vecte laborantes in carmina concitat vndas.

Claudianus de Conſ. Manl.

Sic vbi mobilibus digitis decurſa tuborum
Multifora reſonat ſerie concordia diſcors;
Diſpare cui canna decreſcit aheneus ordo
Vſque minor: cui follis hiat, cui pulſa ſonoris
Aura foraminibus, varijs allabitur aures
Vocibus; at vocum variarum eſt vna voluptas:
Vna manus calamos æris percurrit hiantis,
Vnum emiſſa ciet concors diſcordia motum.

P. Ber. Stephonius car. 11.

Sic vbi non vno variatur carmen hiatu,
Diſparibuſque tubis vbi diſpar conſiſtit ordo
Æneus, & docta vocem diſcriminat arte,
Vnum cuncta canunt, vnum vis muſica concors
Voce ſub innumera, tubulis ſub pluribus; æra
Præpetibus digitis vnum decurſa loquuntur.

P. Tarq. Gallutius l. 1. car. 8.

Ac veluti (ſi parua licet componere magnis)
Cum numeroſa ſonat dicto ſub pollice ſyrinx,
A tergo famuli folles tolluntque ſub auras,
Alternisque premunt; immiſſus voluitur aer
Tranſtra per & forulos, ſpatijſque elapſus iniquis,
Diſparibus vocem calamis, animamque miniſtrat.
Sibilus argutum garrit, tuba clangit acutum,
Mollior immemores rapit ærea fiſtula ſenſus:
Tardior inceſſu Diuum per recta remugit
Bombus, & admixta modulos grauitate minores
Suſtinet, alloquitur vocum concordia diſcors.

P. Car. Malapertius in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Organum hydraulicum.

EN tibi diſparibus decreſcit ahenea centum
Machina arundinibus, doctis diſcreta cicutis
Numinis Arcadiæ, & numeros tentare laborat.
Nec manus artificis (quod mirum) certa citari

Mobilitate modi ſyſtemata nota retentat.
Interualla tubis diſcreta ſonantibus vndæ
Lapſu limpha ſequax irritat, pollice nullo,
Ingenio nullo, præterquam fluminis ictu
Inſpirare ratas hydraulica iuſſa camenas.
P. Bern. Stephonius car. 9.

Defluit occultis inducta canalibus vnda,
Stridenteſque Euros, calamoque incluſa trabali
Flamina pellit agens; animæ luctantur ouantes,
Ductilis ac tenues quà pandit fiſtula portas,
Cum fremitu erumpunt, foribuſque elapſa canoris
Innumeræ circum variant diſcrimina vocis,
Imparibus ſonat ecce tubis, & machina cantus
Vocalis geminat, nulloque coercita tactu,
Pinus tamen queritur digitos volitare latentes,
Concentuſque vrgere nouos, auramque ſonantem.
P. Alex. Donatus l. 2. car. 6.

Luctantes compelle animas ad munera cantus,
Aeris, & arguti fictula curua ſonet.
Stat retro, & tereti veſtitur machina plumbo,
Subter phębeo condita monte latet.
Certatim hic alis pubes operata laboret,
Pennatas agitans officioſa manus.
Flumineo lymphas pars deuoret ore miniſtras:
Præcipites lapſo pars agat amne rotas.
Hic validas calamis animas inſpiret ahenis,
Carmen inoffenſis temperet ille modis.
Rumpe moram Cuſtos validique repagula poſtis,
Libera captiuas efferat aura minas.
Diluuio ingenti ſe ferreus orbis in orbem
Vertat, & obſcuri laxet inane ſinus.
Et iam porta datur zephyris patefacta canoris,
Immiſſoſque Euros ſpirat ahena ſeges.
Et calami inflato magis intumuere metallo,
Rimoſoſque latens proſilit ore fremor,
Garrula nunc reddit, nunc fiſtula colligit auras
Subter conuerſis clauſa, recluſa rotis.
Sic modulaturo vocum diſcrimina plumbo
Fiſtilis imparibus miſcet arundo modis.
P. Alex. Donatus l. 3. in Tuſcul. Aldobr.

Architectura.

Vide ſupra Tit. Domus, Templum.

Turris Babylonica ædificatio.

EXciſas humeris alij ſudantibus ornos,
Arſuraque vehunt grandia tigna cedros.
Fornaces animant, alij, ſolidoſque refoſſum
In lateres formant igne coquente lutum.

Pars

Pars legit eiectam vicino è littore naphtam,
Et non inuenta calce bitumen amat.
Fundamenta locant alij; terræque cauatos
Murata certant mole replere ſinus,
Iamque ſolo extabant poſitæ veſtigia turris,
Et populi concors ibat in aſtra labor.
Monſtrabant ſtabiles extructa cubilia cellas,
Monſtrabat validas plurima porta feras.
Grandia munibat ſolidus laquearia fornix,
Laxabant vacuos atria vaſta lares.
His ſuper incubuit domus altera, & altera rurſum,
Et ſuper his aliæ rurſum, aliæque domus.
Porticus accliui circumdabat extima gyro,
Et labyrintheo ſemita flexa gradu.
Vna videbatur conſurgere turris: at vna
Hoſpitium turris totius orbis erat.
Tot vici, & plateæ: medijs tot in ædibus aulæ;
Tot fora, tot cameræ, compita, clauſtra, viæ.
Ima penetrabat lethæas vſque cauernas:
Tranſijt aerias fabrica ſumma plagas.
Sed neque finis adhuc, ſtadijs excreuerat octo
Montibus aggeſtis ſuſpiciendus apex.
Terraque iam nimia perterrita mole gemebat,
Atque humeris impar defugiebat onus.
In lateres defecit humus tamen altius omnes,
Aſtra licet tenuant, altius ire parant,

P. Iac. Bidermanus l. 2 Hero. ep. 5.

.... Nam poſtquam naufraga gentem
Sacrilegam tellus fatalibus obruit vndis;
Hi veriti ſeros eadem ne fata nepotes
Excidio premerent, atque eluuione ſecunda
Subruerent vrbes; immani culmine turrim
Ædificant. rupeſque intrò, monteſque receptant,
Circuitu quantum Babylonia mœnia poſſent
Olim aptare ſibi. mox vſque in nubila ſaxis
Impoſitis fecere viam; cœloque minari
Vicinas afferre manus ſublime cacumen
Imbribus intactum, & nullis ſuperabile ventis
Eſſe rati; riiere minas, iraſque triſulci
Fulminis, & faſtu ſtolido ſpreuere Tonantem.
Vidit vana pium faſtigia creſcere Numen,
Iamque adeò montes, iamque ipſas tangere nubes,
Tramabitur etiam; niſi cœpta ſuperba potenti
Diſturbata manu, porrò altius ire vetaret.
Altius ire vetat.

Idem l. 3. Heroid. num 21.

Porticus quadripartita Salomonis.

QVinquaginta altum cubitos aſſurgit in auras
Molis opus, cœloque duplex ſe fabrica tollit.

Impo-

Impoſitamque gerit ſibi porticus ima ſecunda
Arte parem, muro tamen exteriore carentem:
At fultam inſigni podio, ſtructamque columnis
Quatuor aſcenſum quadriporticus ima ſub altam
Dat cochleis, quadruplex geminos quà cogit in vnum
Angulus, & pulchro decorat diſcrimine muro.
Triginta cubitis attollitur infima ſummæ
(Nam ſua contractæ per decrementa columnæ)
Exactam octodecim cubiti dant tecta per artem.
Stat ſolido exterior muro qua deſpicit vrbem
Porticus ima per omne latus, laquearis ad imi
Vſque trabes, ſculptamque cedrum: ſuffulta columnis
Qua videt Iſacidum thalamos, & limina templi
Interior, patet in faciles nihil abdita viſus.
Quam firmum in podio columen, quantumque repoſtis
Cum ſpecie ſimul in podio munimen in antis?
Quanta decuſſatis cancella in clathra feneſtris
Gratia; per muri latus omne, paraſtadas inter
Internique operis medias hinc inde columnas:
Splendida qui nexis honor in ſpecularia rhombis.
Qui numerus, quæ craſſities, quæ forma columnis,
Quod celſa cum mole decus, qui marmore candor!
Vincit ebur, certatque niui. ſtant ordine centum
Triplice, quinque ſuper ſexagintaque, per omnes
In quadrum Xiſti facies; & quæque propinquis
Biſſenum ſpatio cubitum diſiuncta columnis.
Diſſidet. in quantos tendit ſe fabrica tractus:
Tanta vel auguſtam complexu includeret vrbem.
Stylobatas quini, ſcapumque, caputque columnæ
Viceni attollunt cubiti: trabeatio quinis;
Totaque ter denis ſe ſurrigit ardua moles.
Craſſities ea per quaſuis, quam ſena virorum
Brachia vix nitente ſinu complexa coercent;
Non Capitolino viſæ tot ſurgere templo;
Non Latium cinxiſſe forum; non Thracia Martis
Tot ſtetit, æthereum non regia ſolis ad axem.
Par numero decus; auguſtæ procera figuræ
Maieſtas; caput explicitis frondeſcit achantis,
Aut rigidis palmæ foliis, apicemque repandis,
Paſſa per inflexas imitatur lilia frondes
Qualis epiſtylio grauitas, quos pandit honores
Zophorus, extremâ quàm rara coronide fulget,
Quæque Corinthiacæ per ſingula gloria formæ.
P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Columna area.

DÆ Salomonis opus, meritum dare frœna furenti
Oceano, metas orbi: ſtructiſque tumentem
Molibus, in condicta vocans certamina Memphim
Stat ſolidâ moles plintho, cubitiſque ſub auras
Ardua ter denis vnum ſuperaddit, & alti
Verticis auguſtam cubito ſupereminet ædem.

Sex cubitos capit amplexu: caua corpus ab ima
Quatuor in digitos ſat habet craſſeſcere plintho:
Quintus at his ſolido digitus ſuperincubat auro,
Vt plinthus ſedet in quadrum, inſanæque ſuperbum
Molis opus duplicis palmi fundamine firmat?
Vt gyrat torus hic geminus, fictiſque leonum
Rictibus ambigua ſpecie blanditur, & horret?
Vt certam duplex operi dat regula normam
Seiunctis coniuncta toris, ſibi diſſita longè
Aſtragaloſque ſupercilium, trochiloſque remotis
Secretos ſpatijs gremio complexa coercet.
Vt ſcapus tumet, ac læui de margine ſurgens
In celſum caput, auguſta de mole ſuperbit.
Vt ſtria per longos tractus producta metallum
Sulcat, & hinc medios, atque inde amplexa cilindros,
Grandibus vt campum ſulcis, frontemque politam
Exarat in pulchrum rugis decus: æqua tumentes
Interualla cauis dirimunt ceu vallibus, æquis
Culliculos cumulis grauidos, & margine circum
Aſſurgente premunt, læui cingentia limbo.
At capitum decus eximium, quibus ordine certo
Tota corinthiacos ars formæ oſtendat honores.
Qualiter incincto folijs è caule ſuperbum
Lilia ſuſtollunt calicem, ſenſimque recluſo
Floris hiant diducta ſinu, circumque repandis
Aut niueum folijs pandunt formoſa decorem,
Aut croceum, aurataſque vibrant, tutamina floris
Ætherei ſeptem, ceu tela micantia, clauas.
Ardua ſic paſſi ſe frondibus explicat altè
Arx capitis, gradibus ſurgens, in acumina ſectas
Diſtrahit in gyrum frondes, molliqne recuruas
Cuſpide, in anſarum flexus ceu labra retorquet.
Quantus Epiſtylio ſplendor? pars altera cœlo
Aſpera, inexculto pars altera terſa metallo;
Vtraque ſubiecta ſcapi de laude ſuperbit:
Nec minus impoſitæ ſe iactat honore coronæ.
Hæc artis ſupremus apex, pariterque columnæ.
Quod varijs ſtruitur gradibus, quot pulchra figuris
Attollit cubito duplici, quo margine frontem
Quadrat inæqualem plinthi quadro æmula formam?

P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

ARS STATVARIA.

Statua equeſtris.

QVæ ſuper impoſito moles gemmata coloſſo
Stat latium complexa forum, cœlo ne peractum
Fluxit opus, Siculis an conformata caminis
Effigies, laſſum Steropen Brontemque reliquit?
En ſonipes habitus, animoſque imitatus equeſtris
Acrius attollit vultus, curſumque minatur.

Cui

Cui rigidis ſtant colla iubis, viuoſque per armos
Impetus, & tantis calcaribus ilia latè
Suffectura patent. vacuæ pro ceſpite terræ
Ænea captiui crinem tegit vngula Rheni.
Statius l.1. ſil. car.1.

Aſpice vt impoſito vicina in ſidera ſurgens
Stat moles immanis equo, cœlique propinqui
Ardua ſublimi propius videt aſtra coloſſo.
Vnde etiam pigro ſurgentes aere ventos
Et laſſas placido deſpectat vertice nubes,
Quantus Athos, aut quantus Erix, aut quantus Olympus
Audax ſideribus frondes miſcere, proterno
Surgit in aſtra iugo, & ſtellarum erroribus obſtat.
Quæ te Phidiaco talem manus æmula cœlo,
Aut quis ſpiranti Lyſippus doctior ære
Vultus, Iuſte, tuos, aut viuo finxerit auro?
An tibi ſollicitus Siculis Vulcanus in antris
Brontemque Steropemque, & brachia dura Cyclopum
Laſſauit, talemque attrita incude remiſit?
Ardet, & in muto viuax micat ira metallo,
Pura nitet facies, placidoque horrore decori
Oris honor, flaua ingenuo coma fluctuat auro.
Regia deſtra minax elato fulgurat enſe.
Læua tenet frœnos, & temperat ora frementis
Cornipedis; furit ille ferox, magnoque rebellat
Seſſori, & feſſis fruſtra obluctatur habenis,
Stare loco impatiens. dextro iubâ ludit in armo
Laſciuis effuſa notis, curſum ille minatur,
Ni dextra obnixus Lodoicus dura magiſtra
Et premeret frœna, & luctantes frangeret iras.
P. Gilb. Ionninus in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Aſpicio; viden vt magnos ſe tollit in artus
Marmoreus ſonipes, atque hoc rectore ſuperbit?
Pondus amare putes, ceruix lentatur in orbem,
Vix vno terit vngue ſolum, & tellure morantis
Ingenium lapidis ſculptor domat arte magiſtra.
Sub pedibus fremit impietas, & fuſile torquet
Indignata caput; premit vngula pectoris iras,
Cordaque, nondum iſto ſat viſa rigere metallo.
Apud P. Laur. le Brun. to.1. Eloq. Poet.

Quæ ſpecies mihi ſe, & mortali maior imago
Obijcit? an Geticos terret qui cuſpide campos
Threijcio ſubuectus equo fert ora? comaſque
Aſper in arma graui nigrantes caſſide velat?
An Lodouice tuos ducunt ſpirantia vultus
Æra, fodiſque alacer niueos calcaribus armos
Cornipedis, numenque Deum virtutibus æquas?
Mars erit, at vultu melior, qualiſque videri
Compoſito velit orbe bonis; agit aureus ignes
Vertex, & cupidis iam tum ſibi fidus in aſtris
Accendit, quâ libra dies examine recto
Æquat, & Aſtreæ cœli fax temperat orbes.
Heſperio das frœna fero, cogitque ſuperbum

Iuſſa

Iuſſa pati, dorſoque ſedens docet ire minorem.
Ille fremens auras hinnitibus implet acutis,
Crebra ſonans geminum cornu quatit vngula monſtrum
Anterior, diram illuuiem prorumpit ab imo
Pectore, deſpumatque furor.

Apud eundem tom. 2.

Opera varia ſculpturæ. Vide apud P. Alex. Don. toto cap. 4. l. 2. vbi deſcribit Sacellum Exquilinum B. V.

ARS TEXENDI.

Texendi Artificium.

HAud mora. conſiſtunt diuerſis partibus ambæ,
Et gracili geminas intendunt ſtamine telas
Tela iugo iuncta eſt; ſtamen ſecernit arundo.
Inſeritur medium radijs ſubtegmen acutis,
Quod digiti expediunt: atque inter ſtamina ductum
Percuſſo feriunt inſecti pectine dentes.
Illic & Tyrium quæ purpura ſenſit ahenum
Texitur, & tenues parui diſcriminis vmbræ.
Illic & lentum filis immittitur aurum,
Et vetus in tela deducitur argumentum.

Ouidius l. 6. met.

Hinc vocat extremum tandem textura laborem.
Intenduntque nurus diſcretas pectine telas
Multifido, radijſque ſonantibus intertexunt
Iactantes dextra, læuaque ſequentia fila,
Alterniſque ſuus pedibus labor additus; atque
Deſuper acta gemit tereti rota garrula neruo.
Nec modus eſt ſimplex texendi, nec genus vnum
Telarum: nunc raſa vides, & læuia texta,
Nunc pexis, leuiterque attonſis mollia villis
Quin etiam varios tenui ſub tegmine pingunt
Nexilibus flores ederis, ſiluaſque virentes.

Hier. Vida l. 2. Bemb.

Quæ Peluſiaco vellera pollice
Torquet fœmina & inſita
Filis fila ſequacibus
Diſpenſat digito; ſuis
Inconfuſa locis mouet.
Si neſcis, oculi pingit imaginem,
Quam per multifidos globos,
Ambageſque volubiles,
Anfractuſque plicabiles
Docto digerit ordine.
O qualis famulis iuncta laboribus
Qualem pingit imaginem?
Concinnata reciproco
Verſat vellera turbine.
Aureæ vellera turbine.

Seu

Seu fuco Tyriæ molliat vndulas,
Et mollita reuinciat,
Inclinata retorqueat;
Obliquataque raſili
Circum forcipe circinet.

In veſtig. Gymn. par. 3.

Textrinas hinc Diua aperit, carpendaque lina
Obijcit, ac duplici torquendam ſtamine byſſum,
Diſcite, ait pexæ varios lanuginis vſus,
Quam mitrant in fila manus poſt pectinis vngues
Carbaſa vt in vaſidas coeant molliſſima telas.
Et Phrygias imitentur acus, inſcriptaque textu
Multiplici ducant radio currente figuras.
Hæc ait, & vario pandit Babylonia textu
Aulæa, Attalicas nondum cognomine veſtes,
Spiranteſque feras viuis in ſtamine ſiluis,
Aut ſilicata inter pictas frureta volucres
Aut per acu picti libratas cœrula cœli,
Fluminaque herboſis argento vndantia ripis.

P. Ant. Millieus t. 2. Moyſ. Viat. l. 31.

Fœmina nens.

ANte focum nutrix operoſo intenta labori
Aptabat læua garrula parte colum:
Inque apicem glomerabat opes, molliſſima lini
Penſa, leues nebulas, & ſine luce niues.
Pendula mox tereti ducebat ſtamina fuſo,
Et ſæpe appoſito dente domabat opus.
Et penſi vitia allambens hærentia labris,
Mordebat, ſi quam lina tulere notam.
Fila coæquabat digitis formata ſupinis,
Pollicis, & proni turbine torta dabat.
Hic adeo intendebat, iners ad cætera, mentem.
Tamque operi vigiles iuſſit adeſſe manus;
Vt non liciolum telæ, ſed ſtamina vitæ
Nere videretur addita Parca tribus.

P. Vinc. Guiniſius Eleg. 5.

Interea digitos habiles ad vellera vertens
Mollia depexas coniux in ſtamina lanas
Produxit, laterique colum molita columnam,
Deuoluit capulum fuſo, villoſque reuellit
Dentibus, atque vda mollit ſubtegmina lingua.

P. Ant. Millieusto. 1. Moyſ. Viat. l. 11.

Ergo ſuus cum nere labor, turgentia plena
Ducere penſa colo; docto conuoluere fuſum
Pollice, concinnam ſtamen torquere per artem;
Collectum reuocare manu, circumdare fuſo,
Cochlidis exiguæ ſummo vincire canali,
Humenteſque iterum digitos accingere longis
Tractibus, & tenui penſum conſumere filo.
Sponte ſequebatur ductum, cœptumque tenorem
Continua pellecta manu, rumpique timebant.

At

At licet arguto ſubtilia ducere fuſo
Gnara ſatis Virgo; ſe ſe tamen ipſa volenti
Vellere, in exiles tenuabant ſtamina tractus.
P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Ars fabrilis Ferraria.

QVam ſubter ſpecus, & Cyclopum exeſa caminis
Antra Ætnæa tonant, validique incudibus ictus
Auditi referunt gemitum, ſtridentque cauernis
Stricturæ chalybum, & fornacibus ignis anhelat. *Et inſi*
Ocyus incubuere omnes, pariterque laborem
Sortiti. fluit æs riuis, aurique metallum,
Vulnificuſque chalybs vaſta fornace liqueſcit,
Ingentem clypeum informant, vnum omnia contra
Tela Latinorum; ſeptenoſque orbibus orbes
Impediunt, alij ventoſis follibus auras
Accipiunt, redduntque; alij ſtridentia tingunt
Æra lacu: gemit impoſitis incudibus antrum.
Illi inter ſe ſe multa vi brachia tollunt
In numerum, verſantque tenaci forcipe ferrum.
Virg. l. 8. Æn.

Nec mora: Tartarea ſtygij Telchines in antro
Inſudant operi: pars follibus vrget anhelis
Fornacem accenſam, & reddit quas excipit auras:
Pars ferrum mollit flammis: pars forcipe adunca
Ardentem verſat maſſam, & vi atque magiſtra
Fingit opus. tunſa aſſiduis gemit ictibus incus,
Et caua reſponſant immanibus antra cauernis.
Inde tremor ſtabiles terras quatit, & ſimul altis
Sedibus emotæ viſæ concurrere rupes.
P. Gilb. Ionninus in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

ARS EQVITANDI.

Homo equum domans, vel regens.

PRimus equi labor eſt animos, atque arma videre
Bellantum, lituoſque pati, tractuque gementem
Ferre rotam, & ſtabulo frœnos audire ſonantes,
Tum magis atque magis blandis gaudere magiſtri
Laudibus, & plauſæ ſonitum ceruicis amare.
Atque hæc iam primo depulſus ab vbere matris
Audiat; inque vicem det mollibus ora capiſtris
Inualidus, etiamque tremens, etiam inſcius æui.
At tribus exactis vbi quarta acceſſerit æſtas,
Carpere mox gyrum incipiat, gradibuſque ſonare
Compoſitis, ſinuetque alterna volumina crurum,
Sitque laboranti ſimilis; tum curſibus auras
Prouocet, & per aperta volans, ceu liber habenis
Æquora, vix ſumma veſtigia ponat arena.
Virgilius l. 3. Georg.

Aut-

Aut quis equum celeremue arcto compeſcere frœno
Poſſit, & effuſas tardo permittere habenas?
Inque vicem modò directo contendere paſſu,
Seu libeat curuo melius contendere gyro.
Tibullus in Poem. ad Meſſal.

Sic auriga ſolet feruentia Theſſalus ora
Mobilibus frœnis in aperto flectere campo,
Qui modò non ſolum rapido permittit habenas
Quadrupedi, ſed calce citat, modò torquet in auras
Flexibiles rictus, & nunc ceruice rotata
Incipit effuſos in gyrum carpere curſus.
Lucanus in Poem. ad Piſonem.

Cum vectaris equo ſimulacraque Martia ludis,
Quis molles ſinuare fugas, quis tendere contum
Acrior? aut ſubitos melior flexiſſe recurſus?
Vtque tuis primùm ſonipes calcaribus arſit,
Igneſcunt patulæ nares, non ſentit arenas
Vngula, diſcuſſæque iubæ ſparguntur in armos,
Turbantur phaleræ, ſpumoſis morſibus aurum
Fumat, anhelantes exundant ſanguine gemmæ.
Claudianus in 4. Conſ. Honor.

Ecquis amor Martis? cùm te pulcherrimus alto
Fulmineum componis equo, ſubigiſque frementem
Stare loco, glomerare fugas, conſcendere ſaltu
Turbineo ſublimem auram, & colludere ventis:
Mox alta ceruice datos pede ſiſtere gyros,
Tum furijs actum pernicibus ire per æquor
Immenſum ſpatio, & curſus iterare volucres.
P. Conſt. Pulcharellus l. 1. car. 7.

Nec minus, & grauidis auro tumefactus habenis
Altior inuehitur campis equus: vngula crebro
Et pulſu modò ſaxa quatit, tactuſque magiſtræ
Aſſultat virgæ ſonipes: modò raptus in auras
Naribus expirans, labriſque ardentibus ignem
Incedit, laceros & calcibus excutit euros.
Tum plauſa ceruice graues in mollior iras,
Turbataſque iubas componit, & alta ſuperbo
Erigit ora gradu, gaudenſque argentea frœna
Mandere, pacato glomerat veſtigia dorſo.
P. Alex. Donatus l. 2 car. 2.

Talis Amyclæus cùm primùm ſenſit agentem
Cyllarus, indomito tentabat Caſtora tergo
Abijcere; & rigidis aſper ſeruire lupatis,
Seſſoremque pari indocilis, ceruice rebelli
Inſolitum iactabat onus: ſpumamque cruentam
Ore vomens, duræ ſpernebat legis iniqua
Imperia, & tacito frœnum inuiolabile morſu,
Sed paſſus tandem arte regi, veſtigia ferre
In numerum, ac breuiore fugam conuertere gyro,
Et iuſſu didicit curſus inflectere circo.
P. Gil. Ionninus in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Tuque vale, ò premere, & dociles qui fundere habenas
Præcipis inſueti cautè Magiſter equi.

Quà

Quà ſe Cœſarei via flexilis amphitheatri
Scindit in obliquos peruia facta ſinus.
Hic ſpumantis equi generoſos ducimus orbes
Præcipitemque cita frangimus arte gradum.
Hic animare vago celerem iuuat impete curſum,
Anxiaque ambigua frœna rotare manu
Interea inclamat, monet, increpat; & pretioſa
Sollicitus vendit voce magiſter opem.
P. Franc. Remendus Eleg. 1.

Vide ſupra Tit. Equus, & Tit. Curſus curruum.

ARS SAGITTANDI.

PRotinus Æneas celeri certare ſagitta
Inuitat qui fortè velint & præmia ponit.
Tum validis flexos incuruant viribus arcus,
Pro ſe quiſque viri, & depromunt tela pharetris.
Primaque per cœlum neruo ſtridente ſagitta
Hyrtacidæ iuuenis volucres diuerberat auras.
Poſt acer Mneſtheus adducto conſtitit arcu,
Alta petens, pariterque oculos, telumque tetendit.
Virg. l. 5. Æn.

. . . . intento volucrem de more ſagittam
Aſſignat neruo: vtque oculis librauit in hoſtem,
Et talamo monſtrauit iter, diuerſa relaxans
Brachia, deduxit vultu comitante per auras
In vulnus telum, & reſidentis puppe magiſtri
Affixit plectro dextram.
Sil. Italicus l. 4.

Vaſtum coactis flexit arcem cornibus
Pharetramque ſoluit. ſtridet emiſſa impetu
Arundo. medio ſpiculum collo fugit
Vulnere relicto.
Seneca in Her. fur. ac. 5.

Nunquam caſſa manus nullum ſine vulnere fugit
Miſſile, nec requies dextræ, ſonitumque priori
Iungit arundo ſequens. vnum quis crederet arcum?
Aut vnam ſæuire manum? modo dirigit ictus,
Nunc latere alterno dubius conamine murat.
Statius l. 9. Theb.

ARS MAGICA.

Magica ars, & potentia.

HÆc ſe carminibus promittit ſoluere mentes
Quas velit, ait alijs duras immittere curas:
Siſtere aquam fluuijs & vertere ſidera retro;

No-

Nocturnoſque ciet Manes. mugire videbis
Sub pedibus terram & deſcendere montibus ornos.
Virgilius l. 4. Æn.

Hanc ego de cœlo ducentem ſidera vidi,
Fluminis hæc rapidi carmine vertit iter.
Hæc cantu ſinditque ſolum, Maneſque ſepulcris
Elicit, & tepido deuocat oſſa rogo.
Iam ciet infernas magico ſtridore cateruas:
Iam iubet adſperſas lacte referre pedem.
Cum libet hæc triſti depellit nubila cœlo:
Cum libet æſtiuo conuocat orbe niues.
Sola tenere malas Medeæ dicitur herbas,
Sola feros Hecates perdomuiſſe canes.
Tibullus l. 1. el. 2.

Vernare iuſſi frigore in medio nemus.
Miſſumque fulmen ſtare; concuſſi fretum
Ceſſante vento; turbidum explicui mare,
Et ſicca tellus fontibus patuit nouis;
Habuere motum ſaxa, diſcuſſi fores;
Vmbræ ſtetiſtis; & mea iuſſi prece
Manes loquuntur; ſonuit infernus canis;
Mare, terra, cœlum, & tartarus ſeruit mihi;
Nox media ſolum vidit & noctem dies,
Nihilque leges ad meos cantus tenent.
Senec. in Her. Oet. act. 2. ſc. 1.

Egique ad ima maria, & Oceanus graues
Interius vndas æſtibus victis dedit;
Pariterque mundus lege confuſa ætheris
Et ſolem, & aſtra vidit: & vetitum mare
Tetigiſtis Vrſæ, temporum flexi vices:
Æſtiua tellus floruit cantu meo:
Meſſem coacta vidit hibernam Ceres:
Violenta Phaſis vertit in fontem vada;
Et Iſter in tot ora diuiſus, truces
Compreſſit vndas omnibus ripis piger.
Sonuere fluctus, tumuit inſanum mare
Tacente vento. nemoris antiqui domus
Amiſit vmbram vocis imperio meæ.
Die relicto Phœbus in medio ſtetit;
Hyadeſque noſtris cantibus motæ labant.
Seneca in Med. act. 4. ſc. 1.

Ceſſauere vices rerum. dilataque longa
Hæſit nocte dies; legi non paruit æther;
Torpuit & præceps audito carmine mundus,
Axibus & rapidis impulſos Iuppiter vrgens
Miratur non ire polos. nunc omnia complent
Imbribus & calido producunt nubila phœbo;
Et tonat ignaro cœlum Ioue; vocibus iiſdem
Humentes latè nebulas, nimboſque ſolutis
Excuſſere comis; ventis ceſſantibus æquor
Intumuit: rurſus vetitum ſentire procellas
Conticuit turbante Noto; puppimque ferentes
In ventum tumuere ſinus. de rupe pependit

Ab-

Abſciſſa fixus torrens, amniſque cucurrit,
Non quà pronus erat, Nilum non extulit æſtas,
Mæander direxit aquas, Rhodanumque morantem
Præcipitauit Arar. ſubmiſſo vertice montes
Explicuere iugum, nubes ſuſpexit Olympus,
Solibus & nullis Scythicæ, cum bruma rigeret,
Dimaduere niues, impulſam ſidere Tethyn
Reppulit Æmonidum, defenſo littore, carmen.
Terra quoque immoti concuſſit ponderis axem,
Et medium vergens titubauit niſus in orbem.

Lucanus l. 6.

. . . . noui quo Theſſala cantu
Eripiat lunare iubar; quid ſigna ſagacis
Ægypti valeant, qua gens Chaldæa vocatis
Imperat arte Deis, nec me latuere fluentes
Arboribus ſucci, funeſtarumque poteſtas
Herbarum: quidquid lethali germine pollens
Caucaſus, & Scythicæ vernant in carmine rupes,
Sæpius horrendos Manes, ſacriſque litaui
Nocturnis Hecaten, & condita funera traxi
Carminibus victura meis, multoſque canendo,
Quamuis Parcarum reſtarent fila, peremi.
Ire vagas quercus & flumina ſtare coegi,
Verſaque non prono curuaui flumina lapſu
In fontes reditura ſuos,

Claudianus l. 1. in Ruff.

An qui mouere pallidum cantu chaos,
Soluere trifaucis ora qui poſſum canis,
Et flexa retrò flumina inuito pede
Attonita fontis hortor incunabula
Iterare, qui cum ſaltibus ſiluas ſequi,
Et ire cautes carmine auritas meo;
Qui pura ſulco ſigna ſulphureo traho
Refixa cœlo; nocte qui tacita queo
Deripere lunam, ſorte qui mira eloqui
Vocale ſaxum doceo venturi exitus
Metus latentes; cereas imagines
Inire greſſus; è ſepulcretis domum
Remeare functa corpora, & vulgò cauis
Volitare formis, frontis humanæ modo
Animas ferarum terga ſæuarum truces
Induere, letis horrida, & ſolis vagas
Errare campis, murmur vt iuſſit meum
Colchi ſuſurro, & Theſſalo potentius.

P. Bern. Stephonius in Flau. act. 4. ſc. 1.

Magicum opus ſiue incantamentum.

AT regina pyra penetrali in ſede ſub auras
Erecta ingenti tædis atque ilice ſecta,
Intenditque locum ſertis, & fronde coronat
Funera: tum ſuper exuuias, enſemque relictum,
Effigiemque toro locat, haud ignara futuri.

Stant

Stant aræ circum, & crines effuſa ſacerdos
Tercentum tonat ore Deos, Erebumque, Chaoſque.
Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ:
Sparſerat, & latices ſimulatos fontis Auerni.
Falcibus, & meſſæ ad lunam quæruntur ahenis
Pubentes herbæ nigri cum lacte veneni:
Quæritur, & naſcentis æqui de fronte reuulſus
Et matri prætextus amor.

Virg. l. 4. Æn.

Pectora tunc primùm ferventi ſanguine ſupplet
Vulneribus laxata nouis, taboque medullas
Abluit, & virus largè lunare miniſtrat.
Huc quidquid fœtu genuit natura ſiniſtro
Miſcetur; non ſpuma canum, quibus vnda timori eſt
Viſcera non lyncis, non duræ nodus hyenæ
Defuit, & cerui paſti ſerpente medulla,
Non puppim retinens, Euro tendente rudentes,
In medijs Echeneis aquis, oculique draconum,
Non Arabum volucer ſerpens, innataque rubris
Æquoribus cuſtos pretioſæ vipera conchæ,
Aut viuentis adhuc Lybicæ membrana ceraſtæ,
Aut cinis Eoa poſiti Phœnicis in ara.

Lucanus l. 6.

Ipſa comas effuſa, pedemque exuta ſiniſtrum
Cum Philtris longum ſubmurmurat, atque ita fatur.
Pone aram, & viuos hauri de flumine rores,
Canaque vicino decerpe abſynthia campo.
Voluite præcipitem mea licia, voluite rhombum.
Alga tibi hæc primum tumidi purgamina ponti
Spargitur, & rapidis abſumitur arida flammis.
Ter muſcum Cleariſta, ter hunc ſine forcipe cancrum
Vre ſimul, cúmque his dic viſcera Mæonis vro,
Spongia nunc lacrymis perfunditur heus bona magno.
Spongia nata mari, lacrymas bibe ſedula noſtras,
Vtque rapis ſitiens illas ſic Mæonis omnem
Mæonis ingrati rapias de pectore ſenſum.
Huc huc, qui rigida meditaris vulnera cauda
Sæue Trigon, & tu proprium cui ſiſtere naues
Veliferas, Echeneis, adeſte: & Mœonis acres
Tu retinere pedes, tu figere corda labora.
Tunde iecur, ſpumamque ſimul torpedinis atræ:
Scinde manu leporem: leporis penetrabile virus,
Naſcitur Eois hic fluctibus attulit Ægle,
Docta Ægle, iuſſitque inimicum tangere limen.
Curre age, tange ſimul obline. cras mihi pœnas
Perfidus ille dabit.

Sanazzarius Eleg. 5.

Aptetur humeris, (moris id Suſis viget
Tenui papyro varia conſuto chlamys,
Notis arata ſplendidè Babylonijs,
Vbi vis veneno textili præſens latet
Implicita, donum Bactrij quondam ſenis.
Laneus in orbem vinciat nexus comam;

Ter-

Terno colore diſcolor cingat caput
Ter Vitta: numerus inferos impar trahit.
Puniceus ignis. cœrulus fluctus ſolet
Concire, furuus pallidos Manes ligat.
Percuſſa Diti ſanguinem mittat ſacrum
Siniſtra vena. Sanguis hic Diti datur,
Quem reddet hoſtis arte mactatus mea.
Nunc exeratur virga; quam noctis nigris
Defenſus vmbris, dexterum nudus pedem,
Gelidas ad Arctos falce cantata, ſua
De matre raptam, fronde fraxinea exui
Silente luna; pellit hæc cœlo diem,
Vt libet, & atra nube ſubtexit polum.
Venena nunc ſpargantur, & raucæ ſtrygis
Auulſa viuæ viſcera, & ſerpentibus
Expreſſa ſanies: ſpuma Gorgonici locum
Præuitiet anguis: hoſtis, & furtim modò
Sublectus vnguis: vngue nunc hoſtis lito;
Mox corde, ſi quid carmini Pluto faues.

P. Bern. Stephonius in Flau. ac. 1. ſc. 2.

It pedibus nudis adeò eſt impoſta locorum
Dira ſuperſtitio cœcis, rituſque ſeueri.
Diſcinctus ſtygia ſaturam ferrugine pallam,
Diſcinctaſque trahit tunicas; tum frondibus atris
Canitiem premit intonſam, taxiſque cupreſſos
Inſerit, & diram capiti dat concolor vmbram.
Ex adipe humano, piciboſque in fomite tortis
Extincto fert læua facem, quam protinus igni
Tartareo accendant iuſſæ per carmina larvæ,
Adijciantque trucem ſubluſtri ſulphure flammam.
Fert pateram multo ſpumantem ſanguine dextra.
Serpentum vacuæ pelles, ſquamoſaque terga
Pythonum reptant adytis, ſimulacraque cellis
Lanea ſtant; quibus ante humiles veſtigia ceræ,
Supplicibuſque iacent ſimiles fixaſque videntur
Exhorreſcere acus mœſta ſub imagine formæ,
Compunctos tamen illa iubent tabeſcere vultus,
Et ſæuire procul lapſas in viſcera febres.

P. Ant. Millieus l. 22. Moyſ. Viat.

Ergo vbi compoſitæ propior Magus adſtitit aræ,
Membraque roratis lactentia credidit herbis
Stantem oculis mandat prætendere vela miniſtrum,
Et viſu prohibere viros. hi iuſſa faceſſunt.
Inde miniſter abit rabido tum concita flexu
Corpora ter conuerſa rotat: ter lubricus orbem
Circuit, & nudo aſſultans pede, parcius vrna
Sulphureas inuertit aquas; ter ſtridulus hydri
Sibila mentitur; dant ſibila miſta dracones;
Terga ter excuſſis irrorat ſanguine guttis:
Sanguine ter miſſo pectus, traiectaque fœdat
Brachia: currentem ter in orbe cupreſſinus ignis
Auerſus ſequitur, qui ter præceſſit euntem:
Extinctamque facem iactat, recipitque cadentem:

X Auer-

Auerſamque atris, quas euomit ore, fauillis
Attollens ſtetit, & ſpumas cum voce volutans
Exclamat.

P. Alex. Don. l. 6. Conſt.

Vide ſupra Tit Veneficia, & Venefica.

ARS CHIMICA.

AT procul obſcuro ſpeluncæ imoque receſſu
Oliabus deprendit anum, cui ſordida fumo
Canities, ſulcata oculis ſtillantibus ora,
Nigranteſque genis rugæ, ſqualente fauilla:
Semuſtos laceris ſuccingens veſtibus artus
Illa tamen rapidis auidè fornacibus inſtat;
Nec paucos in partem operum, fumique miniſtros
Illecebris Arabiſſa trahit; ſpes omnibus ardens,
Aureaque è foculis naſcens fortuna renidet.
Inuentam taciti in denſa fuligine voluunt
Aurifices, ne præterea ſpectetur ab vllo,
Indoctiſque ſinat manibus ſe in lumine tangi.
Oliabus, dic Diua, inquit, quæ condita monſtrat
Illa anus arcanis veluti myſteria ciſtis?
Quidve docet? quæ tanta ſenum vigilantia tractat
Carbones? aut quorum animas tot follibus eifflant,
Lethaleſque bibunt ſpumis: & ſulphure fumos?
Quærenti ſic Diua refert; ne quære doceri
Stultitiam, quam cœca auri commenta cupido,
Cum placuit cœlo venas tellure relicta
Quærere, & errantes foculis intrudere ſtellas,
Vt de Mercurij procudat ſidere lunam;
Aeraque in auricomum conuertat cypria ſolem.
Naturam migrare ſuis à finibus auſi,
Semina tingendis fuderunt apta metallis,
Et fucum fecere ſibi, captique priores
Arte ſua, mox fuco alijs illudere certant.
Pulueris exigui iactu miracula ſpondent,
In tetros quibus ampla volant patrimonia fumos.

P. Ant. Millieus l. 11. Moyſ Viat.

MECANICÆ OPERA VARIA.

Arca Noemi.

ARca ingens, immanis, in vrbem longa patebat
Ter centum cubitos, ter denos alta relicto
Inſuper in rectum cubito, caua more carinæ
In cubitos, decies quinos, cedroque dolata
Textilis, immiſſis per mutua vincula tignis.
Ingentis fabricæ tenor vnus, & vna per omnem

For-

Forma fuit molem, laterumque æqualia ſummis
Ima, nec impoſito caruerunt culmina tecto.
Vnica ſublicium ſternebat ianua pontem
Infaciles aditus arcæ, ſublataque rurſum
In latus, appoſito claudebat limina muro.
Vna feneſtra patens, cubito neque celſior vno,
Alta recludebat cœnacula: cœtera ſoli
Inuia, ſed vitreo claram ſpecularia ſaxo
Crebra dabant arcæ lucem, noctiſque leuabant
Tædia, & horrentes tenebris languentibus vmbras,
Vndanteſque dabant ſpectacula triſtia mundi,
Interiora cauæ; moles quam vaſta, carinæ
Structa quatergemino diſcrimine: prima ſaburræ
Imaque pars, altas in libramenta per vndas,
Quatuor alta grauem cubitos fundauerat arcam
Pondere: quadrupedum ſtabulis diſcreta patebat
Altera, bis quinos cubitos excelſa ferarum
Corporibus magnis: annonæ tertia ſedem
Quadrupedumque hominumque dabat, quæ plurima vitæ
Sufficeret, cubitos octo ſublimis in altum.
Vltima tergemino varias diſcrimine cellas
Fecerat; ad laterum tractus quà longior arcæ
Machina, diſcretæ volucres: hinc nata rapinæ
Agmina, & hinc cicures per ſtructa cubilia turmæ,
Hic doctæ faciles modulari carmine cantus
Mulcebant hominum curas, & longa leuabant
Tædia, venturique dabant læta omnia mundi.

P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Inde cauam immani fabricauit mole carinam
 Quanta Noti patiens Oceanique foret.
Nec labor ille breuis, ſed in vna puppe marito
 Bis numerata decem luſtra fuere meo
Mille lares intus patuere, cubilia mille:
 Cuique ſuum bipedi, quadrupedique ſuum.
Summa tegebantur tabulis decliuibus: imam
 Sepſere, & mediam pinea texta ratem.
Ne qua etiam rimas penetraret lympha, bitumen
 Clauſerat hiſcentes, munierat que vias.
Cetera nec velis eguit, neque remige puppis:
 Vnus ei occultum nauita numen erat.

P. Iac. Bidermanus l. 1. Heroid. ep. 4.

MARE ÆNEVM.

Vas capacitatis enormis.

HOc mare, cui moles immenſa, capedo profundi
Vaſta ſinus, ſtagno ſimilis, quam condit aquarum
Copia, cymbarumque capax? Muſæque ſub vndas
Naufragij factura metu, niſi Diua timeri
Picta vetet, dedit hoc nomen: Vulcania formam
Ars dedit, & multus Brontes, multuſque Pyracmon,

Et noua Lemniacis fornax magis ampla cauernis,
Hirami labor hic regis Tyriæque ſuperbum
Artis opus, dignum Salomone auctore, Deoque
Luſtrales molem hanc tantam, qui iuſſit in vndas.
Materies auro inferior, fulgore coruſco
Clara tamen, radios æri, quibus inuidet aurum,
Illuſtremque dedit pretij cum fulgure laudem.
Æris in hoc portentum operis vis tanta coacti,
Quanta nec immenſum, quantus patet ille per orbem
Venit ab exhauſtis fuſum in luthera fodinis.
Materiæ par forma: nihil tam magna decori
Officit, in raram moles quoque contulit artem.
Pulchra laborati cœlo crateris imago
Redditur: anguſto ſinuat ſe concaua fundo
Effigies, laxaque aluo ſe ſumma recludit,
Inque parem moli latè diſcedit hiatum.
Expreſſit baſis ipſa pedem crateris, in illam
Indita lutheris cochleatum infigit acumen
Aluus, & hoc nixum mare ſe fundamine librat.
Biſſenum baſis illa boum premit ærea circum
Tergora: diuerſis diuerſas frontibus oras
Terni quique boues ſpectant quadruplice mundum
Agmine, & aduerſos partiti in ſingula ventos
Agmina: ſub pedibus pecudum iacet ærea peluis,
In latam ſubſtrata crucem, ductaſque canali
E cratere boues patulo quas ore refundunt
Euripi in ſpeciem; lato capit alueus vndas
Margine, & in paruos fundit per marmora Nilos.
Maieſtas auguſti operis totam ardua molem
Euexit gradibus geminis: infeſſa laborant
Pondere fundamenta ſoli, totumque grauanti
Opponunt, templi quo ſurgit fabrica, montem.
Obnixi coniuncta boues in terga, repoſtum
In maris obluctantur onus, ceruice coacta,
Contentiſque turis conamine: fronte ſuperba
Luminibus torvè arrectis vibrantia tollunt
Cornua, ſurrecto tendunt palearia collo.

P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

E N C A R P I.

Serta turgentia floribus & pomis.

Omnibus ex gemina dependent aure beato
Pondere ſerta graui ſenſim turgentia meſſe,
Lunatoque ſtrias fundi quærentia flexu,
Quatuor hæc magnum lutheris ſerta per orbem
Aligeros inter ſibi cancellata cohærent:
Autumno tum preſſa ſuo diuortia quærunt.
Tenduntque in proprias longo ſinuamine metas.
Pomonæ quam pulcher honos! quam prodiga florum
Copia! quàm blande ſtringens has tænia nodo

Al-

Alligat innexas ad lora tumentia frondes!
Frondibus attexit fœtus, & dona reuinctis
Autumni congeſta opibus. quo pondere librat
Aggeſtum ſe funis onus! qua mole tumeſcit
Ad medium, reſtemque grauat! ſpatiumque pererrans
Pandit honoratum qua maieſtate decorem.
Ceu quis Amalthææ ſi iungens bina capellæ.
Cornua, confertis terræ felicia donis,
Traijciat loro in longum, & quà diuite turgent
A cumulo, connexa liget; diſtractaque longè
Tum ducens extrema, ſinat pendere grauatam
Frugibus adiunctis molem, quod pondere vincat,
Quod blandis nemorum exuuijs, quod honore ſuperbit.
Munera per laudata ſoli, velut æmula palmæ
Singula, certanteſque ſibi per ſingula fruges
Ancipitem dubia Pomonam lite fatigent.
Aurea mala croco miniant; radiata coronis
Punica pomiferi iactant inſignia regni,
Purpureoſque ſinus diſrupto cortice pandunt
Si donijs decor hic malis, hic iuſta racemis
Gloria, maturiſque Ceres hic flauet ariſtis.
Copia collectos felici miſcet honores
Agmine, vtrumque beant nexus conſortia cornu.

P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Trigonale vitrum.

VT ſolet in vitreo lux intercepta trigono,
Rara per aſpectos pingens miracula campos,
Fallere gauiſos oculos, & fraude beata
Obijcere illuſæ menti felicis Olympi
Gaudia, & ignotas auſis mortalibus artes.
Arua, rubi, ſiluæ, meſſes, & prata colores
Innumeros induta micant, croceumque virenti
Et rubrum croceo miſcens, roſeoque decori
Cœruleum, niueuſque coit cum murice fulgor:
Purpura candeſcit niuibus, flaveſcit in auro,
Frondibus arboreis viret, accenſæque rubeſcunt
Purpureo ſimul igne, ſimul rutilantibus auri
Ardeſcunt radijs frondes; ceu Flora per omnes
Ingenioſa comas ramorum, & gramina lætas
Veris opes, varioſque ſinu quos claudit honores
Sparſerit: aut pictis labens è nubibus Iris
Innumero campis diffuſa tetenderit arcus,
Dilueritque vagum diuerſicoloribus aruis
Inſidens, nemorumque iugis inſuſa decorem.

P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Ceu quondam celſi è podio ſeu culmine tecti
Spectamus triquetri per tranſlucentia vitri
Ire figuratis variata coloribus ora.
Illudunt oculis, minioque oſtroque rubeſcunt,
Et croceis, praſiniſque eadem, virgataque velis

Corpora cæruleis, creſcuntque in margine ſummo
Ornanturque ſuo ſimulacra natantia cœlo.
P. Alex. Donatus l.6. Conſt.

Speculum,

AT viden hanc ſpeculi glaciem, quàm pura nitenti
Luce micat: cœli ſpecies ea blanda ſereni,
Sidereæ pars lecta plagæ, ſpirabilis auræ
Innocuo pars ſtricta gelu, criſtallina fontis
Vnda tenax, niueaque libens cryſtallus ab vnda;
Hiberna ſolidam in glaciem conſtricta pruina,
Perſpicuum retinens, defæcatumque nitorem,
Orbis & eximij decoris, verique theatrum.
En iubar auricomum Solis quàm terſa polita
Fronte bibit; calidumque gelu renuente reflectit;
Frigidaque expulſos acuens in pyramin ignes
Accendit celeres ardenti cuſpide flammas,
Næuus abeſt. nocuæ nec mollis anhelitus auræ,
Nec leuis affuſa maculat puluiſculus vmbra
Læta ſuperficies ridet, ſpeciemque venuſtam
Exhilarat, puroſque ſinus expandit honores,
Aſpice vt inſontes oculos admittit in imum
Pectus, & in viſos faciem transformat amores,
Et ſibi, & obiecto gaudens imponit amori.
Omnibus hæc rerum ſatis vna coloribus, omnes
Vt videt, & tota rerum cum mole colores
Pingit ouans, lentiſque pigram pictoribus artem
Exprobrat, & longas annorum in tædia curas.
Quàm faciles oculis nictus abſque arte, vel artem
Abſque mora depingit, & abſque labore laborem.
Protinus ac aſpexit, & abſque colore colores
Corporaque ingentem ſine mole immania molem,
Immenſumque grauis mundi ſine pondere pondus,
Sidereas ſine luce faces, immotaque motum
Reddit, & exanimi ſpirantem in imagine vitam
Sculpit & abſque manu, ſine cœlo marmora cœlat.
Marmoreaſque facit rerum ſine marmore formas,
Templaque, & ingenti prætoria condita ſumptu
Fabricat ad celerem ſine ſumptu callida viſum.
At viden vt plana facie, & læuore nitenti
Candida, nec cœco penitus latebroſa receſſu,
Excluſis ſincera dolis, & neſcia tectæ
Artis, in internos tamen acta recedere tractus
Obiectaſque ſinu ſpecies monſtrare profundo
Gaudet, & abſtruſis ſpatijs illudere viſus,
Aduerſiſque ſitum referens colludere formis.
P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Horologium.

HÆc quæ metitur vocalis tempora moles,
Cum cœlo tacitum, credite, fœdus habet.

Nam

Nam cœlo Sol quidquid agit noctuve diuve,
Inſcriptum nobis machina fronte refert.
Artis opus miræ. ad terram reuolubile plumbum
Nititur, & ſpiris trochlea verſat onus.
Pondere ab hoc motus: nam dum vi vertitur axis,
Dentatas cogit mordicus ire rotas.
Morſu illo implicitos, obuerſoſque orbibus orbes
Pendula ſuſpenſo examine libra mouet
Ænæus hinc monitor turri ſonat, & ſimul horas
Mobilis inſcripto lingula in orbe notat.
Diuidit hic iudex vitam, totamque minutim
Concidit, ſolidum dilaceratque diem.
Diſcite non vlla ſine pondere reddere vocem,
Diſcite (ne multis) ore manuque loqui.

P.Fam.Strada l.2.prol.3.

Fuſilis hic moles volucrum compage rotarum
Tormentumque volubilibus circùm orbibus actum
Surgit, & in liquido patet aſpectabile vitro,
Olli talis ineſt facies, qualem ænea præfert
Machina, quæ ſummis è turribus admonet vrbes
Temporis, & pulſu fugitiuas diuidit horas,
Pendet inæquali capitum libramine funis
Aureus, & grandes ducit pro pondere gemmas
Molem infra, ſemperque idem ſurgitque, caditque,
Et metitur opus, motumque, moramque gubernat,
Nam crebris agilem ſpiris amplectitur axem,
Immortalem axem, ſolidoque adamante rigentem.
Non adeò tamen indomitum, quin textilis auri
Sentiat amplexus: ad blandimenta mouetur
Elicet, & ſimilem pretioſis dentibus orbem
Corripit; hic alios verſat, voluuntque voluti
Mordicus. & totam rapiunt vertigine molem.
At placide errantum facit æquamenta rotarum
Hinc atque inde pari trepidans examine libra:
Neu ſe præcipiti verſatile pondus agat vi,
Illa cauet, præbetque ſui diſcrimina motus.
Hæc intus, foris eſt etiam ſua gratia fronti.
Nam ſtylus huc ſe ſe, gemmataque lingula profert.
Purpureuſque index, qui moli annexus eodem
Incedit cum mole gradu, & miracula ſignat,
Qualia non vlli fas eſt agnoſcere Diuûm.
Scilicet ingentis frons eſt adamantina turris:
Fronte ſuper, quà circumagit ſe gemmeus index,
Docta manus ſolido formas inſcripſerat auro
Arcanoſque characteres, & cœca notarum
Argumenta, quibus ſe lingula monſtrat in orbem
Mobilis, & ſtabili premit aurea ſigna rotatu.

P.Vinc.Guinifius car.2.

Sic quæ multiplices orbes implexa cietur
Horarum interpres, fugitiui temporis index
Machina, momentis diſpenſat ſingula certis,
Interualla regens, & libramenta rotarum.
Pondera deſidunt arcano concita motu

X 4 In-

Infernè: ſpatijs iuſſis momenta ſupernè
Sollicitant; numeros figit vel conſcia cuſpis
Exterior: vel ſigna docent turrita metalli.
P. Bern. Stephonius car. 8.
Qui loquitur lapſas, & non intelligit horas,
Pſittacus, haud ales, facundo haud præditus ore,
Ferrea ſed moles ſolerte magiſtra rotatu,
Ætherij quod nent orbes, concidere terris
Tempus, in aeria perpes latet incola turri.
Eſſe rotis credas è pluribus armamentum,
Tot ſunt, quæque ſuis nitentes axibus & ſe
Nectentes iunctis per mutua dentibus, æquè
Qui circum extuſi confinia marginis armant,
Et quos accipiunt, donant per baſia motus.
Haud eadem menſura rotis, aſt ordo gemellus
Non pariles moderatur, vt ad fundamina prima,
Quæ plus æris habet, ſedeat; deincepſque minores
Vna alij impoſitis ſcandant faſtigia circis,
Vna aliam haud geſtet, ſed quæuis mole ſua ſtet.
Circulus in ſummo eſt edentulus, aſtra ſupinus
In ſupera, haud duplici ſuffultus ab axe, ſed vno
Penſilis, & trunca ſemper vertigine tortus:
Inſtabilis fert ſe, atque refert dextrumque ſiniſtrumque
In latus, ad medium ſtadium interceptus, vt vltra
Ne meet, ac gemitu queritur ſua vincla perenni,
Turris ad excelſum vento ludibria, & imbri
Æra apicem proſtant, queis malleus imminet, atrox
Aſſeſſor, facili præceps in verbera caſu,
Inferior caſum prudens ſi machina poſcat,
Laxato; quod te cohibet male verbera filo.
Throclea pendentum querna eſt in calce rotarum
Obſita cannabinis ſpiris, vt ſemper in orbem
Irrequieta queat conſenſu molis amico
Imprimere inque rotas, inque altum tempus iter, ſi
Imperet, ad terram prono quæ pondere maſſa
Subſidit lapidoſa, moraſque peroſa tenaces,
Explicito finire inhiat ſuſpendia fune.
At dum finis adeſt ſuſpendi, extrema rotarum, &
Maxima conuoluit ſe, diſſimulatque volumen,
Seruitium indignata, aliaſque, ignobile vulgus,
Gyro in inuita adigit gyrum oſtentare ſequacem
Et tortore almum lacerare in ſegmina dente
Bis duodena diem, ſegmenti præco metallum
Tintinat è turri ad numerum dum qui ante per horam
Immotas tulit ordo rotas, retinacla iubetur
Libramentorum de cannabe ſuſpenſorum
Laxare implicita, throcleamque rotare ſecundam
Cannabe per maſſæ deſcenſum vrgente. tumultus
Secretæ hinc feruet molis, ſpiræque, rotæque
Decreſcuntque volantque agiles, raptumque ſupernè
Auras circuitu vexat pernice flabellum.
Extimus at paries ſpatia in duodena diremptus,
Inſcriptuſque horas numero ſignante cadentes,
Fi-

Fidus in obſequium fixi cum mole repoſta
Fœderis, erronem cunctanti gnomona motu
Circumagit cyclicum, qui interprete cuſpide mutus
Narrat curriculi quota ſit ſciſſura diurni:
Horologus tamen, interior ſi fortè rotarum,
Quod dentes, axeſve inimica retardet amurca,
Deſipiat ſeries, momentaque mordeat exlex.

P. Hipp. Graſſettus Epigr. 156.

Eſt mihi Palladiæ munus prænobile dextræ,
Ponderibus librata ſuis argentea moles,
Quæ lucis, noctiſque vices diſtinguit, & altas
Latonæque vias, & tempora quatuor anni,
Materiam commendat opus: nam mille rotarum
Denticulis implexa agitur, motuque perenni
Anfractus Solis varios, Lunæque labores
Aſtrorumque vias æquato examine ſignat.
Hic auro ſtylus irradiat, lentoque rotatu
Immoto verſans ſua ſe in veſtigia centro
Enotat inſcriptas, ſpatijs æqualibus horas,
Infra fulgentis rutilant argentea Lunæ
Cornua, quæ ad vultum Latonæ, ortuſque, vireſque
Voluuntur, paribuſque notant veſtigia ſignis.
Intus agit data campanæ quæ protinus hora
Affuſum ſtratis dominum tinnitibus vrgent,
Exactaſque docet repetitis ictibus horas.

Apud P. Laur. le Brun. to. 2. Eloq. Poet.

Horologium arenarium.

Dimenſis qui ritè diem diſciminat horis
Puluis in alternum labilis arte vitrum:
Vertendam in geminos ampullam interfluit orbes,
Anguſtas repetens parua per ora vias.
Labitur inque vices idem reuolutus eaſdem.
Metitur varium temporis interitum
Quis melior vitæ monitor, rerumque magiſter?
Nil docet immotum, nil docet eſſe nouum.

P. Conſt. Pultharellus l. 4. Epig. 22.

Pixis Nautica.

Nil intentatum. plebeius nauita Cauros
Ridet, & Herculeis vbi Titan feſſus in vndis
Merſit equos cum luce, citis freta currere velis
Tanta Megallanes cœpit. quo non datur vltra,
Finis erat, mundusque viæ menſura peractus.
Sit ſine Sole dies, & nox illunis, & aſtra
Nulla polo, pinnis ſtridentibus aſſonet Auſter,
Vaſtaque vtrinque fremat Tethys nil territus alnum.
Typhis agit, obeunt ſecuri munia nautæ,
Docta ratis contendit iter, quo prima iubebant
Conſilia, optato ſuccedens impete portu.

Non illa aut Auſtris, aut cœlo fiſa ſereno,
Sed gemma, quam prima dabant Magneticæ rura,
Inconniua acie ſeptem ſpectante Triones.
Apud P. Lam. le Brun. to. 1. El. Poet. l. 7.

Dolabra.

PArs latera æqua dolat, ferroque politius vrget,
Artifici ferro, quod longæ carcere buxi
Clauditur: vnde acies mergit, quantum ima ſubactam
Materiem morſu allambat: volat illa frequenti
Pulſa miniſterio, per & exæquabile dorſum
Itque, reditque trabis, dum læuia fingit eundo,
Aſpera quæ ſubeunt, & quæ turgentia, ponat.
P. Vinc. Guiniſius car. 8.

Terebra.

SEnſim recuruo dente tenax chalybs,
In turbinato vulnere, per moras
Rotantis aſtus, quà feroci
Tacta manu negat ire cornus.
Non ille claro viuidus impetu
Transfigit acta robora cuſpide:
Sed lenta mendax pertinaci
Bella mouet metuendus arte.
Quæ prima morſu vulnera prætulit,
Libata cortex oſcula credidit.
Mox ima demiſſum vagari
Viſcera per gremiumque ſenſit.
Namque ille poſtquam lene momorderit,
Spiris inhæret tortilis acribus;
Mox hinc, & inde per morantes
Quærit iter, reperitque fibras.
In Veſtigio Gymn. Rom. par. 3.

Flagellum è funiculis.

PRæterea quinos nodo ſociauit eodem
Funiculo, iunctiſque caput dedit omnibus vnum.
A capite abſoluit nexum, iuſſitque vagari
Pronius, & ſparſim liberrima ſerpere fila.
At fibrarum oras, ſupremæque agmina caudæ
Implicuit nodis, & textu duplice ſepſit;
Nobile ſupplicium, tempeſtatemque nocentum
Terga flagellantem, ſcelerumque vltricia tela.
P. Vinc. Guiniſius car. 11.

Speculum vſtorium.

EN noua cœleſtes furatur machina flammas,
Atque igne flagrat non ſuo.

Au-

Ambitioſa micat, flammæque hanc mille coronant,
Non ficta furta Promethei.
Nam quamuis ſit inops flammarum, & lucis egena,
Lucem illa, & ignes euomit,
Æmula ſideribus, ſolemque à ſole reuellit,
Et in ſuo oſtentat ſinu.
Exiguo fulget Titan, atque ardet in orbe,
Solique fit ſol æmulus.
Vſque adeò par eſt ſibi; nam non pingit inerti
Hic proprium radio decus.
Qualis in aduerſæ dum nubis imagine ludit,
Vbi fulget ille frigidus.
Effingitque ſuam radijs languentibus vmbram
Imbellis artifex ſui.
Aſt hic ſe totum infundit, lucemque, faceſque,
Nec micat imago degener.
Terreſtris Sol eſt aſtrorum pulchra propago,
Furtumque potius nobile.

Apud P. Laur. le Brun. to. 2. Eloq. Poet.

Calcar ferreum.

OVin etiam æratis calcaria ſentibus aſpra
Subdidit, & puero tulit irritamen equorum,
Circulus eſt ferro media plus parte politus
At qua parte chalybs defecit, habenula ferro
Lorea ſuccedit, complexaque perficit orbem.
Ferreus hinc ſtimulus, ſtimulique minutula cuſpis
Plurima ſe prodit, formatque volubile ſidus
Circuitu radiorum, & acuminat ictibus oras,
Clauiculiſque armat, tormentum immane ferarum.

P. Vinc. Guiniſius car. 11.

Muſcipula.

COmpoſui curuam læui ſuper aſſere teſtam.
Altius vt paruo vimine fulta cubet.
Sic tamen vt lento vimen decumbere tactu
Poſſit, vt hoc itidem, teſta, cadente, cadat.
Quæ ſublata ſuum dum prona recumbit in alueum,
Ingreſſum taciti muris aperta manet.
Caſura ſtruitur fallax teſtudine tectum,
Nec patitur longas prompta ruina moras.
Eſca ſubeſt aut nux, aut fumidus igne recenti
Caſeus: hunc vinctum vimine vimen habet.
Vimen vt à tactu ſimul hoc, ſimul illud eodem
Corruat, & teſtæ caſus vtrumque premat.
Muſculus olfactam noctu ſuccedit ad eſcam,
Lentaque ſecure vimina dente petit.
Illa ruunt; ſimul ipſa ſequi non tarda ruinam
Incumbit prædæ conſcia teſta ſuæ.

P. Conſt. Pulch. lib. 3. el. 3.

ARS, ET PERITIA MILITARIS.

IAm te non alius belli tenet aptius artes,
Quà deceat tutam caſtris, præducere foſſam.
Qualiter aduerſos hoſti defigere cornos,
Quemve locum ducto melius ſit claudere vallo,
Fontibus vt dulces erumpat terra liquores,
Vt facilisque tuis aditus ſit, arduus hoſti.
Iam ſimul audacis veniant certamina Martis
Aduerſisque patent acies concurrere ſignis
Tunc tibi non deſit faciem componere pugnæ;
Seu ſit opus quadratum acies conſiſtat in agmen,
Rectus vt æquatis decurrat frontibus ordo;
Seu libeat duplicem, ſeu iunctum cernere Martem,
Dexterque vt læuum teneat, dextrumque ſiniſter
Miles, ſitque duplex gemini victoria caſus.

Tibullus in Poem ad Meſſal.

Arma tuis etiam ſi forte rotare lacertis,
Inque gradum clauſis libuit conſiſtere membris,
Et vitare ſimul ſimul eſt captare petentem:
Mobilitate pedum celeres ſuper orbibus orbes
Flectis, & obliquis fulgentem curſibus vrges,
Et nunc viuaci ſcrutaris pectora dextra,
Nunc latus aduerſum nec opino percutis ictu.

Lucanus in Poem. ad Piſon.

...... ſi bella tonant, prius agmina duris
Exerce ſtudijs, & ſæuo præſtrue Marti.
Non brumæ requies, non hibernacula ſegnes
Eneruent torpore manus, ponenda ſalubri
Caſtra loco: præbenda vigil cuſtodia vallo.
Diſce vbi denſari cuneos, vbi cornua tendi
Æquius, aut iterum flecti: quæ montibus aptæ
Quæ campis acies, fraudi quæ accommoda vallis,
Quæ via difficilis .fidit ſi mœnibus hoſtis
Tum tibi murali libretur machina pulſu:
Saxa rotet præceps aries, prætectaque portas
Teſtudo feriat, ruat emerſura iuuentus
Effoſſi per operta ſoli ſi longa moretur
Obſidio; tum vota caue ſecura remittas,
Incluſumve putes multis damnoſa fuere
Gaudia: diſperſi pereunt, ſomnoque ſoluti.

Claudianus de 4. Hon. Conſ.

Ille etiam arridens clypeo te ſæpe volentem
Suſtulit, & rutilæ prætendens caſſid s aurum
Armauit puerile caput, latus enſe ſiniſtrum,
Et teneros fuluo preſſit thorace lacertos.
Mox bellis inferre metum, ſudare ſub armis,
Frigora ſæua pati, curſu tranſcendere montes,
In fluvijs reperire vadum, tranſire natatu

Quà

Quà latet, & ſtructis compeſcere pontibus amnes.
Nunc fugientis equi velocia flectere terga
Ediſcit; quo caſtra loco, quo ſigna vigilſque
Ponendus cuſtos; acies quæ vallibus aptæ,
Quæue iugis; quantum Vulcania machina ferri
Eiaculet, quouè vſque ferat flammata fragorem.

Apud P. Laur. le Brun. to. 1. eloq. Poet.

Mox haſtam librare manus iaculumque ſuetus
Iuit in aduerſas acies: conſiſtere ſignis
Et reuocare gradum didicit. nunc ſtringere in arctum
Agmina, nunc laxis eadem diducere campis.
Inceſſit per caſtra pedes, iuueniſque pruinas
Et rigidas calcare niues, galeaque ſeuerum
Suſtinuit potare gelu, brumamque nitentem
Lambere, & inuitis præludere belliger aſtris.
Agmen agens equitum, & fulgentes ære cateruas
Ipſe alto ſubuectus equo veſtigia preſſit
Intrepidus, turmaſque ſuas modo prouidus ala
Explicuit, turſuſque globo ſe continuit Dux.
Accepit mandata libens, iterumque minori
Belligerum præſcripſit opus, timuitque regentem
Miles, & amplexus dominum eſt. diffidere norat
Hoſtibus, & ſolido diſtinguere prælia bello.
Iam victi, iam victoris ceu iudice cœlo
Mutari ſine lege vices. nunc vtile vallis
Præcipites inferre manus, nunc claudere caſtris:
Nunc latebris excire hoſtem, nunc fallere ſilua
Nunc ordiri aciem, nunc ſuſtentare labantem
Auxilijs.

Caſp. Barlæus Heroic. l. 2.

Diſciplina militaris corrupta.

IAm Venus totis galeata caſtris
Regnat, immiſcens Aquilis columbas.
Quot viri currus, tot agunt rubræ pe-
torita mœchæ.
Miles hybernis fruitur profundis,
Et triumphatæ bona longa pacis
Portat in Brumæ gremium, ſupini
Dedecus oti.
Interim quidquid generauit annus,
Pingue, ſeu macrum, iugulatur vno
Ventris aſpectu: calet, & dehiſcit
Omne macellum.
Hic ſub vmbella referunt triumphos
Cantharum iuxta: digiti falerno
Caſtra depingunt: acies, & vrbes
Suſtinet aſſer.
Facta laudandi memorem Perilli
Digna mugitu, furijs aguntur;
Teſſeram belli ſcelus eſſe credas,
Præmia furtum.

Fortis

Fortis in ſolas Capaneus puellas,
Corpus expugnat: ſuperiſque coram
Falſa periurus ferit execrando
Verba palato.
Hæc palàm. vernos vbi pellit æſtas
Altior ſoles; numeroſa tandem
Turba crabronum mouet, & ſtrepenti
Perſonat ære.
Vltimùm dulces caſulæ ſtetiſtis.
Villa vaneſcit: rapiuntur vnà
Vaſa cum tectis, inhumatus infra
Villicus ardet.
Spes, opes, ciues, focus, ara longa
Strage procumbunt: nocet iſte ferro,
Ille Vulcano: tabulata findunt,
Culmina fumant.

P. Iac. Balde l. 3. ſil. Ode 50.

Militaris elegantiæ luxus.

NOn auro, neque tinnulis
Pugnandum phaleris: & clamydum ſinus,
Et nodos, & inutiles
Gemmas belligeris demite brachijs.
Quid leuem galeam iuuat
Plumarum volucrem ferre ſuperbiam?
Cur ſparſas agitat iubas,
Et conus tremulis annuit Africis?
Cur tectum pauidum caput
Ementitur auem, cùm leue ſibilis
Auratum, & Zephyri ioco
Furtum Mygdoniæ proditur alitis?
Iam grando chalybum imminet;
Quid proſint phaleræ? quid galeæ iubar?
Quid læta Zephyris comæ?
Aut vmbo clypei. quòd procul æmulis
Lucem ſolibus inuidet?
Quid vultus nimiùm ſedulus aſpicit?
Quid pictus pharetræ timor?
Aurum frænigera reijce dextera.
Ferro res eget, & manu,
Et magnis animis: hæc tuleris tria.
Dicam Geryoni parem,
Quam nec populifer proruat Hercules.
Bellis adſit idonea
Incomptæ facies lege ferociæ.
Quam fuci decor abſtinens,
Laſciuæque carens forma proteruiæ.
Et ferri memores genæ,
Heſternique notent vulnera prælij.
Criſtæ non facient virum.

P. Caſ. Sarbieuius l. 1. Ode 11.

Bella

Bellator Optimus.

NEc mora, conſpicuo longè fulgentibus armis,
Fortia ne poſſint facta latere, caues,
Ingentique gradu contra ferrumque, locumque
Saxaque brumali grandine plura ſubis.
Nec te miſſa ſuper iaculorum turba moratur:
Nec quæ vipereo tela cruore madent.
Spicula cum pictis hærent in caſſide pennis,
Parſque ferè ſcuti vulnere nulla vacat.
Nec corpus cunctos feliciter effugit ictus,
Sed minor eſt acri laudis amore dolor.
Vt propius ventum eſt admotaque dextera dextræ,
Reſque fero potuit cominus enſe geri:
Dicere difficile eſt, quid Mars tuus egerit illic,
Quotque neci dederis, quoſque, quibuſque modis.
Enſe tuo factos calcabas victor aceruos,
Impoſitoque Getes ſub pede multus erat.

Ouidius l. 4. de Pon. El. 4.

.... ille ruenti
Aggere conſiſtit, primùmque cadauera plenis
Turribus euoluit, ſubeunteſque obruit hoſtes
Corporibus, totæque viro dant tela ruinæ,
Roboraque, & moles, hoſti ſeque ipſe minatur.
Nunc ſude, nunc duro contraria pectora conto
Detrudit muris, & valli ſumma tenentes
Amputat enſe manus, caput obterit, oſſaque ſaxo;
Ac male defenſum fragili compage cerebrum
Diſſipat: alterius flamma crineſque, genaſque
Succendit: ſtrident oculis ardentibus ignes.
Mox denſos inter cuneos compreſſus, & omni
Vallatus bello vincit. quem reſpicit, hoſtem.
Iamque hebes; & craſſo non aſper ſanguine mucro
Percuſſum Scæuæ frangit, non vulnerat, hoſtem.
Perdidit enſis opus, frangit ſine vulnere membra.
Illum tota premit moles, illum omnia tela.
Nulla fuit non certa manus, non lancea felix;
Parque nouum fortuna videt concurrere bellum,
Atque virum fortis crebris ſonat ictibus vmbo.
Et galeæ fragmenta cauę compreſſa perurunt
Tempora: nec quidquam nudis vitalibus obſtat
Iam præter ſtantes in ſummis oſſibus haſtas.

Lucanus l. 6.

Primus iter carpſiſſe pedes, partemque ſubire
Si valli feſtinet opus: nec cœtera ſegnis
Quæcumque ad laudem ſimulant, ſomnumque negabat
Naturæ, noctemque vigil ducebat in armis
Interdum proiectus humi, turbæque Libyſſæ
Inſignis ſagulo duris certare maniplis:
Celſus, & in magno procedens agmine ductor
Imperium proferre ſuum: tum vertice nudo
Excipere inſanos imbres, cœlique ruinas,

Spe-

Spectarunt Phœni, timuitque exercitus Aſſur
Torquentem cum tela Iouem, permixtaque nimbis
Fulmina, & excuſſos ventorum ex flatibus ignes
Turbato tranſiret equo: nec puluere feſſum
Agminis ardenti labefecit Syrius aſtro.
Flammiferis tellus radijs cum exuſta dehiſcit,
Candentique globo medius coquit æthera feruor,
Fœmineum putat inuentum iacuiſſe ſub vmbra.
Idem correptis ſternacem ad prælia frænis
Frangere equum, & famam lethalis amare lacerti:
Ignotique annis tranare ſonantia ſaxa
Gaudet, & aduerſa populos arceſſere ripa.
Idem expugnati primus ſtetit aggere muri:
Et quoties campo rapidus fera prælia miſcet,
Qua ſparſit ferrum, latus rubet æquore limes.

Sil. Italicus l. 1.

Ipſe inter medios venturæ ingentia laudi
Signa dabat: vibrare ſudem, tranſmittere ſaltu
Murales foſſas, vndoſum frangere nando
Indutus thoraca vadum: ſpectacula tanta
Ante acies virtutis erant: ſæpe alite planta
Ilia perfoſſum, & campi per aperta volantem
Ipſe pedes præuertit equum; ſæpe arduus idem
Caſtrorum ſpatium, & ſaxo tranſmiſit, & haſta.

Idem l. 3.

Cantaber ingenio membrorum, & mole timeri
Vel nudus telis poterat Larus, hic fera gentis
More ſecurigera miſcebat prælia dextra.
Et quamquam fundi ſe circùm pulla videret,
Agmina, deleta gentilis pube cateruæ,
Cæſorum implebat ſolus loca; ſeu foret hoſtis
Cominùs, expleri gaudebat vulnere frontis
Aduerſæ; ſeu læua acies in bella vocaret,
Obliquo telum reflexum Marte rotabat.
At cum ponè ferox auerſi in terga veniret
Victor nil trepidans rectò iactare bipennem
Callebat, nulla belli non parte timendus.

Idem l. 2.

Vidit arenoſis illum procurrere campis
    Barbarus, & trepidam ferre per arua necem.
Et flauas quaſſare iubas, galeamque coruſcam,
    Et valida circum tela rotare manu.
Latum limitem agit ferro; paſſimque relinquit
    Plurima per campos corpora perque vias;
Omnia ſecum vnà rapit obuia corpora tractim,
    Et necat, & gladio proxima quæque metit.
Ardet cæde noua ſemper, Solymæque Tyrannum
    Euocat, & ſolum ſolus in arma velit.
Certus ineſt telis ictus, ſiue haſta per orbem
    Ære cauum, ſeu per linea texta volat.
Seu valido neruis intorques ſpicula cornu,
    Seu chalybem durum fulminat enſe ſuper.

Talia

Talia per latos ferus edit funera campos,
More furens ductor præcipitantis aquæ.
P. Tarq. Gallutius l. 2. el 10.

.... indoles illi fuit
Meritis paciſci gloriam . primus rudi
Tener lacerto ſpicula, & certi ſciens
Nerui ſagittas torſit; aut dorſo inſidens
Pati coegit frœna ſpumantes equos.
Formidoloſus miles, ac bello ferox
Quæſitus imperator hoſtiles fores
Primus refregit, aggere aduerſo ſtetit.
Idemque dubiæ fortè ſi vires labant
Subit expeditus arte, conſilio domat.
P. Alex Donatus in Su: u. ac. 1. ſc. 3.

Fœmina bellatrix.

HOs ſuper aduenit Volſca de gente Camilla,
Agmen agens equitum, & florentes ære cateruas
Bellatrix non illa colo, calathiſue Mineruæ.
Fœmineas aſſueta manus, ſed prælia virgo
Dura pati, curſuque pedum præuertere ventos
Illa vel intactæ ſegetis per ſumma volaret
Gramina, nec teneras curſu læſiſſet ariſtas:
Vel mare per medium fluctu ſuſpenſa tumenti
Ferret iter, celeres neque tingeret æquore plantas,
Illam omnis tectis, agriſque effuſa iuuentus
Turbaque miratur matrum, & proſpectat euntem,
Attonitis inhians animis: vt regius oſtro
Velet honos leues humeros: vt fibula crinem
Auro internectat lyciam vt gerat ipſa pharetram,
Et paſtoralem præfixa cuſpide myrtum.
Virg. l. 7. Æn.

At furor audaceſque minæ, & Mauortius horror
Prælia ſpirantem fremitu comitantur anhelo.
It ſudor per membra Deæ. pars vna lacertos
Nudatamque aperit mammam; pars altera nodo
Fulmineam nectit ſumma ceruice machæram.
Incutiunt terrorem oculi, rutilantque coruſcis
Ignibus impauidum pugnax audacia vultum
Aſperat, & veluti ritus imitata Mineruæ
Abſcondit galea frontem, genibuſque trementem
Quam tenet, argutis vibrat ſtridoribus haſtam.
Obijcitur ſoli clypeus, pauidoſque laceſſit
Solis equos. illi pugnæ, certamina, cædes
Oppida ſculpta manu.
Gaſp. Barlaus Eleg. l. 1.

Miles glorioſus fulminaſter.

AEquale cœlo pondus, & radijs vibrans
Gradior ahenis, vltimus mundi ſtupor;
Quæ prima terris Matris ex vtero dies

Me

Me fudit, eadem palluit fœtus ſuos,
Et ſol pauentes egit alipedes retro.
Humeris Gradiuus nec mora illapſus meis,
Pallas ſiniſtro brachio, dextro Hercules,
Atlas in imis cruribus fixus ſtetit.
Toros per artus Iuppiter ſe ſe vagus
Effudit in me; totus hinc ſpiro Iouem.
Pro lacte ſtillas ſanguinis duxi puer,
Bellona ſic me nutriit; cunæ mihi
Clypei fuere, lanceæ crepundia.
Cum ſimilis aſtris rapior, excuſſi tremunt
Manes profundi ſidera albeſcunt metu:
Longum fragoſo terra mugitu fremit,
Cadunt volucres, ſtant Noti, pontus ſilet.
Æquata cœlo templa dijeci ſolo,
Arces ſuperbas pedibus obtriui ferox,
Vrbeſque pepuli mole collapſas graui:
Nunc illa ſolyma laudis eſt noſtræ ſeges
Iam iam tremiſcit, tota iam mutat, cadit:
Vel voce ſola, victimas dudum parat,
Vouetque Auerno durus hic ferri rigor.
Prodite ad arma: vel ſtatim muros ruam,
Veſtroſque colles ſed diuulſos ſua
Rapiam per auras. funditus tandem eruam,
Quicquid probroſi eſt ſanguinis. Cuncti tremunt.
Fruſtra laceſſo vocibus cœlum. parem
Natura nobis nec dedit, dare nec poteſt.

P. Nicol. Cauſſinus in Solym. act. 2.

ARMORVM VARIA GENERA.

Arma ſub aduerſa poſuit radiantia quercu,
Terribilem criſtis galeam, flammaſque vomentem,
Fatiferumque enſem, loricam ex ære rigentem,
Sanguineam, ingentem: qualis cùm cerula nubes
Solis inardeſcit radijs, longèque refulget.
Tum leues ocreas, electro auroque recocto,
Haſtamque, & clypei non enarrabile textum.

Virgilius l. 8. Æn.

Ecce autem clypeum ſæuo fulgore micantem
Oceani gentes ductori dona ferebant.
Callaicæ telluris opus, galeamque coruſcis
Subnixam criſtis, vibrant cui vertice coni
Albentes niueæ tremulo certamine pennæ.
Enſem vnum, ac multis fatalem millibus haſtam.
Præterea textam nodis, auroque trilicem,
Loricam, & nulli tegmen penetrabile telo.

Silius Italicus l. 2.

Armorum hic genus omne nitet, ſpiſſo ordine fulgent
Parietibus, menſaſque onerant, greſſumque morantur;
Lethi-

Lethiferi pendent arcus, celereſque ſagittæ;
Corytique leues, lucentia ſpicula ferro,
Haſtæque, & longæ cõrno criſpante ſariſſæ,
Et iacula, & telum Libytina quod eminus infert.
Appenſę rutilant galeæ, criſtæque comantes;
Scuta interfulgent; clypeique vmbone minaces,
Thoraceſque graues ferro, & Mucronibus enſes
Terrifici, chalybiſque acies falcata recurui.
P. Ioan. de Buſſieres Scandr. l. 1.

Galea.

EXoritur capitis tegmen: cryſtalla nitere
Dixeris, aut nitido peculiaria limpida vitro.
Aurum oras, criſtamque ornat; roſtroque leonis
Pingitur ora; ferę anterius de caſſide vibrant.
Circumdat galeam regnantum inſigne corona.
Idem ibidem l. 2.

Lorica.

LOricam hinc latam effingit, ſtipatque metallum,
Nuſquam oneri parcens; gnarus cui pondera tanta
Fabricet, & molem quantus ſuffulciat Atlas.
Læuia terga nitent; pectus ſqualente Meduſa
Erigitur, torua implicitì ſtant fronte colubri.
Idem l. 2.

Haſta.

HAſtile incumbit clypeo: formauerat haſtam
Fraxinus, annoſa exſectis ramalibus arbor.
Deſinit in teretem ligni pars altera conum,
Sed chalybe armatur; procul eminet aſpera cuſpis
Altera pars tota ſe firmat in arbore, trunco
Nec ſpoliata graui, nec pondere demutata.
Idem ibidem.

Clypeus.

EXultans præit ipſe gradu, clypeumque coruſcat
Ingentem, & ſolis radijs, & nomine ſancto
Fulmineum. radiat fuluis adamantinus vmbo
Incluſum circum clauis; micat aſpera tortis
Circum oras chalybum nodis ſolido ære corona.
At medium vmbonem natiua in imagine gemma
Non hominum cœlata manu, temerataue ferro
Attollit, firmatque adamas, cœloque tremendum,
Atque Erebo præfert haud vlli effabile nomen.
P. Ant. Millieus t. 1. Moyſ. l. 7.

Funda.

Funda

STridentem fundam poſitis Mezentius armis,
Ipſe ter adducta circum caput egit habena,
Et media aduerſi liquefacto tempora plumbo
Diffidit, ac multa porrectum extendit arena.
Virg. l. 9. Æn.

Edocuit flexæ Balearicus author habenæ,
Quo ſuſpenſa trahens librares vulnera tractu,
Incluſum quoties diſtringeret aera gyro.
Statius l. 2. Achill.

Currus falcatus.

TAlia fatus agit criſpatis agmina pilis
Anteuolans; primoſque iubet veſtigia currus
Falcatos Hebræa ſequi: ſexcenta quaternis
Plauſtra ſonant armata rotis; hinc inde coruſcant
Axibus à geminis, ceu ferrea brachia, falces.
Obuia quæ neci raptura: vibrantia ſummo
Spicula præcurrunt tectos temone iugales:
Pectora ſcuta tegunt, frontes mucronibus horrent
Cornipedum: dant arma feris, & robur, & iras,
Atque animos impune viam ſulcare per hoſtes.
Tres ſumma ſtant puppe viri, & iaculantur ab alto:
Quartus agit ferro fulgens auriga couinos.
P. Ant. Millieus l. 5. Moyſ. Viat. t. 1.

Bombarda, ſeu tormentum curule.

QValiter ære cauo dum ſulphura paſcitur atra
Incluſus magis, atque magis furit acrior ignis,
Moliturque fugam, nec ſe capit intus anhelans:
Nulla ſed anguſtis foribus via, nec potis extrà
Rumpere, materiam donec comprenderit omnem.
Tum piceo diſcluſa volat glans ferrea fumo.
Fit crepitus: credas rupto ruere æthere cœlum.
Iamque illa, & turres procul ecce ſtrauit, & arces.
Corpora, & arma iacent: latè & via facta per hoſtes:
Hier. Vida l. 2. Chriſt.

Ecce iubes terræ congeſto ex aggere in arcem
Ærea produci tormenta, imitantia fulmen:
Quæ ſimul ac gremio contritum ſulphure nitrum
Accepere cauo, flammamque hauſere metallis;
Erupere ignes: quo turbine pulſa repente
Ferrea pila ruit, concuſſaque murmure tellus,
Ætna velut grandis centum obluctata caminis
Mugijt, & cœlum flamma crepitante reluxit.
Nec mora, nec requies. iteratis ictibus altas
Eductas turres, & propugnacula muri
Diruere: incuſſa nutant labefacta ruina
Mœnia.
Aur. Vrſus de bello Belg.

Ix

It tereti baliſta rubo, ſtridetque rotarum
Orbita, & impreſſam ſulco deſcribit arenam.
Ipſa ſuper flammas, vacuo quamquam ore tonantes,
Et vidua ereptum meditatur machina fulmen. *Et inf.*
Aptari tormenta iubet, ſtudioque ſilenti
Fulmineum curuo tonitru fabricare metallo.
Accelerat pennata cohors: pars fuſile collum
Tergere: pars modulis nitroſa attemperat æquis
Sulphura, venturis infundens pabula flammis:
Conijciunt alij capitatæ haſtilia virgæ
Et nigros preſſant cineres, atque arida ſæuis
Nutrimenta focis addunt, & hiantia ferro
Ora laborantes, & adacto fulmine complent.
Ipſe autem ſonitus agitans, cœlique tumultus
A tergo exiguos Aloyſius applicat ignes,
Iniecitque, auxitque faces, globus ilicet ardens
Erupit, fregitque diem; cui protinus alas
Et fragor, & fulgor, piceique volumina fumi
Fecere: anteuolant cædeſque, altæque ruinæ
Terrificant, ſtrageſque fremunt; vt ſole ſereno
Obrueret tonitru, cœlique imitabile fulmen.

P. Alex Don. l. 1. car. 14.

Pars agitat procul, at propiora pericula mittit,
Maioreſque tubos, & ahena tonitrua grandi
Explodenda globo ſignatos librat ad ictus.
Ecce autem aduerſo, quà propugnacula cliuo
Suſtulerat Gallus, baſiliſcum triſte minantem
Ære cauo, & ferri pondus fatale vomentem
Hoſtis ad exitium, ſuſpendit curua rotarum
Libramenta ſuper, dein pulueris ingerit ollas
Sulphurei. duplicatque, & nitra nigrantia denſat
Æratumque globum, quantum capit ore tremendo
Machina, ſubmittit, certaque attemperat arte.
Hic oculis metitur, & altè conſulit ictum,
Sortituſque locum cædi, funalia longè
Nutrimenta facis tereti protendit in haſta,
Quà colubri ærato patuere foramina dorſo.
Nec mora, ſubſiliunt obturamenta, propinquo,
Igne laceſſita horrendum dant æra fragorem,
Et feriunt aures, feriunt quoque lumina flammæ,
Sed ferit exploſo quæ turbine, ferrea glandis
Emicat; illa volans hoſtilia verbere pulſat
Mœnia, murorumque ſuprema è parte reuulſum
Longius eiectat valido luctamine ſaxum.

Vinc. Guiniſius c. 5.

...... alta labant, muroſque ærata reſoluit
Machina, perque domos tonitrus imitata Deorum
Sæuit, & immani turres diſrumpit hiatu.
Eſt genus armorum quo non violentius vllum
Vel Phlegethon, vel Lemnos habet. coit vnus in orbem
Miranda ſed mole globus; cui plurima venter
Tela capit: latitant permixto ſulphure ferri
Pondera, & occultas ſeruant in funere cauſas.

Hinc

Hunc vbi ſerpentis vis imperioſa fauillæ
Attigit, obliquo ſe tollit in aera motu,
Flammivomamque trahit caudam: mox lapſus ab alto
Horrendum ſonat, & magno ſua viſcera niſu
Rumpit, & ingenti inutiluit vicina ruina.
Gaſp. Barlæus Heroic. l. 2.

Crebra loco ſtatio, muraliſque addita circum
Machina ferratos premit æneo pondere currus:
Immaneſque cauos, atque ora ſonantia flammis
Mœnibus obuertens, vbi denſo fomite paruam
Arripuit ſcintillam, it ferrea maſſa per auras
Fumiferam attollens commixto ſulphure nubem
Fulminis inque modum muros contorta, domoſque
Saxaque & immenſas magna vi corripit arces.
P. Dion. Petauius in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Sclopus.

IAmque hoſtem oblongo certum deſignat ad ictum
Ære (quod æquali diductum tramite, multa
Arte faber fudit, nitrato puluere miles
Farſit) & à tergo iam ſubdolus applicat ignem;
Fit fragor; eliſas veluti cùm fulgura nubes
Increpitant, mugitque æther furibundus in vrbem.
Aug. Maſcardus l. 1 ſil. car. 2.

Ferrum equidem tractare iuuat, ſed fulmine cœli
Fortius, immani cùm fœtum puluere ventrem
Ferrea canna tumet, plumbumque rotatile fauces
Occupat, & ſtupam crebro impete virga coegit,
Mox rota tenſa riget flexu reuocanda citato,
Peſſulus at motum remora obluctante coercet,
Dum ſe venanti quæſita indulgeat hora.
Namque vbi præda latus forſan dedit, ilicet ardens
Imminet in foculum flammante canicula ſaxo
Et venit in metam ferrum, ſcapuliſque repoſtum
Nititur, hinc læuum conniuet lumen, & arctus
Extremo ſub fine vmbo determinat ictus,
Ne vaga diuertens obliquet ſemita viſum.
Dein remoram laxat digitus, rotulæque ſequaces
Sollicitant veniam ſilicis flammamque laceſſunt:
Atque ita conceptus foculo dum funditur ignis,
Et rima admiſſus ventrem ſubit, intima cannam
Tormina concutiunt, diroque exercita morſu
Ingemit, atque imis torrens vitalibus extra
Cum fœtu horrendo vomit, exitiumque per omnem
Quo ſe cumque locum dabit execrabilis infert
Partus, & in metam laxo ruit ocyor Euro.
Apud P. Laur. le Brun. l. 2. El. Poet.

Et ſubito teres ex humero deponitur alnus,
Cui tubus inſeritur directo ex ære cauatus,
Terrificum factura ſonum; ſpiramine paruo
Incenſo ſimul expulerit cum ſulphure flamma
Fluminis acta modum diſploſum turbine plumbum.

Iamque rotam celer igniuomam molitur, & axem
Concitat adducta claui, catulumque rigentem
Intentam morſu ſilicem, qui ſuſtinet vnco
Expedit, vt celeri diſſultet machina bombo,
Vulnificuſque chalybs.
P. Franc. Bencius l. 5. Quin Mar.

Pila flammiuoma vulgò Bomba.

..... viſu horrendas librauit in arcem
Bombardas, quas Inſubribus deuexerat oris,
At longe breuiore modò, quam quę ardua pulſant
Mœnia. tergemino in latum dehiſcentia palmo
Ora patent piceæ ſudato farta liquore
Sulphureque ac nitro, pinguique bitumine, & omnī
Materia, appoſitos facilis quæ con ipit ignes,
Mille foraminibus pila peruia truditur intus,
Atque cauo flammis grauida abſorbetur hiatu,
Vnde per aerias fertur vi pulueris auras,
Conceptoque igni flammatos depluit imbres
Quaque cadit latè concepta incendia ſpargit.
P. Henr. Auberius Leus l. 1.

Homo armatus.

IAmque adeò Rutulum thoraca indutus, ahenis
Horrebat ſquamis, ſuraſque incluſerat auro
Tempora nudus adhuc, laterique accinxerat enſem. *Et inf.*
Inſignis longè phrygijs fulgebat in armis,
Spumantemque agitabat equum, quem pellis ahenis
In plumam ſquamis auro conſerta tegebat.
Ipſe peregrina ferrugine clarus, & oſtro
Spicula torquebat lycio Cortynia cornu.
Aureus ex humeris ſonat arcus, & aurea vati
Caſſida tum croceam clamydemque, ſinuſque crepantes
Carbaſeos fuluo in nodum collegerat auro
Pictus acu tunicas, & barbara tegmina crurum.
Virgilius l. 11. Æn.

Ære, atque æquorei tergo flauente iuuenci
Caſſis erat munita viro; cui vertice ſurgens
Triplex criſta iubas effundit crine Sueuo,
Lorica induitur: tortos huic nexilis hamos
Ferro ſquama rudi, permixtoque aſperat auro.
Tum clypeum quatit, aſperſum quem cędibus olim
Celticus ornarat cruor, humentique ſub antro
Ceu fœtum lupa permulcens puerilia membra,
Ingentem Aſſaraci cœlo nutribat alumnum
Hinc enſem lateri, dextræque accommodat haſtam.
Stat ſonipes, vexatque ferox humentia fræna
Caucaſeam inſtratus virgato corpore tigrim.
Sil. Italicus l. 5.

Ipſe Ludouicus varijs inſignis in armis
Primus init, dextramque haſta, clypeoque ſiniſtram
Inne-

Innectit gladioque latus præcingit honeſtum.
Olli non ſolitis ornantur tempora criſtis,
Sed cruce cærulea capiti ſtat lucida caſſis
Sacris clara notis ſtellisque interlita crebris;
Ægida diſtinguunt flauentia lilia pictam.
Thracius hunc ſonipes maculoſo tergore portat,
Argutum caput attollens, atque aurea mandens
Fræna ferox, auraſque hinnitu exercet acuto.

P.Tarq.Gallutius l.1.car.5.

. . . . . . terrificis ingens mihi caſſida criſtis
Cernitur, & nexis laquearia lambere flammis
Lethiferum ſquamis veſtitur pectus ahenis,
Fulgoreſque, igneſque rotat: micat ærea dorſo
Effundens lorica faces: velut æmula ſolis
Longè ardent, hauſtamque vomunt ſpecularia lucem.
Haſta grauat dextram, ferroque obtortile fulmen
Strageſque, immaneſque metu circumligat iras:
Æraque cum tonitru fatalis complicat vmbo.

P.Alex Donatus l.1.c.7.

Cernis vt anteuolat medio dux agmine turmas!
Plurimus in vultu Mauors; in caſſide pennis
Diſcolor vndat apex tremulis, circumque refuſas
Ventilat, & fluctu pendente reciprocat vmbras;
Innumeris fulget paſſim diſtincta pyropis
Artis opus lorica nouæ, ſolique refuſo
Lumine, non vnum, reddit per inania ſolem,
Threiciæ quondam fracturus cornua lunæ
Dependet lateri gladius, quem diuite nexu
Subligat intexto præſignis baltheus auro.
Talibus egregium donis prognatus Ibero
Semine portat equus; cui frontem congener albis
Stella notat maculis, & pugnæ conſcius ardor.
Natiuas acuit lætis hinnitibus iras.

Apud P.Laur.le Brun.to 1.El.Poet.

Milites vario armati habitu pro diuerſitate gentis.

ILle, viden? breuiore vehit generoſior aluo
Quem ſonipes: cui terrificam vomit ærea lucem
Caſſis, & alta iubis cereali vmbratur ariſta
Albaque triticeos imitatur criſta maniplos,
Sarmaticas equitum Leſladius explicat alas.
Arma Auguſte vides armis ignota latinis:
Comminus incuruos enſes, habiliſque politum
Læue ſecuris onus vibrant, & robora clauæ,
Cuſpidis & longas non euitabilis haſtas.
At qui fulgentem ſquamis inducit ahenis
Textilis argenti clamydem, ſtellatus, & auro,
Gemmeus ac niueo diſcriminat vltima limbo:
Chroternus regit arma ſuos in fortia Danos.
Cingitur ære caput, quo terga & pectora nudat:

Cor-

Corpora tutantur clypeis; micat enſis in hoſtem
Longior, haud frangens aciem, ſi comminus arctè
Milite conigeram preſſat cuneata phalangem.
Aſpice Pannonias gentes, tonſamque iuuentam,
Et ſuper intacto porrectum vertice crinem;
Certatim audaces norunt effingere bello
Corpora: membra ſagis velantur fortia rubris:
Stringit vtrumque latus, cincturaque concolor ambit,
Et varium curua ſuſpendit acinace lorum:
Endromis intorto tum laxior induit auro.
Formidata gerunt gracilis ſed pondera clauæ:
Cui conuexus apex, læui globus ære tumeſcit,
Et circumpoſito tenduntur acumina ferro.
Translatos genitor iam Romæ ad ſigna dracones
Et bellatores ſignabis in agmine Dacos:
Dulce quibus cadere eſt aut vincere. vincere fortes
Priſca monet, magna tollunt quam mole, ſecuris,
Nec deuitato vibrant in vulnera ferro.
Non certaret equis Eurus, pernicibus alis
Cum præit, aut rapto nubes premit imbre volantes.
P. Alex. Donatus l.10. Conſt.

Equites cataphracti.

Hic quoque inhorreſcens confertis ferreus armis
Incedit cataphractus eques, demiſſaque ferri
Tegmina pectoribus, crurum tenus, addit equorum:
Tum clypeo, vaſtæque ſonans ſub pondere clauæ
Sæuit, & innexis per ferrea vincula turmis,
Obijcibus murum veluti conſtringit ahenis.
Idem l.1. Conſt.

Ponè aſſultat eques campo Germanus, & omnes
Ære latent artus: humeroſque & pectora ferri
Nexile pondus habet, ſuraſque, & brachia condit,
Viua metalliferis animent ceu membra coloſſis.
Idem l.11 Conſt.

Qui velit Catalogum ſiue recenſionem militum, & Ducum, ex quibus conflatur exercitus, Videat Virgilium l.7. & 10. Æn. Lucanum l.1. & 3. Statium l.47. & 12. Theb. Sil. Italic. l.3 & 8. P. Tarq. Gallutium l.1. car. 9. & l.2. El. 10. P. Iac. Bidermanum l.2. Silu. ſil. 6. P. Ant. Millieum to. 1. Moyſ. Viat. l.7.

Pugna duorum exercituum.

Signa canunt, primus turmas inuaſit agreſtes
Æneas omen pugnæ, ſtrauitque Latinos
Occiſo Therone, virum qui maximus vltro
Æneam petit; huic gladio perque ærea ſcuta
Per tunicam ſqualentem auro latus haurit apertum.
Inde Lycam ferit, exſectum iam matre perempta,
Et tibi Phœbe ſacrum: caſus euadere ferri
Cui licuit paruo. nec longè Ciſſea durum,

Immanemque Gyam, ſternentes agmina claua
Deiecit Letho: nihil illos Herculis arma,
Nil validæ iuuere manus, genitorque Melampus
Alcidæ comes, vſque graues dum terra labores
Præbuit, ecce Pharon voces dum iactat inertes,
Intorquens iaculum clamantis ſiſtit in ore.
Tu quoque flauentem prima lanugine malas
Dum ſequeris Clyrium infelix noua gaudia Cydon.
Dardania ſtratus dextra, ſecurus amorum,
Qui iuuenum tibi ſemper erant, miſerande iaceres;
Ni fratrum ſtipata cohors foret obuia, Phorci
Progenies, ſeptem numero, ſeptenaque tela
Conijciunt: partim galea clypeoque reſultant
Irrita, deflexit partim ſtringentia corpus
Alma Venus tum magnam Æneas corripit haſtam,
Et iacit; illa volans clypei tranſuerberat æra
Mæonis, & thoraca ſimul cum pectore rumpit.
Huic frater ſubit Alcanor, fratremque ruentem
Suſtentat dextra, traiecto miſſa lacerto
Protinus haſta fugit, ſeruatque cruenta tenorem,
Dexteraque ex humero neruis moribunda pependit,
Tum Numitor iaculo fratris de corpore rapto,
Æneam petijt; ſed non & figere contra
Eſt licitum, magni corpus perſtrinxit Achatæ.
Hic Curibus fi.lens primæuo corpore Lauſus
Aduenit, & rigida Dryopen ferit eminus haſta,
Sub mentum grauiter preſſa: pariterque loquentis
Vocem animamque rapit traiecto gutture, at ille
Fronte ferit terram, & craſſum vomit ore cruorem.
Tres quoque Threijcio Boreæ de gente ſuprema,
Et tres quos Idas pater, & terra Iſmara mittit,
Per varios ſternit caſus. occurrit Haleſus,
Auruncęque manus; ſubit & Neptunia proles,
Inſignis Meſſapus equis. expellere tendunt
Nunc hi, nunc illi: certatur limine in ipſo
Auſonię. magno diſcordes æthere venti
Prelia ceu tollunt animis & viribus ęquis:
Non ipſi inter ſe, non nubila, non mare cedunt;
Anceps pugna diu ſtant obnixi omnia contra.
Haud aliter Troianæ acies, acieſque Latinæ
Concurrunt, hęret pede pes, denſuſque viro vir.
Vide reliqua apud Virgilium l. 10. Æn.

At manus interea muris Troiana propinquat
Hetruſcique duces, equitumque exercitus omnis
Compoſiti numero in turmas fremit æquore toto
Inſultans ſonipes, & preſſis pugnat habenis
Huc obuerſus, & huc: tum latè ferreus haſtis
Horret ager, campique armis ſublimibus ardent,
Nec non Meſſapus contra, celereſque Latini,
Et cum fratre Coras, & Virginis ala Camillæ
Aduerſi campo apparent, haſtaſque reductis
Protendunt longè dextris, & ſpicula vibrant:
Aduentuſque virum, fremituſque ardeſcit equorum.
Iam-

Iamque intra iactum teli progreſſus vterque
Subſtiterat: ſubito erumpunt clamore, frementeſque
Exhortantur equos: fundunt ſimul vndique tela
Crebra niuis ritu, cælumque obtexitur vmbra.
Continuò aduerſis Tyrrhenus, & acer Aconteus
Connixi incurrunt haſtis, primique ruinam
Dant ſonitu ingenti: præfractaque quadrupedantum
Pectora pectoribus rumpunt. excuſſus Aconteus
Fulminis in morem, aut tormento ponderis acti,
Præcipitat longè, & vitam diſpergit in auras.
Extemplo turbatæ acies, verſique Latini
Reijciunt parmas, & equos ad mœnia vertunt.
Troes agunt: princeps turmas inducit Aſyas,
Iamque propinquabant portis; rurſuſque Latini
Clamorem tollunt, & mollia colla reflectunt.
Hi fugiunt, penituſque datis referuntur habenis,
Qualis vbi alterno procurrens gurgite pontus
Nunc ruit ad terras, ſcopuloſque ſuperiacit vndam
Spumeus, extremamque ſinu perfundit arenam:
Nunc rapidus retrò, atque æſtu reuoluta reſorbens
Saxa fugit, littuſque vado labente relinquit.
Bis Tuſci Rutulos egere ad mœnia verſos,
Bis reiecti armis reſpectant terga tegentes.
Tertia ſed poſtquam congreſſi in prælia, totas
Implicuere inter ſe acies, legitque virum vir,
Tum verò & gemitus morientum, & ſanguine in alto
Armaque, corporaque, & permiſti cæde virorum
Semianimes voluuntur equi: pugna aſpera ſurgit.
Orſilochus Romuli (quando ipſum horrebat adire)
Haſtam intorſit equo, ferrumque ſub aure reliquit,
Quo ſonipes ictu furit arduus, altaque iactat
Vulneris impatiens arrecto pectore crura:
Voluitur ille excuſſus humi. Catillus Iolam,
Ingentemque animis, ingentem corpore, & armis
Deijcit Herminium: cui nudo vertice fulua
Cæſaries nudique humeri; nec vulnera terrent:
Tantus in arma patet. latos huic haſta per armos
Acta tremit, duplicatque, virum transfixa, dolorem,
Funditur ater vbique cruor: dant funera ferro
Certantes pulchramque perunt per vulnera mortem.
Vide reliqua apud Virgilium l. 11. Æn.

Hæc vbi dicta dedit: portis ſe ſe extulit ingens
Telum immane manu quatiens, ſimul agmine denſo
Anteus, Mneſtheuſque ruunt: omniſque relictis
Turba fluit caſtris: tunc cæco puluere campus
Miſcetur, pulſuque pedum tremit excita tellus.
Ille vocat, campoque atrum rapit agmen apetto.
Qualis vbi ad terras abrupto ſidere nimbus
It mare per medium (miſeris heu præſcia longè
Horreſcunt corda agricolis. dabit ille ruinas
Arboribus, ſtragemque ſatis, ruet omnia late.)
Ante volant, ſonitumque ferunt ad littora venti,
Talis in aduerſos ductor Rhæteius hoſtes

Agmen agit. denſi cuneis ſe quiſque coactis
Agglomerant. ferit enſe grauem Thymbræus Oſirim,
Achatium Mneſtheus, Epulonem obtruncat Achates,
Vfentemque Gyas cadit ipſe Tolumnius augur,
Primus in aduerſos telum qui torſerat hoſtes.
Tollitur in cœlum clamor. verſique viciſſim
Puluerulenta fugæ Rutuli dant terga per agros.
Ipſe neque aduerſos dignatur ſternere morti
Nec pede congreſſos, nec equo, nec tela ferentes
Inſequitur: ſolum denſa in caligine Turnum
Veſtigat luſtrans, ſolum in certamina poſcit. *Et inf.*
Æneas Rutulum Surconem (ea prima ruentes
Pugna loco ſtatuit Teucros) haud multa moratur
Excipit in latus, & quà fata celerrima, crudo
Tranſadigit coſtas, & crates pectoris enſe.
Turnus equo deiectum Amicum, fratremque Diorem,
Congreſſus pedes, hunc venientem cuſpide longa,
Hunc mucrone ferit: curruque abſciſſa duorum
Suſpendit capita, & rorantia ſanguine portat.
Ille Talon, Tranaimque neci, Fortemque Cethegum,
Tres vno congreſſu, & mœſtum mittit Onyten,
Nomen Echionium, matriſque genus Peridiæ.
Hic fratres Lycia miſſos, & Apollinis agris,
Et iuuenem exoſum ne quidquam bella Menœten
Arcada: piſcoſæ cui circum flumina Lernæ
Ars fuerat, pauperque domus: nec nota potentum
Munera, conductaque pater tellure ſerebat,
Ac velut immiſſi diuerſis partibus ignes
Arentem in ſiluam, & virgulta ſonantia lauro
Aut vbi decurſu rapido de montibus altis
Dant ſonitum ſpumoſi amnes, & in æquora currunt
Quiſque ſuum populatus iter: non ſegnius ambo
Æneas, Turnuſque ruunt per prælia nunc, nunc
Fluctuat ira intus; rumpuntur neſcia vinci
Pectora: nunc totis in vulnera viribus itur.
Vide reliqua apud Eundem l. 12. Æn.

Spargitur innumerum diuerſis miſſile votis;
Vulnera pars optat, pars terrę figere tela,
Ac puras ſeruare manus. rapit omnia caſus
Atque incerta facit, quos vult, Fortuna nocentes.
Sed quota pars cladis iaculis, ferroque volanti
Exacta eſt? odijs ſolus ciuilibus enſis
Sufficit, & dextras Romana in viſcera ducit,
Pompeij denſis acies ſtipata cateruis
Iunxerat in ſeriem nexis vmbonibus arma,
Vixque habitura locum dextras, ac tela mouendi
Conſtiterat, gladioſque ſuos compreſſa timebat.
Præcipiti curſu veſanum Cæſaris agmen
In denſos agitur cuneos; perque arma per hoſtem
Quærit iter, quà torta graues lorica catenas
Opponit, tutoque latet ſub tegmine pectus
Hac quoque peruentum eſt ad viſcera, totque per arma
Extremum eſt quod quiſque ferit, ciuilia bella

Vna acies patitur, gerit altera: frigidus inde
Stat glaudius: calet omne nocens à Cæſare ferrum.
Nec Fortuna diu rerum tot pondera vertens
Abſtulit ingentes fato torrente ruinas,
Vt primùm toto diduxit cornua campo
Pompeianus eques, bellique per vltima fudit:
Sparſa per extremos leuis armatura maniplos
Inſequitur, ſęuaſque manus immittit in hoſtem.
Illic quæque ſuo miſcet gens prẹlia telo:
Romanus cunctis petitur cruor; inde ſagittæ,
Inde faces, & ſaxa volant, ſpatioque ſolutæ
Aeris, & calido liquefactæ pondere glandes.
Tunc & Ituræi, Medique, Arabeſque ſoluto
Arcu turba minax, nuſquam rexere ſagittas;
Sed petitur ſolus, qui campis imminet, aer.
Inde cadunt mortes: ſceleris ſed crimine nullo
Externum maculant chalybem, ſtetit omne coactum
Circa pila nefas: ferro ſubtexitur æther,
Moxque ſuper campos telis conſerta pependit.
Vide reliqua apud Lucanum l.7.

........, ſæuus iam clamor & iræ
Hinc atque inde calent nullo venit ordine bellum,
Confuſique duces vulgo, neglecta regentum
Imperia: vnà equites mixti, peditumque cateruæ,
Et rapidi currus. premit indigeſta ruentes
Copia: nec ſe ſe vacat oſtentare, nec hoſtem
Noſcere, ſic ſubitis Thebana, Argiuaque pubes
Conflixere globis retro vexilla, tubæque
Poſt tergum, & litui bellum inuenere ſecuti.
Sidonium Pterelam ſonipes malefidus in armis
Rumpentem frænos diuerſa per agmina raptat
Iam liber. ſic feſſa manus venit haſta per armos
Tydeos, & læuum iuuenis tranſuerberat inguen,
Lambentemque affigit equo. fugit ille perempto
Conſertus domino: nec iam arma aut fræna tenentem
Portat adhuc, ceu nondum anima defectus vtraque
Cùm ſua Centaurus moriens in terga recumbit.
Certat opus ferri, ſternuntque alterna furentes
Hippomedon Sybarim Pylium, Periphanta Meneceus,
Parthenopæus Iryn Sybaris iacet enſe cruento,
Cuſpide trux Periphas, Itys inſidiante ſagitta.
Cæneos Inachij ferro Mauortius Hemon
Colla rapit; cui diuiduum trans corpus hiantes
Truncum oculi quærunt, animus caput arma iacentis
Iam rapiebat Abas: cornu deprenſus Achiua
Dimiſit moriens clypeum hoſtilemque ſuumque. *Et inf.*
Eminet ante alios iam formidantibus aura
Amphiaraus equis, ac multo puluere vertit
Campum indignantem, famulo decus addit inane
Mœſtus, & extremos obitus illuſtrat Apollo,
Ardet inexpleto ſæui Mauortis amore
Et fruitur dextra, atque anima fragrante ſuperbit,
Innumeram ferro plebem, ceu lethifer annus,

Aut iubar aduerſi graue ſideris, immolat vmbris
Ipſe ſuis iaculo Phlegyam, iaculoque ſuperbum
Phylea: falcato Chromin, & Cremetaona curru:
Cominus hunc ſtantem metit, hunc à poplite ſectum:
Cuſpide demiſſa Chromiu, Phinoumque, Segemque,
Intonſumque Gyan, ſacrumque Lycorea Phœbo
Inuitus; iam fraxineum demiſerat haſtæ
Robur & excuſſis apparuit infula criſtis,
Alcathoum ſaxo cui circum ſtagna Caryſti
Et domus, & coniux, & amantes littora nati.
Vide reliqua apud Statium l. 7. Theb.

Principium pugnæ turmas Aſopius Hypſeus
Oebalias (namque hæ magnum, & gentile tumentes
Euboicum duris rumpunt vmbonibus agmen)
Repulit erepto cunei ductore Menalca.
Hic & mente Lacon crudi torrentis alumnus
(Nec turpauit auos) haſtam intra pectus euntem
(Ne pudor in tergo) per & oſſa, & viſcera retro
Extrahit, atque hoſti dextra labente remittit
Sanguineam, dilecta genis morientis oberrant
Taygeta, & pugnæ, laudataque verbera matri.
Phœdimon Iaſiden arcu Dircæus Amyntas
Deſtinat (heu celeres Parcæ) iam palpitat aruis
Phædimus, & certi nondum tacet arcus Amintæ,
Abſtulit ex humero dextrum Calydonius Agreus
Phegeos; illa ſuum terra tenet improba ferrum,
Et mouet, extimuit ſparſa inter tela iacentem
Progrediens, truncumque tamen percuſſit Acates,
Iphin atrox Atamas, Argum ferus impulit Hypſeus,
Strauit Abanta Pheres, diuerſaque vulnera flentes
Iphis eques, pede Argus, Abas auriga iacebant.
Cultor Ion Piſæ, cultorem Daphnea Cyrthæ
Turbatis proſtrauit equis; hunc laudat ab alto
Iuppiter, hunc tardus fruſtra miſeratur Apollo.
Ingentes fortuna viros illuſtrat vtrinque
Sanguine in aduerſo: Danas Cadmeius Æmon
Sternit, agitque furens, ſequitur Tyria agmina Tydeus,
Ibat fumiferum quatiens Oncheſtus Idas
Lampada per medios, turbabatque agmina Graium
Igne viam rumpens. magna quem comminus ictu
Tydeos haſta feri diſcuſſa caſſide fixit.
Ille ingens in terga iacet: ſtat fronte ſuperſtes
Lancea, collapſæ venerunt in tempora flammę,
Inde velut primo Tigris gauiſa cruore
Per totum cupit ire pecus; ſic Aona ſaxo,
Enſe Pholum, Chromin enſe, duos Helicaonas haſta
Tranſigit, Ageæ Veneris quos Mœra ſacerdos
Ediderat prohibente Dea. vos præda cruenti
Tydeos, it ſęuas etiam num mater ad aras.
Vide reliqua apud Statium l 8. Theb.

Incurrunt acies, magnoque fragore per æquor
Suſpendunt cuncti frænis ſublime reductos
Cornipedes, vltròque ferunt; erectus in auras

R

It ſonipes, rapidaque volans per aperta procella
Tenuia vix ſummo veſtigia puluere ſignat
Boiorum ante alias Chlyxo duce mobilis ala
Arietat in primos, obicitque immania membra
Ipſe tumens, ataui Brenni ſe ſtirpe ferebat
Chryxus & in titulos Capitolia celſa trahebat.
Sternitur impulſu vaſto percuſſa Camertum
Prima phalanx, ſpiſſæque ruunt conferta per arma
Vnde Boiorum, ſociata examina denſant
Infandi Senones, colliſaque quadrupedantum
Pectoribus, toto voluuntur corpora campo.
Arua natant, altuſque virùm cruor, altus equorum
Lubrica belligeræ ſorbet veſtigia turmæ:
Seminecum lethum peragit grauis vngula pulſu,
Et circumuolitans tetros è ſanguine rores
Spargit humo miſeriſque ſuo lauit ora cruore,
Spicula prima puer timidi Tyrrhene Pelori
Purpureo moriens victricia ſanguine tingis *Et inf.*
At Mago, & vertiſſe globos, primumque laborem,
Qui ſolus genti eſt caſſum videt; arma ſuorum
Ac primum in pugnas equitem vocat vndique nudi
Aſſiliunt frænis, infrænatique manipli.
Nunc Itali in tergum verſis referuntur habenis,
Nunc rurſus Tyrras retrò pauor aduehit alas:
Aut illi dextros lunatis flexibus orbes,
Aut illi læuos ſinuant in cornua gyros,
Texunt alterno glomerata volumina curſu,
Ac cædem refugam cedentes arte reſoluunt:
Aduolat aurato præfulgens murice ductor
Sidonius, circaque metus, terrorque, furorque.
Iſque vbi Callaici radiantem tegminis orbem
Extulit, & magno percuſſit lumine campos,
Spes, virtuſque cadit, trepidaque à mente recedit
Vertere terga pudor, nec lethi cura decori,
Sed fugere infixum eſt, terræque optantur hiatus.
Non illum Metabus, non illum celſior Vfens,
Euaſere tamen, quamuis hic alite planta,
Hic ope cornipedis totis ferretur habenis.
Nam Metabum ad manes demiſit cuſpide fulgens
Fraxinus, Vfentem collapſum poplite flexo
Enſis obit, laudemque pedum cum ſanguine ademit.
Iamque dedit letho Stemium, Laurumque, domoque
Collinum gelida, vitreo quem Fucinus antro
Nutrierat, dederatque lacum transmittere nando.
Vide reliqua apud Sil. Italicum l. 4.
Primæ Picentum, rupto ceu turbine, fuſa
Agmina, & Annibalem ruere vt videre cohortes,
Inuadunt vltrò, & pœnas pro morte futura
Turbato victore petunt, Martemque repuſcunt.
Funditur vnanimo niſu, & concordibus auſis
Pilorum in Pœnos nimbus fixoſque repulſi
Submittunt clypeos curuati pondere teli.
Acrius hoc rurſum Lybis, & præſentia ſæui

Extimulat ducis, hortantes ſe quiſque viciſſim
Incumbunt, preſſoque impellunt pectore pectus.
Arreptus pulchro cædum Lateranus amore
Dum ſequitur dextram, in medios penetrauerat hoſtes
Quem poſtquam florens æquali Lentulus æuo
Conſpexit, nimium pugnę, nimiumque cruoris
Infeſtas inter non æquo Marte cateruas
Fata irritantem, niſu ſe concitat acri
Immitemque Pagam, qui iam vicina ferebat
Vulnera pugnantis tergo velocior haſta
Occupat, & ſocium duris ſe caſibus addit.
Tunc alacres arma agglomerant, geminaque coruſci
Fronte micant, paribus fulget capita ardua criſtis. *Et inf.*
Nec minus accenſis in mutua funera dextris
Parte alia campi ſæuit furor, altus Hiertes
Obtruncat Nerium, Rullo ditiſſimus agri
Occumbis generoſe Volunx, nec clauſa repoſtis
Pondera theſauris, patrio, nec regia quondam
Præfulgens ebore, & poſſeſſa mapalia Soli
Profuerint quid rapta iuuant? quid gentibus auri
Nunquam extincta ſitis? modò quem fortuna fouendo
Congeſtis opibus, doniſque referſit opimis
Nudum tartarea portauit nauita cimba.
Iuſta bellator iuuenilibus Appius auſis
Pandebat campum cæde; atque vbi plurima virtus,
Nullique aſpirare vigor, decus inde petebat.
Obuius hinc altas extremæ cultor arenæ
Impetit os haſta, leu terque è corpore ſummo
Deguſtat cuſpis generoſum extrema cruorem,
Intonuere minæ, violentaque lumina flammis
Exarſere nouis; furit, & diffulminat omnem
Obſtantum turmam, & clauſum ſub caſſide vulnus
Martia commendat mananti ſanguine membra.
Enſe ferit tum colla viri, dextramque micantem
Demetit, ac mutat ſucceſſu ſæuior hoſtem.

Vide reliqua apud Sil. Italicum l. 5.

Vide apud eundem l. 7. & 17.

Aſt vbi confertis iunxere frementia telis
Agmina, virque virum galeis afflauit adactis:
Continuò hinc obitus, perfractaque cædibus arma,
Corporaque: alternus cruor, alternæque ruinæ.
Voluit ager galeas, & thorax egerit imbres
Sanguineos: hinc barbarici glomerantur ouatus:
Hinc gemitus, mixtæque virum cum puluere vitę.
Caſpius Æeum correpto crine Monoſen
Abſtulit, hunc pariter Colchi, Graijque ſequuntur
Miſſilibus: rapit ille necem, prędamque relinquit,
Nec ſocijs iam cura viri. Dipſanta Careſus
Strimonaque obſcura ſpargentem vulnera funda
Deijcit; Albani iacet ipſe Cremedonis haſta:
Iamque latet, curruſque ſuper turmæque feruntur
Proceſſere Melas, & Idaſmes: incipit haſta
Ante Melas, leuis eſt abies eluſit vtrumque.

Enſi-

Enſibus inde ruunt: prior occupat ære citato
Caſſidis ima Melas, infracta eſt vulnere ceruix,
Mixta perit virtus. neſcit cui debeat Oebreus,
Aut cui fata Tyres. dum ſibila reſpicit Iron
Cuſpidis argiuæ, Pyliam latere accipit haſtam.
Viderat Hircanos paribus diſcurrere fratres
Caſtor equis, pater armento quos diues ab omni
Nutrierat, ſatiſque viam monſtrarat iniquis.
Tum magis atque magis peditem candore notato
Tyndariden incendit amor: ſimul obuius haſtam
Pectus in aduerſum grauiter iacit, alipedemque
Conſtitit excuſſo victor duce. riſit ab alta
Nube pater, prenſiſque equitem cognouit habenis.
At pariter luctuque furens, viſuque Medores
Tyndariden petit, & ſuperos ſic voce precatur:
Hunc age, vel cæſo comitem me reddite fratri,
Primus & hic noſtra ſonipes cadat impius haſta,
Credita qui miſero non rettulit arma parenti.
Meque venit contrà, captiuaque terga miniſtrat.
Dixerat, Actæi ſed eum prior haſta Phaleri
Deijcit, ad ſocias ſonipes citus effugit alas.

Vide reliq. apud Val. Flaccum l. 6. Arg.

.... ad frontem agminis
Prouectus, haſta miſſili exorſum dedit
Omenque pugnæ: fulmen intortum ducis
Nimbus ſecutus ferreus ſolem eripit:
Sub nube ſurgit pugna telorum aſpera;
Exoritur ingens clamor, & cœlum ferit.
Fit gradus, & omnes ſternitur telis ſolum:
Virum vir vrget, inſtat & ferro premit:
Impulſa ſcutis ſcuta dant ſonitum, & graui
Galeę gemunt flictu. vndique effuſus cruor
Excurrit, ardor cęde crudeſcit fera.

P. Bern. Stephonius in Criſ. ac. 1. ſc. 3.

Extemplo commiſſæ acies ſpar'umque per auras
Miſſile, & incerta volitantia cuſpide pila.
Vmbranturque nigræ iaculis pendentibus vmbræ.
Sed neque mentiri vulnus, nec fallere dextram
Crimen erat ſolas cornus cùm figeret auras,
Crimen inaſpecto nox diluit humida velo,
Pars tamen ignotos membris hauſere cruores
Et nodos rupere animæ. Maxentia cunctas
Ludunt pila manus ſpatijs iaculata remotis.
Nec non quiſque ſuæ ſpargebat vulnera gentis
Seu ferro, ſaxoue potens, aut verbere fundæ,
Aeraque innumeris figit ſine lege ſagittis.
Protinus ira minax in vulnera ſufficit enſes.
Cuncta adeò armorum ſonitus, clangorque tubarum,
Et diſiecta furor confuderat agmina; nec dum
Cognita ſigna ſui, tenebris horrentibus, hoſtis.
Sic regna Scythicum moderantem Pontica Regem
Pompeio ſuperare datum, cùm regia caſtris
Magnus ad Euphratem premeret iam caſtra lacinis,

Noctis in obſcurum Romæque, Aſiæque potentes
Conflixere manus. totoque argentea cornu
Luna palatinas à tergo elata volucres
Vidit, & obtutus hominum fallentibus vmbris
Grandia produxit ſimulatis corpora membris.
Interea læuos incurrere ſenſerat hoſtes
Ruricius, motaque ſuos legione labantes,
Inuehiturque: vnàque ſubit denſiſſima pubes.
Excipit Artemius venientem protinus vndam,
Oppoſuitque pares armis animiſque cohortes.
Ille ter impreſſo tranſuerberat enſe Neronem
Virginiumque, oculis lapſi qui vulnera fratris
Hauſerat, & ſimili labentem eſt morte ſecutus,
Tunc denſos inter cuneos mucrone, manumque
Laxat iter, ſequiturque ducem non pigra iuuentus,
Et ferit, & ferro perruptus ſternitur hoſtis.
Ruricius contrà campi per aperta reducens
Confertis vexilla globis, ſtragemque metuque
Iam Salium iaculo, Meliumque, haſtaque Sabellum
Strauerat, immanis vibrantem ſpicula quercus.
Obiecit ſe ſe Carius, quem ſequana quondam
Celticus hibernis naſcentem lauerat vndis;
Fraxineaque ducem iacta premit eminus haſta.
At redit à clypeo multo cum fragmine telum.
Illi Ruricius ſed telo immitis adacto
Sanguineo vndantes immergit flumine vultus.
Vide reliqua apud P. Alex. Donatum l. 1. Conſt.
Signa tubæ dederant, & ahena cornua cantum.
Quiſque tamen pugnam dextraque & voce iubebat
Iam ſtridunt liquidas Conſtantia pila per auras.
Perſonat excuſſis non ſegnior aera neruis
Hoſtis, & effundens calamo defixa volanti
Vulnera præcipitem contexit in æthere nubem,
Vndique lapſa furit volucri mors credita telo,
Eminus at contorta furor pendere iubebat
Funera. denſantur cunei, clypeataque contrà
Obuerſis compreſſa acies mucronibus ardet;
Inque artus ſcrutatus ſplenduit enſis in enſem,
Immerſuſque calet calido magis amne cruoris,
Non lorica tegit conſerta tenacibus hamis,
Non ſquamis per membra chalybs innexus ahenis.
Indefenſa ſubit penetrabile viſcera ferrum
Vitam indignantem lacerans, fruſtraque latentem.
Sed quamuis numero obruitur, tamen enſe cateruas
Flauius irrumpit miles, perque agmina pandit
Denſus iter, prohibent immota phalangibus arma
Germanis, durique ſonant in ſcuta dolones.
Et prætenta ſeges fodientibus accubat haſtis.
Ecce Arctous eques latos patefacta per agros
Cornua contraxit, laxiſque Aurelia frænis
In latera ſtragem curſu violentus agebat.
Stat defixa loco, peditemque, equitemque moratus
Conſtantina manus, vultuque, ac vulnere turbat.
Illi

Illi vrgent, contra inſtat eques, teloque trabali
Imminet. ora pedes ſtricto mucrone petebat,
Corporaque, hoſtiles contundit & enſibus enſes,
Senſit vt aduerſæ non æqua pericula pugnæ,
Et iam ceſſuras nimium tentaſſe cohortes
Dalmatius, turmis ſe ſe glomerantibus infert
Tum ciet ore viros, dictiſque exempla miniſtrat:
Certando certare docens. languentia feſſis
Exprobrat, aut manibus dequeſtus hebeſcere tela.
Lapſantes alios releuat: Martiſque per ignem
Ardentes ardere magis, totaſque iubebat
Hoſtis in obſtrictas acies effundere flammas.
Sed pauci feſſique labant, neque tendere contra
Innumeros, latoque valent conſiſtere campo,
Aut inferre pedem, ſtabilemque inducere pugnam.
Barbarus ordinibus, nexiſque hoc denſior armis
Tendit in aduerſos, & equeſtri impulſa procella
Ferrea vulnifico nubes quatit agmina nimbo.
Fit cædes, trunciſque abeunt ſua corpora membris:
Cumque viris calcantur equi, perfoſſaque ferro
Arma iacent, ſe ſeque rotant fracta arma viciſſim,
Diſciſſæque haſtis haſtæ, diſcuſſaque cuſpis
Cuſpide, & enſe enſis: lacerantque volantia ventos
Fragmina. *Apud eundem l 7. Conſt.*

At Deus egregium pugnæ accendebat amorem
Militibus. campo inſilijt quæ prima rotatis
Iuſſa manus fundis liuentia ſpargere plumbi
Pondera: contortæ ſtrident ſciſſo aere glandes,
Scuta aduerſa virum, & galeis cedentibus ora
Denſaque effractę crepitant ſub grandine coſtę.
Plumbea tempeſtas equites hoc turbine primos
Corripuit, ſtrauitque ſolo: nam plurima ſaxis
Crura labant eliſa; cadunt; claudique reſiſtunt
Cornipedes; partim amiſſis raptantur habenis:
Lapſi equites: cerebrum campo cum ſanguine miſcet
Vngula. confuſis hac primùm ſtrage maniplis,
Conſumptoque ſoli ſpatio, quod plurima ſternunt
Corpora quadrupedum ſtupidis languentia neruis;
Afflictique duces caſu, concedere retrò
Compulſi, vt medię ſpatium reddatur arenę.
Nunniades inſtare ſuos hortatur, & ardens
Ipſe prior campum medium, ſtragemque per ipſam
Occupat, & perſultat equos, equitumque iacentum
Funera, cedentique leuem rurſum admouet hoſti
Militiam: exhauſtis pubes acerrima fundis
Vertitur ad pharetras: cœlum latet omne ſagittis:
Obuia tela volant hinc inde ſonantia curuis
Arcubus, & rubeæ ſtridunt ceu fulgura pennæ.
Vertit Idumęas iterum ſeges ærea turmas,
Nullaque non ictu certo peruenit arundo,
Exitiumque tulit. contrà torpentibus alis
Tela Amaleciadum medio languentia curſu
Decidere ante pedes, campoque innoxia figi,

Iſacidæ vellunt alacres, hoſtique remittunt
Cornibus excuſſos hamata cuſpide iuncos.

P. Ant. Millieus l.7. Via to. 1.

Iamque volat campo miles tranſuectus aperto
Atque repentinis hoſti ſuperimminet armis.
Ille fugam lento ceſim per deuia paſſu
Inſtruit in pugnæ ſpeciem, preſſoque recedit
Agmine cunctanti ſimilis; pede feruidus viget
Vndique, terga premens Gallus, captimque maniplos
Vellicat extremos, donec prope victa pudore
Subſtitit, & iuſſos ſe ſe collegit in orbes
Clade ſua noſtros acies auctura triumphos.
Eſt locus, extructo qua circumfuſa domatur
Aggere, non albi preſſę veſtigia plantæ
Admiſſura palus; huc toto pondere vergens
Incubuit ſæuæ tempeſtas horrida pugnæ.
Quà datus excurrit limes, ſtat ferrea belli
Silua, ſegeſque ferax mortis procul ęre coruſco
Omnis inardeſcit ſolis ſub lumine tellus,
Et tremuli circùm radiantis imagine Martis
Fluctuat Oceani tunc concolor vnda prop'nqui,
Concurrunt geminæ lunatis robora gentis
Frontibus; impulſu volat eminus acta ſonanti
Multiplicem ſparſura necem, denſoque recurrens
Turbine per medias grando furit ænea turmas.
Alterna Bellona vices, & mutua ferro
Damna ferit, cædemque ſibi pro cęde reponit.
Par cuneis ardor miſtis: ſternuntque, caduntque
Vincentes victique ſimul; pars nulla pericli
Parte vacat, nutant acies; conſurgit vtrinque
Sternentum clamor pariter, pariterque cadentum;
Aſſenſu valles dubio, colleſque reſultant.
Gallica ſed dubiæ tandem diſcrimina ſortis
Explicat ingeminans, virtus, & euntia vindex
Diſſipat, ac retrò verſis quatit agmina ſignis.
Fit via vi; numero paſſim rareſcit hianti
Anglorum manus, & tabulatum clade ſuorum
Anguſtat fugiens pontem; natat vndique cædes,
Deſuetumque bibit tellus madefacta cruorem.

Apud P. Laur. le Brun. to. 2. El. Poet.

Heu quanta vidi prælia, cùm Dacis
Conſertus haſtis campus, & horridi
Collata tempeſtas Gradiui
Ambiguis fluitaret armis:
Suſpenſa paulùm ſubſtitit alitis
Procella ferri; donec ahenea
Hinc inde nubes ſulphurato
Plurima detonuiſſet igni.
Tum verò ſignis ſigna, viris viri,
Dextræque dextris & pedibus pedes,
Et tela reſpondere telis
Et clypeis clypei retundi.
Non tanta campos grandine verberat
Niualis Arctos, non fragor Alpium Tan-

Tantus renitentes ab imo
Cùm violens agit Auſter ornos.
Hinc quantus atque hinc impetus æreo
Defuſus imbri. miſcet opus frequens
Furorque, virtuſque, & perenni
Immoritur breuis ira famæ.
Diu ſupremam nutat in aleam
Fortuna belli. ſtat numeroſior
Hinc peſſus, hinc contra Polonus
Exiguis metuendus alis
Sed quid Cydones, quid pauidi Dahæ
Molleſque campos cedere Concani,
Quid Seres, auerſoque pugnax
Parthus equo, Cilicumq; turmæ.
Contra ſequacis pectora Sarmatæ
Poſſent fugaces? hinc ruit impiger
Polonus, hinc Lithuanus, atro
Quale duplex ruit axe fulmen:
Heu quale ſæuus fulminat æneo
Boruſsus igni. non ego Liuonum
Pugnas, & inconſulta vitæ
Tranſierim tua Ruſſe ſigna.
Vobis fugaces vidi ego Biſtonum
Errare lunas, ſignaque barbaris
Direpta vexillis, & actam
Retrò equitum, peditumque nubem.

Pugna naualis. Vide hunc Titulum inter Aquatica. P. Caſ. Sarbieuius Lyr. l. 4. Ode 4.

Monomachia ſingulare certamen.

TAlis ſe vaſtis infert Mezentius armis.
Huic contrà Æneas ſpeculatus agmine longo
Obuius ire parat: manet imperterritus ille,
Hoſtem magnanimum opperiens, & mole ſua ſtat:
Atque oculis ſpatium emenſus, quantum ſatis haſtæ
Dextra mihi Deus, & telum quod miſſile libro,
Nunc adſint: voueo prædonis corpore raptis
Indutum ſpolijs, ipſum te Lauſe trophæum
Æneæ. dixit, ſtridentem eminus haſtam
Iecit: at illa volans clypeo eſt excuſſa, proculque
Egregium Anthorem latus inter, & ilia figit.
Sternitur infelix alieno vulnere, cœlumque
Aſpicit, & dulces moriens reminiſcitur Argos.
Tum pius Æneas haſtam iacit: illa per orbem
Ære cauum triplici, per linea terga, tribuſque
Tranſijt intextum tauris opus, imaque ſedit
Inguine: ſed vires haud pertulit. ocyus enſem
Æneas, viſo Tyrrheni ſanguine lætus
Eripit à femore, & trepidanti feruidus inſtat. *Et inf.*
Deſine, iam venio moriturus, & hæc tibi porto
Dona prius. dixit, telumque intorſit in hoſtem.
Inde aliud ſuper, atque aliud figitque, volatque
Ingenti gyro: ſed ſuſtinet aureus vmbo.

Ter

Ter circum adſtantem læuos equitauit in orbes,
Tela manu iaciens: ter ſecum Troius heros
Immanem ærato circumfert corpore ſiluam.
Inde vbi tot traxiſſe moras, tot ſpicula tædet
Vellere, & vrgetur pugna congreſſus iniqua,
Multa mouens animo, iam tamdem erumpit, & inter
Bellatoris equi caua tempora conijcit haſtam.
Tollit ſe arrectum quadrupes, & calcibus auras
Verberat, effuſumque equitem ſuper ipſe ſecutus
Implicat, eiectoque incumbit cernuus armo
Aduolat Æneas, vaginaque eripit enſem;
Et ſuper hæc. *Et infra.*
Hæc loquitur, iuguloque haud inſcius accipit enſem.

Virg. l. 10. Æn.

Atque illi vt vacuo patuerunt æquore campi,
Procurſu rapido coniectis eminus haſtis,
Inuadunt Martem clypeis, atque ære ſonoro:
Dat gemitum tellus. tum crebros enſibus ictus
Congeminant; fors & virtus miſcentur in vnum.
Emicat hic impunè putans, & corpore toto
Altè ſublatum conſurgit Turnus in enſem.
Et ferit. exclamant Troes, trepidique Latini,
Arrectæque amborum acies, at perfidus enſis
Frangitur, in medioque ardentem deſerit ictu,
Ni fuga ſubſidio ſubeat: fugit ocyor Euro
Vt capulum ignotum, dextramque aſpexit inermem
Ergo amens diuerſa fuga petit æquora Turnus:
Et nunc huc, inde huc incertos implicat orbes.
Vndique enim denſa Teucri incluſere corona,
Atque hinc vaſta palus, hinc ardua mœnia cingunt. *Et inf.*
Nec plura effatus, ſaxum circumſpicit ingens,
Saxum antiquum, ingens, campo qui forte iacebat
Limes agro poſitus, litem vt diſcerneret aruis.
Vix illud lecti bis ſex ceruice ſubirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus,
Ille manu raptum trepida torquebat in hoſtem
Altior inſurgens & curſu concitus heros.
Sed neque currentem ſe, nec cognoſcit euntem,
Tollentemve manu, ſaxumve immane mouentem.
Genua labant, gelidus concreuit corpore ſanguis.
Tum lapis ipſe viri vacuum per inane volutus
Nec ſpatium euaſit totum, nec pertulit ictum.
Cunctanti telum Æneas fatale coruſcat,
Sortitus fortunam oculis, & corpore toto
Eminus intorquet, murali concita nunquam
Tormento ſic ſaxa fremunt, nec fulmine tanti
Diſſultant crepitus. volat atri turbinis inſtar
Exitium dirum haſta ferens, oraſque recludit
Loricæ, & clypei extremos ſeptemplicis orbes,
Per medium ſtridens tranſit femur. incidit ictus
Ingens ad terram duplicato poplite Turnus.

Virg. l. 11. Æn.

In-

Inſtaurant crudele nefas: rex impius aptat
Tela, & funeſta caſum prior occupat haſtæ.
Illa viam medium clypei conata per orbem
Non præfert ictus, atque alto vincitur auro.
Tunc exul ſubit, & clarè funeſta precatur
Dij quos effoſſo non irritus ore rogauit
Oedipodes, firmate nefas: non improba poſco
Vota; piabo manus, eodem pectora ferro
Reſcindam, dum me moriens hic ſceptra tenentem
Linquat, & hunc ſecum portet minor vmbra dolorem.
Haſta ſubit velox equitis femur inter equ'que
Ilia, lethum vtrique volens; ſed plaga ſedentis
Laxato vitata genu. tamen irrita voti
Cuſpis in obliquis inuenit vulnera coſtis
It præceps ſonipes ſtrictæ contemptor habenæ,
Aruaque ſanguineo ſcribit rutilantia gyro:
Exultat, fratris credens hunc eſſe cruorem,
Credit & ipſe metu. totis iamque exul habenis
Indulget, cœcuſque auidos illidit in ægrum
Cornipedem curſus; miſcentur frœna, manuſque
Telaque, & ad terram turbatis greſſibus ambo
Præcipitant vt nocte rates, quas nubilus Auſter
Implicuit, frangunt tonſas, mutantque rudentes.
Luctatæque diu tenebris, hyemique, ſibique,
Sicut erant, imo pariter ſedere profundo.
Hæc pugnæ facies coeunt ſine more, ſine arte
Tantum animis, iraque, atque igneſcentia cernunt
Per galeas odia, & vultus rimantur acerbo
Lumine. nil adeò mediæ telluris, & enſes
Impliciti, nexæque manus, alternaque ſæui
Murmura, ceu lituos rapiunt, aut ſigna turbarum *Et inf.*
Fratris vterque furens cupit, affectatque cruorem
Et neſcit manare ſuum, tandem irruit exul,
Hortatuſque manum cui fortior ira, nefaſque
Iuſtius. aliè enſem germani in corpore preſſit,
Quà male iam plumis imus tegit inguina thorax,
Ille dolens nondum, ſed ferri frigore primo
Territus, in clypeum turbatus colligit artus,
Mox intellecto magis ac magis æger anhelat
Vulnere, nec parcit cedenti, atque increpat hoſtem.
Sic pugnant miſeri, reſtabat laſſa nefando
Vita duci, ſummuſque cruor: poterant parumper
Stare gradus: ſed ſponte fuit; fraudemque ſupremam
In media iam morte parat. clamore Cithæron
Erigitur: fraterque ratus viciſſe, leuauit
Ad cœlum palmas: Bene habet, non irrita voui.
Cerno graues oculos, atque ora natantia letho.
Huc aliquis propere ſceptrum, atque inſigne comarum,
Dum videt. hæc dicens greſſus admouit, & arma
Ceu templis decus, & patriæ laturus ouanti,
Arma, etiam ſpoliare cupit. nondum ille peractis
Manibus, vltricemque animam ſeruabat in iras.
Vtque ſuperſtantem, pronumque in pectore ſenſit,

Eri-

Vtque ſuperſtantem, pronumque in pectore ſenſit,
Erigit occultè ferrum, vitæque labantis
Relliquias tenues odio ſuppleuit, & enſem
Iam lætus frater fratris ſub corde reliquit.

Statius l. 11. Theb.

Nec mora citato ſpatia procurſu vorant
Hinc Conſul, illinc Barbarus; quantus Noto
Decertat Aquilo, iura cùm repetunt maris.
Par ille ſcopulo prælium miſſa procul
Inuadit haſta certa quæ celeri fuga
Allapſa, pinnas Conſulis cono abſtulit:
Nec parcit agmen iurgijs: iſthæc prius
Cape dona, dixit: ſæue Myſtarum metus:
Mox alia capies. pube iuuenili aureum
Diffibulata caſſide exertans caput
Horrendum in armis intonat ductor meus,
Cœlumque lætus ſuſpicit. rapto impetu
Haſtam lacerto vibrat. horriſonas volat
Iucita per auras vulnus haud dubium ferens,
Per & coruſcis aſperam gemmis, per &
Auro trilicem miſſa loricam, bibit
Altum cruorem, vita quâ thalamum ſuum
Animæ recentis folle vitali fouet.

P. Ber. Stephonius in Criſ. ac. 1. ſc. 3.

Sic illic alternis iratæ exordia pugnæ.
Intendere minis, & adactæ in vulnera mentis
Miſſa prius geminæ ſonuerunt ſpicula linguæ.
Inde manus ſua tela rotant: vibrat ictibus enſis
Fulmineus, ſonituque cadens ſuper arma reſultat:
Viribus impulſus collimat ad ilia mucro:
Artibus illuſus declinat, & irrita peccat
Vulnera, defixas ictuque exerrat in auras.
Altior extulerat, tortumque in tempora ferrum
Dacus agit. doluit Criſpus, ferroque viciſſim
Intulit effuſas totis cum viribus iras,
Direxitque. ferit mediam inter lumina frontem
Perfoditque enſis: patuitque abrupta cruento
Ora ſupercilio: tum flumine ſanguis inundat.

P. Alex. Donatus l. 12. Conſt.

Vidit, & in pugnam ſe rurſum exſuſcitat ira
Criſpus, & intorta reſonat prænuncia cornu
Signa: nec oblato refugis iuuenile periclo
Heu periture, decus; reuocaſque, cieſque vocantem
Romule, prætentaſque leui certamina telo.
Et iam cornipedes geminis calcaribus actos
Arua timent: ſenſiſſe pedes enenſa volantes
Mox tamen arua negant. ſed curſu intenta volucris
Celatum clypeis veſtigat, & irrita pectus
Lancea declinat; ſitienſque rubentia venis
Flumina nonnullos bibit errabunda cruores.
Sæuior at ferri rabies, quàm raſilis orni.
Nudat vterque habilem vagina, enſemque coruſcat,
Aggrediturque parem. mucro modò certus ad ictum

Di-

Dirigitur: tranſuerſa rotans modo vulnera cæſim.
Demiſſuſque gerit: clypei vix corpora celant.
Fulgurat elatum, fert dira tonitrua labens,
Arma quatit ſubito commixtum fulmine telum.
Ecce ferit Criſpus: cœcique error: metalli
Obuerſum traiecit equum, quem flumine largo
Senguinis vnda lauit: foſſuſque, & vulneris alti
Impatiens dum calce notos, ſimul ore lupatum
Frangit, & humenti declinat puluere dorſum. *Et inf.*
Talis inardeſcens plagamque vlturus in hoſtem
Tela mouet Criſpus. ſed enim grauis ira dolorque
Certandi iura abſciderant: ſine lege rotatum
Vis enſem obliquat, ſine lege intorquet adactum.
Impetus arma regit. ferroque retundere ferrum,
Aut clypeo munire latus iam Romulus acer
Haud potis, & raptos ſibi Martis inhorruit auſus,
Tibia iamque fluit, tepido iam ſanguine ceruix
Indoluit, ſtimuliſque heros impulſus agebat
Bellandi ſimiles furiatis viribus artes.
Enſis ab hoſte cadens iterum cui tempora pulſat.
Læuis at illæſum proiecit caſſida ferrum,
Et loris auulſa cadit; perfuſaque multo
Sudore affulſit rubicundæ gratia formæ.

P. Alex. Don. ibid.

Pugna vnius cum multis.

TAlibus accenſi firmantur, & agmine denſo
Conſiſtunt. Turnus paulatim excedere pugna
Et fluuium petere, ac partem quæ cingitur amni.
Acrius hoc Teucri clamore incumbere magno,
Et glomerare manum, ceu ſæuum turba leonem
Cum telis premit infenſis. at territus ille
Aſper, acerba tuens retrò redit, & neque terga
Ira dare, aut virtus patitur, nec tendere contra.
Ille quidem cupiens potis eſt per tela, viroſque.
Haud aliter retrò dubius veſtigia Turnus
Improperata refert; & mens exæſtuat ira,
Quin etiam bis rum medios inuaſerat hoſtes,
Bis conuerſa fuga per muros agmina vertit.
Sed manus è caſtris properè coit omnis in vnum.
Ergo nec clypeo iuuenis ſubſiſtere tantum,
Nec dextra valet; iniectis ſic vndique telis
Obruitur: ſtrepit aſſiduo caua tempora circum
Tinnitu galea, & ſaxis ſolida æra fatiſcunt.
Diſcuſſæque iubæ capiti. nec ſufficit vmbo
Ictibus; ingeminant haſtis & Troes, & ipſe
Fulmineus Mneſtheus. tum toto corpore ſudor
Liquitur & piceum (nec reſpirare poteſtas)
Flumen agit: feſſos quatit æger anhelitus artus.
Tum demum præceps ſaltu ſe ſe omnibus armis
In fluuium dedit: ille ſuo cum gurgite flauo

Accepit venientem, ac mollibus extulit vndis,
Et lætum ſocijs abluta cæde remiſit.

Virg. l. 9. Æn.

.... ille ruenti
Aggere conſiſtit primumque cadauera plenis
Turribus euoluit, ſubeunteſque obruit hoſtes
Corporibus, totæque viro dant tela ruinæ.
Roboraque, & moles, hoſti ſeque ipſe minatur.
Nunc ſude, nunc duro contraria pectora conto
Detrudit muris, & valli ſumma tenentes
Amputat enſe manus, caput obterit oſſaque ſaxo,
Ac male defenſum fragili compage cerebrum
Diſſipat: alterius flamma crineſque, genaſque
Succendit: ſtrident oculis ardentibus ignes.
Vt primùm cumulo creſcente cadauera murum
Admouere ſolo: non ſegnior extulit illum
Saltus, & in media iecit ſuper arma cateruas,
Quam per ſumma rapit celerem venabula pardum.
Tunc denſos inter cuneos compreſſus, & omni
Vallatus bello vincit, quem reſpicit hoſtem.
Perdidit enſis opus. frangit ſine vulnere membra.
Illum tota premit moles, illum omnia tela.
Nulla fuit non certa manus, non lancea felix:
Parque nouum fortuna videt concurrere bellum,
Atque virum fortis crebris ſonat ictibus vmbo.
Et galeæ fragmenta cauæ compreſſa perurunt
Tempora, nec quidquam nudis viralibus obſtat
Iam præter ſtantes in ſummis oſſibus haſtas.

Lucanus l. 6.

Mox in plana libens nudo ne pectore tela
Inciderent, ſaltu præceps defertur, & orbem
Quem procul oppreſſo vidit Therone volutum
Corripuit, tergoque, & vertice tegmine noto
Septus & hoſtili propugnans pectora parma
Conſtitit, inde iterum denſi glomerantur in vnum
Ogygidæ, firmantque gradum. trahit ocyus enſem
Biſtonium Tydeus, Mauortia munera magni
Oeneos, & partes pariter diuiſus in omnes
Hos obit, atque illos, ferroque micantia tela
Decutit, impediunt numero, ſeque ipſa viciſſim
Arma premunt. nec vis conatibus vlla, ſed ipſa
In ſocias errare manus, & corpora turba
Inuoluit prælapſa ſua; manet ille cruentis
Anguſtus telis, & inexpugnabilis obſtat,
Huc illuc clypeum obiectans, ſeque ipſe recedens
Circuit: interdum trepidis accurrit, & inſtat
Spicula diuellens; clypeo quæ plurima toto
Fixa tremunt, armantque virum; ſæpe aſpera paſſum
Vulnera, ſed nullum vitæ in ſecreta receptum
Nec mortem ſperare valet, rotat ipſe furentem
Dielochum, comitemque illi iubet ire per vmbras:
Phlegea ſublata minitantem bella ſecuri,
Dircæumque Gyan, & Echionium Licophontem.

Iam

Iam trepidi ſe ſe quærunt, numerantque, nec idem
Cœdis amor; tantamque dolent rareſcere turbam.
Statius l.2. Theb.

Pugna duorum contra multos.

SIc placet: amplexique ambo ſe in mœnia ſaltu
Proripiunt, agmenque ipſi gemini agminis inſtat
Incurſant celeres; læuo ſe tramite flectit
Luſiades, Threſſæque locantem inſignia lunæ
Occupat adverſum, reſupinatumque remittit:
Hos comites iubet ire alios, aut enſe reciſos,
Aut fractos clypeo, aut occurſu pectoris ictos.
Nec minus interea dextro de culmine Teuton
(Æmula quem virtus acuit, ſuaque admouet ira)
Proijcit obſtantes, ſubeunteſque opprimit hoſtes,
Obliquoſque rotat, procumbenteſque reuulſis
Inſequitur ſaxis, & mœnia mœnibus arcet;
Ecce autem dum totæ acies in Teurona rumpunt,
Plumbeus atque vnum circa conſumitur imber,
Horrendas inter flammaque, & murmure glandes
Traiectus clypeo, fumantique ære ſiniſtra
Protinus auulſa. ſopitus concidit ictu.
Aduolat extemplo lætuſque, & turbidus idem
Luſiades, ferroque, hoſtes procul arcet ab hoſte.
Ipſe ſubit totam pugnæ nubem, ipſe cadentum
Saxorumque, pilarumque imbre inuoluitur, vnus
Par bello, & bello non expugnabilis vnus.
Et iam ſurgentem clypeo, læuaque minorem
Hinc dolor, inde pudor gemina face in arma remittunt
Teutona; cùm lethale volans traiecit arundo
Luſiadis dextram, gladioque affixit: & ille
Hærebat capulo implicitus, haſtamque trabalem
Excepturus erat dorſo: ſed protinus illic
Teuton in gyrum ducto implacidiſſimus enſe
Submouet inſtantes, telamque in terga minantem
Obtruncat, galeamque rotat per nubila plenam.
Donec Luſiades telo extricatus, in arma
(Quamquam impar gladio dextra labente ferendo)
Aduolat, & ſocio clypeatam accommodat iram.
Mutua res agitur; clypeo caret alter, & alter
Enſe caret. ſed Luſiadis ſub tegmine Teuton
Dum ſe defendit, dum magni Teutonis enſe
Pugnat Luſiades, vnus ſe ſe armat vtroque:
Vnaque mens animat non diſſociabilis ambos.
Stant nexi, implicitique, ſimul feriuntque dolentque,
Miſſus & vnius de vulnere ſanguis vtrumque
Sauciat, alteriuſque dolorem vlciſcitur alter.
Iamque cadaueribus latè, ſpolijſque cadentum
Concluſi denſam præportant pectore ſiluam:
Fracti armis integri animis, à morte propinqua
Vim capiunt, iramque. ſuam noua tela minantur.
Nam dum murorum quatefacto è culmine pendent,
In-

Incerti qua parte cadant; cum mœnibus hoſtem
Inuadunt, ſeque & ſtragem ſuper agmina portant.
Sic obeunt: ſuaque æquatos victoria condit.
P. Fam. Strada l. 2. Prol. 6.

Pugna cum ſerpente, ſeu dracone.

VT verò ſtrepuere tubæ, conterritus altè
Immenſum attollit corpus, tergoque reſidens
Cætera ſinuatis glomerat ſub pectore gyris.
Dira dehinc in bella ruit, rapidèque reſoluens
Contortos orbes, directo corpore totam
Extendit molem, ſubitoque propinquus in ora
Lato diſtantum ſpatio venit, omnis anhelans
Attonitus ſerpente, & equus frœnoque teneri
Impatiens, crebros expirat naribus ignes,
Arduus ille ſuper tumidis ceruicibus altum
Motat vtroque caput; trepidos inde incitus ira
Nunc ſublime rapit, nunc vaſto pondere gaudet
Eliſiſſe premens, nunc fractis oſſibus atram
Abſorbet ſaniem, & tabo manante per ora
Mutat hians hoſtem, ſemeſaque membra relinquit,
Cedebant iam ſigna retrò, victaſque cateruas
Longius auectas afflatus peſte premebat.
Cum ductor properè reuocatam in prælia turmam
Vocibus impellens: ſerpenti ne Itala pubes
Terga damus, libyciſque parem non eſſe fatemur
Anguibus Auſonium? ſi debellauit inertes
Halitus, ac viſo mens ægra effluxit hiatu;
Ibo alacer, ſolusque manus componere monſtro
Sufficiam; clamans hæc, atque interritus haſtam
Fulmineo volucrem torquet primùmque lacerto,
Venit in aduerſam non vano turbine frontem
Cuſpis, & haud paulùm vires adiura ruentis
Contra-ardore feræ capiti tremebunda reſedit.
Clamor ad aſtra datus, voceſque repente profoſæ
Ætherias adiere domos: furit ilicet ira
Terrigena impatiens dare terga, nonuſque dolori,
Et chalybem longo tum primùm paſſus in æuo.
Nec fruſtra rapido ſtimulante dolore fuiſſet
Impetus, alato ni Regulus arte regendi
Inſtantem eluſiſſet equo, curſuque ſequutum
Cornipedis gyros, flexi curuamine tergi
Detorris læua celer effugiſſet habenis.
Hinc imitata cohors certatim ſpicula dextris
Congerit, alternaſque ferum diducit in iras,
Donec murali balliſta coercuit ictu
Tum fractus demum vires (nec enim amplius ægra
Conſuetum ad niſus ſpina præſtante vigorem
Vt ſolito in nubes tollit caput) acrius inſtat.
Iamque aluo penitus demerſa phalarica ſedit,
Et geminum volucres lumen rapuere ſagittæ:
Iam patulis vaſto ſub vulnere faucibus aer

Tabificam expirat ſaniem ſpecus vltima, iamque
Ingenti cauda, & iaculis, & pondere conti
Hæret humi, laxoque tamen minitatur hiatu.

Sil. Italicus l. 6.

Duxit, & aduerſo conuertit pectora monſtro
Complexuſque haſtam, & ſcuto ſeptemplice tectus
Pronus adurget equum, & telum penetrabile quaſſat,
Concutit ora draco, maculoſaque terga reflectens
Longa voluminibus circumplicat agmina caudæ,
Cornipedem inſidijs capturus, & arte magiſtrum
Excuſſurus humi, & præda fruiturus vtraque.
Inſurgit tamen, atque haſtam ſub gutture preſſam
Miles agit, calido verſans in vulnere ferrum,
Obſtantique iterum bipatentia traijcit ora.
Voluitur ille ſolo, prætexit pondere campum
Semianimis, viuitque tamen, ſed ſanguine tardus
Effuſo, ſpiriſque mouet iam corpora pigris.

P. Tar. Gallutius l. 1. car. 12.

OBSIDIO ET OPPVGNATIO.

Sic Martem indomitum. Danaoſque ad tecta ruentes
Cernimus, obſeſſumque acta teſtudine limen
Hærent parietibus ſcalæ, poſteſque ſub ipſos
Nituntur gradibus, clypeoſque ad tela ſiniſtris
Protecti obijciunt: prenſant faſtigia dextris.
Dardaniæ contrà, turres ac tecta domorum
Culmina conuellunt: his ſe, quando vltima cernunt,
Extrema iam in morte parant defendere telis:
Auratasque trabes, veterum decora alta parentum
Deuoluunt. alij ſtrictis mucronibus imas
Obſedere fores: has ſeruant agmine denſo.
Inſtaurati animi regis ſuccurrere tectis,
Auxilioque leuare viros, vimque addere victis.

Virg. l. 2. Æn.

Soluitur interea vallum, primæque recuſant
Stare moræ. iam ſe peditum iunxere cateruæ
Mœnibus. at patulas ſaltu tranſmittere foſſas
Horror equis, hærent trepidi, atque immane pauentes
Abruptum mirantur agi: nunc impetus iræ
Margine ab extremo, nunc ſponte in frœna recedunt.
Hi præfixa ſolo vellunt munimina: at illi
Portarum obiectus minuunt, & ferrea ſudant
Clauſtra remoliri, trabibuſque arctata ſonoro
Pellunt ſaxa loco, pars ad faſtidia miſſas
Exultant hæſiſſe faces. pars ima laceſſunt,
Scrutanturque cauas cœca teſtudine turres.
At Tyrij, quæ ſola ſalus, caput omne coronant
Murorum, nigraſque ſudes & lucida ferro
Spicula, & arſuras cœli per inania glandes,
Saxaque in aduerſos ipſis auulſa rotabant

Mœ-

Mœnibus, exundant ſæuo faſtigia nimbo,
Armatæque vomunt ſtridentia tela feneſtræ.

Statius l. 3. Theb.

Interea hoſtilis validos balliſta molares
Arietat, impulſuque tremunt arceſque fatiſcunt.
Nec mora: ſuccedit denſa teſtudine miles
Obſcuratque diem telis. pars ſpicula dextra,
Stupea pars agitat balearis verbera glandis,
Pars muros ferro explorat, duraque bipenni
Clauſtra remolitur, contorti ac turbine ſaxi
Auellit portarum aditus; labat ariete crebro
Poſtis, & ingeſtos ardent tabulata per ignes.
Miſcet ſe bello Cœſar, defectaque in hoſtes
Exanimos vbi tela videt, conſcendere turres
Accelerat, ſummoſque manu diſcindere muros.
Nec cecidere animis hoſtes, ſtridentia voluunt
Ignibus, atque atro circumlita ſulphure tela,
Denſataſque audent acies perrumpere, ſi qua
Forte via aut ferro, aut iunctis ſe ſe ignibus offert.

P. Alex Donatus l. 1. car. 2.

..... iam muris excurrit, & vrbe iuuentus,
Exponitque neci ſe ſe moritura: nec illam
Terrirat hoſtilis, quœ funditur vndique grando
Plumbea: quin rupto inclinant quà mœnia muro,
Congeſtam accumulant terram, tabulaſque, trabeſque
Et quodcunque dedit caſus munimen ad ictus,
Aggerat obijcibus: ſuffultaque mœnia ſaxis
Surgunt mole noua. ſubitam mirantur Iberi
Congeriem exortam: tum rurſus ahenea in hoſtem
Inſtrumenta parant, iterumque iterumque metallis
Admouere cauis ignes, quibus illa receptis
Intonuere nouis iaculantia fulmina bombis,
Fit via vi; tandem muri dant ecce feneſtram
Verberibus crebris. & aheno fulmine pulſi
Continuo exortus ferit aurea ſidera clamor:
Vtraque & ad numeros acies contendit, & omnes
Effundit vires: hi quò per hiantia rumpant
Mœnia, & inermis potiantur ſedibus: illi
Vt reditum eripiant, aut vi venientibus obſtent.
Sed licet Hiſpanus miles, licet Itala pubes
Agglomerata ruat condenſoque agmine Belga
Imperat, & gladijs longiſque haſtilibus vrgens,
Per medios hoſtes aditum ſibi quærat in vrbem,
In vetitum tamen, ac fruſtra furit.

Aur. Vrſius car. de bello Belg.

Nec Mora, iam muris ſcalæ pendentibus hærent,
Iam gradibus nituntur, inobſeruatus in arcem
Qua patet introitus; primo fortuna labori
Quæ fauet, illa nocet, paucorum vt cognita virtus,
Aſcenſuque aditus facili iam viſus ad hoſtem eſt:
Idem omnes inuitat honos, idem excitat ardor.
Certatim inſiliunt quà ſemita ducit in vrbem;
Arripiuntque gradus, hos mordicus ore tuentur.

Exer-

Exercentque manus, & ſe ſtatione viciſſim
Proturbant, ſuperantque repercutiuntque, ruuntque,
Obnixique humeris ſuper, & ceruice ſuorum
Pectus agunt tolluntque caput, calcantque relictos.
Et iam turmatim faſtigia ſumma tenebant,
Cùm laudis priuatus amor communia turbat
Commoda, communis ſimul abripit impetus omnes.
Omnes mole ſua, & caſu voluuntur eodem
Quo caſu aſſurgunt animi: pudor, iraque vires
Extimulant, vrbem ſubita obſidione coronant:
Ne quà vacet bello facies; iam prælia circum
Mille ferunt diuerſa locis; pars mœnia tentat
Scandere, & vlciſci veterem virtute ruinam;
Pars attollit humo denſæ teſtudinis arcem
Obiectu clypei, & fortis curuamine dorſi:
Pars ignes iaculatur, & ingenioſa furentum
Argumenta facum: celeri volat actus habena
Malleolus, tortiſque vibrata phalarica neruis.
Et ſecum, quocumque volant incendia portant.
P. Vinc. Guiniſius car. 5.

Oppugnatio per Cuniculos.

EST via ſub terram, ſibi quam fodere periti
Militiæ, belliqne duces, ſi quando latenter
Sint tentant vrbis ſubiectis mœnia flammis.
Pulueris hic cumulus ſecreta in parte latebat
Sulphureo admiſti nitro: nec ſemita longè
Per quam ducta meet ſenſim duce fomite flamma,
Accenſuſque leuem diſrumpat in aera puluis.
Hanc tacitè ſubiens operiſque inuentor, & auctor,
Cedere ab hoſtili poſtquam data ſigna phalangas
Hiſpanas monuere loco: quo mœnibus hoſtes
Arceat, ac muros à ſedibus eruat imis:
Ecce ignem apponit nitro, mora nulla: fit ingens
Cum ſonitu tremor, & ſublatus ad æthera flammæ
Spiritus erumpit venis: ſimul excita tellus
Exilit, & fractis ſecum rapit omnia clauſtris,
Mœniaque, & turres, & propugnacula, & arces.
Quas tum hominũ ſtrages, quę tum arma cruenta, quibuſve
Vidiſſes infecta notis? quo puluere Olympus
Palluit? & nigro fumi ſe tinxit amictu?
Aur. Vrſius Car. de bello Belg.

.... peſtes
Mammetes vocat arcauas, & fæmina cædis
Subijcit ignitæ, quæ mox in funera creſcant.
Aſt vbi ſopitæ cœca inter viſcera terræ
Concepere faces nigranti è puluere vires,
Per diuerſa volant; ſaxiſque equitantibus ingens
Turribus exitium portant, populoque ſepulcrum.
P. Car. de Luca l. 27. Dom. Laur.

Op-

Oppugnatio per teſtudinem ex conſertis ſcutis.

QValis in hoſtiles teſtudo bellica muros
Audaces clypeis humeros cùm Martia pubes
Integit, obſtipatque caput: velut imbrice denſo
Texuntur clypei clypeis: quadrata rotundis
Incumbunt veluti ſquamæ, quas ordine denſo
Conſerit ars. ſic ſcuta virum conſerta molares,
Telaque denſantur contra: quantoque coacta
Mole rigent minus in ſpatium, vis addita maior
Firmat in aduerſos textum impenetrabile caſus,
Ad latus aut frontem ſolum pendentia parem
Integra; compoſitis capiti pars dempta figuræ
Maxima, nec medijs emblemata cognita ſignis.
P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

At qua parte alij facta teſtudine muros
Scandere conſertis clypeis nituntur, & alta
Prendere pinnarum, quibus inſertare catenas,
Scalarumque parant vncos; hi robora voluunt.
Continuaque petunt ſaxorum grandine dorſa:
Scuta hærent conſerta, ſonat ſuper irrita grando,
Et procul vmbonum ſerie abſilit interrupta.
P. Ant. Millieus l. 22. Moyſ. Viat.

DIREPTIO VRBIS ET CÆDES.

VIctor enim euerſis exercitus vndique muris
Irruit, inuaditque vias, perque omnia mortes
Per fora, perque domos, cumulataque compita ſtipat.
Corporibus ſtagnat riuis ſpumantibus alta
Ater vbique cruor ſtrage; horrendique cadentum
Clamores, & fœminei inter vulnera planctus
Oppreſſere tubas; neque martia cornua victor,
Hortatuſque ſuos audit. nullo horrida ferri
Ætatum, ſexuſve acies diſcrimine ſæuit,
Fulminat ipſa Dei ſuper implacabilis ira
Decretique manu rotat irreuocabilis enſem,
Obfirmatque animum nullius parcere vitæ.
P. Ant. Millieus to. 2. Moyſ. Viat. l. 22.

Quis miſeram cladem referat, clamore ſecundo
Cùm Latiæ colere manus? cùm ſubdita flamma
Concepit portarum aditus, longèque ruinam
Sacra liquefactis dederunt delubra metallis?
Paſcitur ignis edax, aurumque, aggeſtaque gemmis
Pondera, diuitiaſque operum crepitantibus altè
Semita ſit flammis, æſtuque incendia feruent.
Quin etiam raptos altaria ad ipſa Touantis

Iſa-

Iſacidas iugulant, veteris penetralia templi
Incenſis patefacta aditis, multoque cadentum
Sanguine fœdantur ſacris pereuntibus ignes.
Inde faces ad tecta volant: ruit Ara vetuſtis
Ædibus, inuoluitque viros, ignesque ruina.
Enſis atrox, aut flamma vorat, ſubit vndique mortis
Horror, vbique furor, calidis cruor vndique riuis.
P. Alex. Donatus l. 1 car. 2.

Hic vbi Threïjciam ſpumanti feruidus æſtu
Boſphorus arctat humum, titulis noua Roma ſuperbis
Ingenti vix matre minor, iam preſſa gemebat.
Obſidione graue dudum, tandemque cruentis
Hoſtibus oppoſitos laxarat machina muros:
Tum ſerus Ottomanes portis ingreſſus apertis
Emicat, armatamque Aſiam trepidantibus infert
Arcibus Europæ; verſiſque miſerrima fatis
Seruit. & alternas Trojæ dat Græcia pœnas.
Iam tumidus captam miles ſine lege per vrbem
Graſſatur, cœdeſque calent: & ſanguine largo
Tecta, viæque natant: nullo diſcrimine ſæuit
Turba ferox, iugulíſque rubent puerilibus enſes,
Et glomerata virum ſtruxerunt funera montes
Nec ſeruat ſua ruga ſenem, non clara Senatum
Purpura, non Clerum pietas, auguſtave texit
Te tua Maieſtas Princeps; nec viſcera crudo
Subduxit gladio mollis reuerentia ſexus.
Apud P. Laur. le Brun. to. 2. Eloq. Poet.

Fruſtra irruentem debilioribus
Telis retentas; fit via vi: furit
Infeſtus horrendum nefandæ
Exitium pariturus vrbi.
Cum patre natos, cum duce milites
Seruoſque paſſim cum dominis metit:
Vnoque totam geſtit atrox
Excidio agglomerare gentem.
Nec iam furentem fœminei mouet
Querela ſexus, non morientium
Vagitus infantum, ſenumque
Canities veneranda flectit.
Sæuitum in omnes, & quibus irritus
Pepercit enſis, iam grauior manet.
Hos pœna, dum graſſator vrbem
Sacrilegam populatur ignis.
Vbique ferrum regnat, & horridus
Vbique flammarum æſtuat impetus
Et dœmonum latè profanis
In penetralibus inſoleſcit.
Faſtigiatæ culmina regiæ
Correpta flagrant. Sic Ietico modò
Quæ ſtabat in cœlum, ingemiſcit;
Vindicibus data præda flammis.
Apud P. Laur. le Brun. to. 1. Eloq. Poet.

Vtque ſuperſtantem, pronumque in pectore ſenſit,
Erigit occultè ferrum, vitæque labantis
Relliquias tenues odio ſuppleuit, & enſem
Iam lætus frater fratris ſub corde reliquit.

Statius l.11.Theb.

Nec mora citato ſpatia procurſu vorant
Hinc Conſul, illinc Barbarus; quantus Noto
Decertat Aquilo, iura cùm repetunt maris.
Par ille ſcopulo prælium miſſa procul
Inuadit haſta certa quæ celeri fuga
Allapſa, pinnas Conſulis cono abſtulit:
Nec parcit agmen iurgijs: iſthæc prius
Cape dona, dixit: ſæue Myſtarum metus:
Mox alia capies. pube iuuenili aureum
Diffibulata caſſide exertans caput
Horrendum in armis intonat ductor meus,
Cœlumque lætus ſuſpicit. rapto impetu
Haſtam lacerto vibrat. horriſonas volat
Incita per auras vulnus haud dubium ferens,
Per & coruſcis aſperam gemmis, per &
Auro trilicem miſſa loricam, bibit
Altum cruorem, vita quà thalamum ſuum
Animæ recentis folle vitali fouet.

P.Ber.Stephonius in Criſ.ac.1.ſc.3.

Sic illic alternis iratæ exordia pugnæ
Intendere minis, & adactæ in vulnera mentis
Miſſa prius geminæ ſonuerunt ſpicula linguæ.
Inde manus ſua tela rotant: vibrat ictibus enſis
Fulmineus, ſonituque cadens ſuper arma reſultat:
Viribus impulſus collimat ad ilia mucro:
Artibus illuſus declinat, & irrita peccat
Vulnera, defixas ictuque exerrat in auras.
Altior extulerat, tortumque in tempora ferrum
Dacus agit. doluit Criſpus, ferroque viciſſim
Intulit effuſas totis cum viribus iras,
Direxitque. ferit mediam inter lumina frontem
Perfoditque enſis: patuitque abrupta cruento
Ora ſupercilio: tum flumine ſanguis inundat.

P.Alex.Donatus l.12.Conſt.

Vidit, & in pugnam ſe rurſum exſuſcitat ira
Criſpus, & intorta reſonat prænuncia cornu.
Signa: nec oblato refugis iuuenile periclo
Heu periture, decus, reuocaſque, cieſque vocantem
Romule, prætentaſque leui certamina telo.
Et iam cornipedes geminis calcaribus actos
Arua timent: ſenſiſſe pedes emenſa volantes
Mox tamen arua negant. ſed curſu intenta volucri
Celatum clypeis veſtigat, & irrita pectus
Lancea declinat; ſitienſque rubentia venis
Flumina nonnullos bibit errabunda cruores.
Sæuior at ferri rabies, quem raſilis orni
Nudat vterque habilem vagina, enſemque coruſcat,
Aggrediturque parem. mucro modò certus ad ictum

Di-

Dirigitur: tranſuerſa rotans modo vulnera cæſim.
Demiſſuſque gerit: clypei vix corpora celant.
Fulgurat elatum, fert dira tonitrua labens,
Arma quatit ſubito commixtum fulmine telum.
Ecce ferit Criſpus: cœcique error metalli
Obuerſum traiecit equum, quem flumine largo
Senguinis vnda lauit: foſſuſque, & vulneris alti
Impatiens dum calce notos, ſimul ore Inpatum
Frangit, & humenti declinat puluere dorſum. *Et inſ.*
Talis inardeſcens plagamque vlturus in hoſtem
Tela mouet Criſpus. ſed enim grauis ira dolorque
Certaudi iura abſciderant: ſine lege rotatum
Vis enſem obliquat, ſine lege intorquet adactum.
Impetus arma regit. ferroque retundere ferrum,
Aut clypeo munire latus iam Romulus acer
Haud potis, & raptos ſibi Martis inhorruit auſus,
Tibia iamque fluit, tepido iam ſanguine ceruix
Indoluit, ſtimuliſque heros impulſus agebat
Bellandi ſimiles furiatis viribus artes.
Enſis ab hoſte cadens iterum cui tempora pulſat:
Læuis at illæſum proiecit caſſida ferrum,
Et loris auulſa cadit; perfuſaque multo
Sudore affulſit rubicundæ gratia formæ.

P. Alex. Don. ibid.

Pugna vnius cum multis.

Talibus accenſi firmantur, & agmine denſo
Conſiſtunt. Turnus paulatim excedere pugna
Et fluuium petere, ac partem quæ cingitur amni.
Acrius hoc Teucri clamore incumbere magno,
Et glomerare manum, ceu ſæuum turba leonem
Cum telis premit infenſis. at territus ille
Aſper, acerba tuens retrò redit, & neque terga
Ira dare, aut virtus patitur, nec tendere contra.
Ille quidem cupiens potis eſt per tela, viroſque.
Haud aliter retrò dubius veſtigia Turnus
Improperata refert; & mens exæſtuat ira,
Quin etiam bis tum medios inuaſerat hoſtes,
Bis conuerſa fuga per muros agmina vertit.
Sed manus è caſtris properè coit omnis in vnum.
Ergo nec clypeo iuuenis ſubſiſtere tantum,
Nec dextra valet; iniectis ſic vndique telis
Obruitur: ſtrepit aſſiduo caua tempora circum
Tinnitu galea, & ſaxis ſolida æra fatiſcunt.
Diſcuſſæque iubæ capiti. nec ſufficit vmbo
Ictibus; ingeminant haſtis & Troes, & ipſe
Fulmineus Mneſtheus. tum toto corpore ſudor
Liquitur & piceum (nec reſpirare poteſtas)
Flumen agit: feſſos quatit æger anhelitus artus.
Tum demum præceps ſaltu ſe ſe omnibus armis
In fluuium dedit: ille ſuo cum gurgite flauo

Ac-

Accepit venientem, ac mollibus extulit vndis,
Et lætum ſocijs abluta cæde remiſit.

Virg. l. 9. Æn.

. . . . ille ruenti
Aggere conſiſtit primumque cadauera plenis
Turribus euoluit, ſubeunteſque obruit hoſtes
Corporibus, totæque viro dant tela ruinæ.
Roboraque, & moles, hoſti ſeque ipſe minatur.
Nunc ſude, nunc duro contraria pectora conto
Detrudit muris, & valli ſumma tenentes
Amputat enſe manus, caput obterit oſſaque ſaxo,
Ac male defenſum fragili compage cerebrum
Diſſipat: alterius flamma crineſque, genaſque
Succendit: ſtrident oculis ardentibus ignes.
Vt primùm cumulo creſcente cadauera murum
Admouere ſolo: non ſegnior extulit illum
Saltus, & in media iecit ſuper arma cateruas,
Quam per ſumma rapit celerem venabula pardum.
Tunc denſos inter cuneos compreſſus, & omni
Vallatus bello vincit, quem reſpicit hoſtem.
Perdidit enſis opus. frangit ſine vulnere membra
Illum tota premit moles, illum omnia tela.
Nulla fuit non certa manus, non lancea felix:
Parque nouum fortunæ videt concurrere bellum,
Atque virum fortis crebris ſonat ictibus vmbo.
Et galeæ fragmenta cauæ compreſſa perurunt
Tempora, nec quidquam nudis vitalibus obſtat
Iam præter ſtantes in ſummis oſſibus haſtas.

Lucanus l. 6.

Mox in plana libens nudo ne pectore tela
Inciderent, ſaltu præceps defertur, & orbem
Quem procul oppreſſo vidit Therone volutum
Corripuit, tergoque, & vertice tegmine noto
Septus & hoſtili propugnans pectora parma
Conſtitit, inde iterum denſi glomerantur in vnum
Ogygidæ, firmantque gradum. trahit ocyus enſem
Biſtonium Tydeus, Mauortia munera magni
Oeneos, & partes pariter diuiſus in omnes
Hos obit, atque illos, ferroque micantia tela
Decutit, impediunt numero, ſeque ipſa viciſſim
Arma premunt. nec vis conatibus vlla, ſed ipſa
In ſocias errare manus, & corpora turba
Inuoluit prælapſa ſua; manet ille cruentis
Anguſtus telis, & inexpugnabilis obſtat,
Huc illuc clypeum obiectans, ſeque ipſe recedens
Circuit: interdum trepidis accurrit, & inſtat
Spicula diuellens; clypeo quæ plurima toto
Fixa tremunt, armantque virum; ſæpe aſpera paſſum
Vulnera, ſed nullum vitæ in ſecreta receptum
Nec mortem ſperare valet, rotat ipſe furentem
Dielochum, comitemque illi iubet ire per vmbras
Phlegea ſublata minitantem bella ſecuri,
Dircæumque Gyan, & Echionium Licophontem.

Iam

Iam trepidi ſe ſe quærunt, numerantque, nec idem
Cœdis amor; tantamque dolent rareſcere turbam.
Statius l.2. Theb.

Pugna duorum contra multos.

SIc placet: amplexique ambo ſe in mœnia ſaltu
Proripiunt, agmenque ipſi gemini agminis inſtat
Incurſant celeres; læuo ſe tramite flectit
Luſiades, Threſſæque locantem inſignia lunæ
Occupat adverſum, reſupinatumque remittit:
Cui comites iubet ire alios, aut enſe reciſos,
Aut fractos clypeo, aut occurſu pectoris ictos.
Nec minus interea dextro de culmine Teuton
(Æmula quem virtus acuit, ſuaque admonet ira)
Proijcit obſtantes, ſubeunteſque opprimit hoſtes,
Obliquoſque rotat, procumbenteſque reuulſis
Inſequitur ſaxis, & mœnia mœnibus arcet;
Ecce autem dum totæ acies in Teutona rumpunt,
Plumbeus atque vnum circa conſumitur imber,
Horrendas inter flammaque, & murmure glandes
Traiectus clypeo, fumantique ære ſiniſtra
Protinus auulſa. ſopitus concidit ictu.
Aduolat extemplo lætuſque, & turbidus idem
Luſiades, ferroque, hoſtes procul arcet ab hoſte.
Ipſe ſubit totam pugnæ nubem, ipſe cadentum
Saxorumque, pilarumque imbre inuoluitur, vnus
Par bello, & bello non expugnabilis vnus.
Et iam ſurgentem clypeo, læuaque minorem
Hinc dolor, inde pudor gemina face in arma remittunt
Teutona; cùm lethale volans traiecit arundo
Luſiadis dextram, gladioque affixit: & ille
Hærebat capulo implicitus, haſtamque trabalem
Excepturus erat dorſo: ſed protinus illic
Teuton in gyrum ducto implacidiſſimus enſe
Submouet inſtantes, telamque in terga minantem
Obtruncat, galeamque rotat per nubila plenam.
Donec Luſiades telo extricatus, in arma
(Quamquam impar gladio dextra labente ferendo)
Aduolat, & ſocio clypeatam accommodat iram.
Mutua res agitur; clypeo caret alter, & alter
Enſe caret. ſed Luſiadis ſub tegmine Teuton
Dum ſe defendit, dum magni Teutonis enſe
Pugnat Luſiades, vnus ſe ſe armat vtroque:
Vnaque mens animat non diſſociabilis ambos.
Stant nexi, implicitique, ſimul feriuntque dolentque,
Miſſus & vnius de vulnere ſanguis vtrumque
Sauciat, alteriuſque dolorem vlciſcitur alter.
Iamque cadaueribus latè, ſpolijſque cadentum
Concluſi denſam præportant pectore ſiluam:
Fracti armis integri animis, à morte propinqua
Vim capiunt, iramque. ſuam noua tela minantur.
Nam dum murorum quatefacto è culmine pendent,
In-

Incerti qua parte cadant; cum mœnibus hoſtem
Inuadunt, ſeque & ſtragem ſuper agmina portant.
Sic obeunt: ſuaque æquatos victoria condit.

P. Fam. Strada l. 2. Prol. 6.

Pugna cum ſerpente, ſeu dracone.

VT verò ſtrepuere tubæ, conterritus altè
Immenſum attollit corpus, tergoque reſidens
Cœtera ſinuatis glomerat ſub pectore gyris.
Dira dehinc in bella ruit, rapidèque reſoluens
Contortos orbes, directo corpore totam
Extendit molem, ſubitoque propinquus in ora
Lato diſtantum ſpatio venit, omnis anhelans
Attonitus ſerpente, & equus frœnoque teneri
Impatiens, crebros expirat naribus ignes,
Arduus ille ſuper tumidis ceruicibus altum
Motat vtroque caput; trepidos inde incitus ira
Nunc ſublime rapit, nunc vaſto pondere gaudet
Eliſiſſe premens, nunc fractis oſſibus atram
Abſorbet ſaniem, & tabo manante per ora
Mutat hians hoſtem, ſemeſaque membra relinquit,
Cedebant iam ſigna retrò, victaſque cateruas
Longius auectas afflatus peſte premebat.
Cum ductor properè reuocatam in prælia turmam
Vocibus impellens: ſerpenti ne Itala pubes
Terga damus, libyciſque parem non eſſe fatemur
Anguibus Auſonium? ſi debellauit inertes
Halitus, ac viſo mens ægra effluxit hiatu;
Ibo alacer, ſoluſque manus componere monſtro
Sufficiam; clamans hæc, atque interritus haſtam
Fulmineo volucrem torquet primùmque lacerto,
Venit in aduerſam non vano turbine frontem
Cuſpis, & haud paulùm vires adiuta ruentis
Contra-ardore feræ capiti tremebunda reſedit.
Clamor ad aſtra datus, voceſque repente profoſæ
Ætherias adiere domos: furit ilicet ira
Terrigena impatiens dare terga, nonuſque dolori,
Et chalybem longo tum primùm paſſus in æuo.
Nec fruſtra rapido ſtimulante dolore fuiſſet
Impetus, alato ni Regulus arte regendi
Inſtantem eluſiſſet equo, curſuque ſequutum
Cornipedis gyros, flexi curuamine tergi
Detortis læua celer effugiſſet habenis.
Hinc imitata cohors certatim ſpicula dextris
Congerit, al ernaſque ferum diducit in iras,
Donec murali balliſta coercuit ictu
Tum fractus demum vires (nec enim amplius ægra
Conſuetum ad niſus ſpina præſtante vigorem
Vt ſolito in nubes tollit caput) acrius inſtat.
Iamque aluo penitus demerſa phalarica ſedit,
Et geminum volucres lumen rapuere ſagittæ:
Iam patulis vaſto ſub vulnere faucibus aer

Ta-

Tabificam expirat ſaniem ſpecus vltima, iamque
Ingenti cauda, & iaculis, & pondere conti
Hæret humi, laxoque tamen minitatur hiatu.
Sil. Italicus l. 6.

Duxit, & aduerſo conuertit pectora monſtro
Complexuſque haſtam, & ſcuto ſeptemplice tectus
Pronus adurget equum, & telum penetrabile quaſſat,
Concutit ora draco, maculoſaque terga reflectens
Longa voluminibus circumplicat agmina caudæ,
Cornipedem inſidijs capturus, & arte magiſtrum
Excuſſurus humi, & præda fruiturus vtraque.
Inſurgit tamen, atque haſtam ſub gutture preſſam
Miles agit, calido verſans in vulnere ferrum,
Obſtantique iterum bipatentia traijcit ora.
Voluitur ille ſolo, prætexit pondere campum
Semianimis, viuitque tamen, ſed ſanguine tardus
Effuſo, ſpiriſque mouet iam corpora pigris.
P. Tar. Gallutius l. 1. car. 12.

OBSIDIO ET OPPVGNATIO.

Sic Martem indomitum. Danaoſque ad tecta ruentes
Cernimus, obſeſſumque acta teſtudine limen
Hærent parietibus ſcalæ, poſteſque ſub ipſos
Nituntur gradibus, clypeoſque ad tela ſiniſtris
Protecti obijciunt: prenſant faſtigia dextris.
Dardaniæ contrà, turres ac tecta domorum
Culmina conuellunt: his ſe, quando vltima cernunt,
Extrema iam in morte parant defendere telis:
Auratáſque trabes, veterum decora alta parentum
Deuoluunt. alij ſtrictis mucronibus imas
Obſedere fores: has ſeruant agmine denſo.
Inſtaurati animi regis ſuccurrere tectis,
Auxilioque leuare viros, vimque addere victis.
Virg. l. 2. Æn.

Soluitur interea vallum, primæque recuſant
Stare moræ. iam ſe peditum iunxere cateruæ
Mœnibus. at patulas ſaltu tranſmittere foſſas
Horror equis, hærent trepidi, atque immane pauentes
Abruptum mirantur agi: nunc impetus iræ
Margine ab extremo, nunc ſponte in frœna recedunt.
Hi præfixa ſolo vellunt munimina: at illi
Portarum obiectus minuunt, & ferrea ſudant
Clauſtra remoliri, trabibuſque arctata ſonoro
Pellunt ſaxa loco, pars ad faſtidia miſſas
Exultant hæſiſſe faces. pars ima laceſſunt,
Scrutanturque cauas cœca teſtudine turres.
At Tyrij, quæ ſola ſalus, caput omne coronant
Murorum, nigraſque ſudes & lucida ferro
Spicula, & arſuras cœli per inania glandes,
Saxaque in aduerſos ipſis auulſa rotabant

Mœ-

Mœnibus, exundant ſæuo faſtigia nimbo,
Armatæque vomunt ſtridentia tela feneſtræ.
Statius l.3. Theb.
Interea hoſtilis validos balliſta molares
Arietat, impulſuque tremunt arceſque fatiſcunt.
Nec mora: ſuccedit denſa teſtudine miles
Obſcuratque diem telis. pars ſpicula dextra,
Stupea pars agitat balearis verbera glandis,
Pars muros ferro explorat, duraque bipenni
Clauſtra remolitur, contorti ac turbine ſaxi
Auellit portarum aditus; labat ariete crebro
Poſtis, & ingeſtos ardent tabulata per ignes.
Miſcet ſe bello Cœſar, defectaque in hoſtes
Exanimos vbi tela videt, conſcendere turres
Accelerat, ſummoſque manu diſcindere muros.
Nec cecidere animis hoſtes, ſtridentia voluunt
Ignibus, atque atro circumlita ſulphure tela,
Denſataſque audent acies perrumpere, ſi qua
Forte via aut ferro, aut iunctis ſe ſe ignibus offert.
P. Alex Donatus l.1. car.2.
..... iam muris excurrit, & vrbe iuuentus,
Exponitque neci ſe ſe moritura: nec illam
Territat hoſtilis, quœ funditur vndique grando
Plumbea: quin rupto inclinant quà mœnia muro,
Congeſtam accumulant terram, tabulaſque, trabeſque
Et quodcunque dedit caſus munimen ad ictus,
Aggerat obijcibus: ſuffultaque mœnia ſaxis
Surgunt mole noua. ſubitam mirantur Iberi
Congeriem exortam: tum rurſus ahenea in hoſtem
Inſtrumenta parant, iterumque iterumque metallis
Admouere cauis ignes, quibus illa receptis
Intonuere nouis iaculantia fulmina bombis,
Fit via vi; tandem muri dant ecce feneſtram
Verberibus crebris. & aheno fulmine pulſi
Continuo exortus ferit aurea ſidera clamor:
Vtraque & ad numeros acies contendit, & omnes
Effundit vires: hi quò per hiantia rumpant
Mœnia, & internis potiantur ſedibus: illi
Vt reditum eripiant, aut vi venientibus obſtent.
Sed licet Hiſpanus miles, licet Itala pubes
Agglomerata ruat condenſoque agmine Belga
Imperat, & gladijs longiſque haſtilibus vrgens,
Per medios hoſtes aditum ſibi quærat in vrbem,
In vetitum tamen, ac fruſtra furit.
Aur. Vrſius car. de bello Belg.
Nec Mora, iam muris ſcalæ pendentibus hærent,
Iam gradibus nituntur, inobſeruatus in arcem
Qua patet introitus; primo fortuna labori
Quæ fauet, illa nocet, paucorum vt cognita virtus,
Aſcenſuque aditus facili iam viſus ad hoſtem eſt:
Idem omnes inuitat honos, idem excitat ardor.
Certatim inſiliunt quà ſemita ducit in vrbem;
Arripiuntque gradus, hos mordicus ore tuentur.
Exer-

Exercentque manus, & ſe ſtatione viciſſim
Proturbant, ſuperantque repercutiuntque, ruuntque,
Obnixique humeris ſuper, & ceruice ſuorum
Pectus agunt tolluntque caput, calcantque relictos.
Et iam turmatim faſtigia ſumma tenebant,
Cùm laudis priuatus amor communia turbat
Commoda, communis ſimul abripit impetus omnes.
Omnes mole ſua, & caſu voluuntur eodem
Quo caſu aſſurgunt animi: pudor, iraque vires
Extimulant, vrbem ſubita obſidione coronant:
Ne quà vacet bello facies; iam prælia circum
Mille ferunt diuerſa locis; pars mœnia tentat
Scandere, & vlciſci veterem virtute ruinam;
Pars attollit humo denſæ teſtudinis arcem
Obiectu clypei, & fortis curuamine dorſi:
Pars ignes iaculatur, & ingenioſa furentum
Argumenta facum: celeri volat actus habena
Malleolus, tortiſque vibrata phalarica neruis.
Et ſecum, quocumque volant incendia portant.
P. Vinc. Guiniſius car. 5.

Oppugnatio per Cuniculos.

Est via ſub terram, ſibi quam fodere periti
Militiæ, belliquе duces, ſi quando latenter
Sint tentant vrbis ſubiectis mœnia flammis.
Pulueris hic cumulus ſecreta in parte latebat
Sulphureo admiſti nitro: nec ſemita longè
Per quam ducta meet ſenſim duce fomite flamma,
Accenſuſque leuem diſrumpat in aera puluis.
Hanc tacitè ſubiens operiſque inuentor, & auctor,
Cedere ab hoſtili poſtquam data ſigna phalangas
Hiſpanas monuere loco: quo mœnibus hoſtes
Arceat, ac muros à ſedibus eruat imis:
Ecce ignem apponit nitro, mora nulla: fit ingens
Cum ſonitu tremor, & ſublatus ad æthera flammæ
Spiritus erumpit venis: ſimul excita tellus
Exilit, & fractis ſecum rapit omnia clauſtris,
Mœniaque, & turres, & propugnacula, & arces.
Quas tum hominũ ſtrages, quę tum arma cruenta, quibuſve
Vidiſſes infecta notis? quo puluere Olympus
Palluit? & nigro fumi ſe tinxit amictu?
Aur. Vrſius Car. de bello Belg.

.... peſtes
Mammetes vocat arcanas, & fœmina cædis
Subijcit ignitæ, quæ mox in funera creſcant.
Att vbi ſopitæ cœca inter viſcera terræ
Concepere faces nigranti è puluere vires,
Per diuerſa volant; ſaxiſque equitantibus ingens
Turribus exitium portant, populoque ſepulcrum.
P. Car. de Luca l. 27. Dom. Iaur.

Oppugnatio per teſtudinem ex conſertis ſcutis.

QValis in hoſtiles teſtudo bellica muros
Audaces clypeis humeros cùm Martia pubes
Integit, obſtipatque caput: velut imbrice denſo
Texuntur clypei clypeis: quadrata rotundis
Incumbunt veluti ſquamæ, quas ordine denſo
Conſerit ars. ſic ſcuta virum conſerta molares,
Telaque denſantur contra: quantoque coacta
Mole rigent minus in ſpatium, vis addita maior
Firmat in aduerſos textum impenetrabile caſus,
Ad latus aut frontem ſolum pendentia parem
Integra; compoſitis capiti pars dempta figuræ
Maxima, nec medijs emblemata cognita ſignis.
P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

At qua parte alij facta teſtudine muros
Scandere conſertis clypeis nituntur, & alta
Prendere pinnarum, quibus inſertare catenas,
Scalarumque parant vncos; hi robora voluunt.
Continuaque petunt ſaxorum grandine dorſa:
Scuta hærent conſerta, ſonat ſuper irrita grando,
Et procul vmbonum ſerie abſilit interrupta.
P. Ant. Millieus l. 22. Moyſ. Viat.

DIREPTIO VRBIS ET CÆDES.

VIctor enim euerſis exercitus vndique muris
Irruit, inuaditque vias, perque omnia mortes
Per fora, perque domos, cumulataque compita ſtipat.
Corporibus ſtagnat riuis ſpumantibus alta
Ater vbique cruor ſtrage; horrendique cadentum
Clamores, & fœminei inter vulnera planctus
Oppreſſere tubas; neque martia cornua victor,
Hortatuſque ſuos audit. nullo horrida ferri
Ætatum, ſexuſve acies diſcrimine ſæuit,
Fulminat ipſa Dei ſuper implacabilis ira
Decretique manu rotat irreuocabilis enſem,
Obfirmatque animum nullius parcere vitæ.
P. Ant. Millieus to. 2. Moyſ. Viat. l. 22.

Quis miſeram cladem referat, clamore ſecundo
Cùm Latiæ colere manus? cùm ſubdita flamma
Concepit portarum aditus, longèque ruinam
Sacra liquefactis dederunt delubra metallis?
Paſcitur ignis edax, aurumque, aggeſtaque gemmis
Pondera, diuitiaſque operum crepitantibus altè
Semita fit flammis, æſtuque incendia feruent.
Quin etiam raptos altaria ad ipſa Tonantis

Iſa-

Iſacidas iugulant, veteris penetralia templi
Incenſis patefacta aditis, multoque cadentum
Sanguine fœdantur ſacris pereuntibus ignes.
Inde faces ad tecta volant: ruit Ara vetuſtis
Ædibus, inuoluitque viros, igneſque ruina.
Enſis atrox, aut flamma vorat, ſubit vndique mortis
Horror, vbique furor, calidis cruor vndique riuis.

P. Alex. Donatus l. 1 car. 2.

Hic vbi Threïjciam ſpumanti feruidus æſtu
Boſphorus arctat humum, titulis noua Roma ſuperbis,
Ingenti vix matre minor, iam preſſa gemebat.
Obſidione graue dudum, tandemque cruentis
Hoſtibus oppoſitos laxarat machina muros:
Tum ferus Ottomanes portis ingreſſus apertis
Emicat, armatamque Aſiam trepidantibus infert
Arcibus Europæ; verſiſque miſerrima fatis
Seruit. & alternas Trojæ dat Græcia pœnas.
Iam tumidus captam miles ſine lege per vrbem
Graſſatur, cœdeſque calent: & ſanguine largo
Tecta, viæque natant: nullo diſcrimine ſæuit
Turba ferox, iuguliſque rubent puerilibus enſes,
Et glomerata virum ſtruxerunt funera montes
Nec ſeruat ſua ruga ſenem, non clara Senatum
Purpura, non Clerum pietas, auguſtave texit
Te tua Maieſtas Princeps; nec viſcera crudo
Subduxit gladio mollis reuerentia ſexus.

Apud P. Laur. le Brun. to. 2. Eloq. Poet.

Fruſtra irruentem debilioribus
Telis retentas; fit via vi: furit
Infeſtus horrendum nefandæ
Exitium pariturus vrbi.
Cum patre natos, cum duce milites
Seruoſque paſſim cum dominis metit:
Vnoque totam geſtit atrox
Excidio agglomerare gentem.
Nec iam furentem fœminei mouet
Querela ſexus, non morientium
Vagitus infantum, ſenumque
Canities veneranda flectit.
Sæuitum in omnes, & quibus irritus
Pepercit enſis, iam grauior manet.
Hos pœna, dum graſſator vrbem
Sacrilegam populatur ignis.
Vbique ferrum regnat, & horridus
Vbique flammarum æſtuat impetus
Et dæmonum latè profanis
In penetralibus inſoleſcit.
Faſtigiatæ culmina regiæ
Correpta flagrant. Sic Ierico modò
Quæ ſtabat in cœlum, ingemiſcit;
Vindicibus data præda flammis.

Apud P. Laur. le Brun. to. 1. Eloq. Poet.

TROPHÆVM.

INgentem quercum deciſis vndique ramis
Conſtituit tumulo, fulgentiaque induit arma,
Mezenti ducis exuuias, tibi magne trophæum
Bellipotens; aptat rorantes ſanguine criſtas,
Telaque trunca viri, & bis ſex thoraca peritum
Perfoſſumque locis, clypeumque ex ære ſiniſtræ
Subligat, atque enſem collo ſuſpendit eburnum.
Virg. l. 11. Æn.

Quercus erat teneræ iamdudum oblita iuuentæ
Aggere camporum medio, quam plurimus ambit
Frondibus incurris, & crudo robore cortex
Huic leues galeas, perfoſſaque vulnere crebro
Inſerit arma ferens, huic truncos ictibus enſes
Subligat, & fractas membris ſpirantibus haſtas.
Statius l. 2. Theb.

.... Phlegræis ſilua ſuperbit
Exuuijs, totumque nemus victoria veſtit.
Hic patuli rictus, hic prodigioſa Gigantum
Tergora dependent, & adhuc crudele minantur
Affixæ facies truncis immaniaque oſſa
Serpentum paſſi tumulis exanguibus albent,
Et rigidæ multo ſuſpirant fulmine pelles,
Nullaque non magni iactat ſe nominis arbor.
Hæc centum gemini ſtrictos Ægeonis enſes
Curuata vix fronte leuat: liuentibus illa
Exultat Cœi ſpolijs, hæc arma Minantis
Suſtinet, hos onerat ramos exutus Ophion.
Altior & cunctis abies, vmbroſaque latè
Ipſius Enceladi fumantia geſtat opima
Summi terrigenum Regis, caderetque grauata
Pondere, ni lapſum fulciret proxima quercus.
Claudianus l. 2 de raptu.

TRIVMPHVS

AT Cœſar triplici inuectus Romana triumpho
Mœnia, Dijs Italis, votum immortale ſacrabat,
Maxima tercentum totam delubra per vrbem
Lætitia, ludiſque viæ, plauſuque fremebant:
Omnibus in templis matrum chorus. omnibus aræ:
Ante aras terram cœſi ſtrauere iuuenci
Ipſe ſedens niueo candentis limine phœbi
Dona recognoſcit populorum, aptatque ſuperbis
Poſtibus. incedunt victæ longo ordine gentes,
Quam variæ linguis, habitu tam veſtis, & armis.
Hic Nomadum genus, & diſcinctos Mulciber Afros;
Hic Lelegas, Caraſque, ſagittiferoſque Gelonos
Finxerat: Euphrates ibat iam mollior vndis,

Ex-

Extremique hominum Morini, Rhenuſque bicornis,
Indomitique Dahæ, & pontem indignatus Araxes.
Virg. l. 8. Æn.

Ergo omnis populus poterit ſpectare triumphos,
Cumque ducum titulis oppida capta leges.
Vinclaque captiua Reges ceruice gerentes
Ante coronatos ire videbit equos.
Et cernet vultus alijs pro tempore verſos
Terribiles alijs immemoreſque ſui
Quorum par cauſas, & res, & nomina quæret;
Pars referet, quamuis nouerit ille parum.
Hic qui Sidonio fulget ſublimis in oſtro,
Dux fuerat belli, proximus ille duci,
Hic qui nunc in humo lumen miſerabile fixit,
Non iſto vultu, cum tulit arma, fuit.
Ille ferox, & adhuc oculis hoſtilibus ardens,
Hortator pugnæ, conſiliumque fuit.
Perfidus hic noſtros incluſit fraude locorum,
Squalida prolixis qui tegit ora comis.
Hic lacus, hi montes, hæc tot caſtella, tot amnes
Plena feræ cœdis; plena cruoris erant.
Cornibus hic fractis viridi malè tectus ab vlua
Decolor ipſe ſuo ſanguine Rhenus erat.
Crinibus en etiam fertur Germania paſſis
Et ducis inuicti ſub pede mœſta ſedet.
Hos ſuper in curru Cœſar victore veheris
Purpureus populi rite per ora tui.
Quaque ibi, manibus circumplaudere tuorum
Vndique iactato flore tegente vias,
Tempòra phœbea lauro cingentur, ioque
Miles io magna voce triumphe canet
Ipſe ſono, plauſuque ſimul, fremituque calentes
Quadrijugos, cernes ſæpe reſiſtere equos.
Inde petes arcem, & delubra fauentia votis,
Et dabitur merito laurea vota Ioui.
Ouidius l. 4. Triſt. el. 2.

Manſuri compos decoris per ſœcula rector
Deuictæ referens primus cognomina terræ,
Securus ſceptri repetit per cœrula Romam,
Et patria inuehitur ſublimi tecta triumpho.
Ante Syphax feretro reſidens captiua premebat
Lumina, & auratæ ſeruabant colo catenæ.
Hic Macedum primi, atque incocti corpora Mauri,
Tum Nomades, notuſque ſacro cùm luſtrat arenas
Hammoni Garamas, & ſemper naufraga Syrtis.
Mox, victas tendens Carthago ad ſidera palmas
Ibat, & effigies oræ iam lenis Iberæ
Terrarum finis Gades, ac laudibus olim
Terminus Herculeis Calpe, Bætiſque lauare
Solis equos dulci conſuetus fluminis vnda.
Sed non vlla magis menteſque, oculoſque tenebat
Quam viſa Annibalis campis fugientis imago.

Ipſe aſtans curru, atque auro decoratus & oſtro
Martia præbebat ſpectanda Quiritibus ora.

Sil. Italicus l.17.

Oſtentare ſuos priſco ſi more labores
Et gentes cuperet vulgo monſtrare ſubactas,
Certarent vtroque pares à cardine laurus.
Hæc Alemanorum ſpolijs, Auſtralibus illa
Ditior exuuijs; illinc flauente Sicambri
Cœſarie, nigris hinc Mauri crinibus irent.
Ipſe albis veheretur equis; currumque ſecutus
Laurigerum feſto fremuiſſet carmine miles.
Hi famulos traherent Reges: hi fracta metallis
Oppida, vel montes, captiuaque flumina ferrent.
Hinc Lybici fractis lugerent cornibus amnes,
Inde catenato gemeret Germania Rheno.

Claudianus l.3.de laud. Stilic.

Conueniunt proceres, portis ruit obuia turba,
Sexus vterque frequens, ætas ſe proripit omnis,
Omnis honos, omniſuve gradus; ſubſternitur auro
Omne ſolum, & varijs reſplendent pulpita gemmis.
Purpura per vicos ſparſa eſt, & purpura tectis
Obtentu factura viris victoribus vmbram.
Inde ſenum miti deſcendunt agmina vultu,
Hinc iuuenum phalerata phalanx in limine primo
Exceptura ducem. facie ſubit ille ſerena
Ardua purpureo reſidens ſua mœnia curru,
Et niueis inuectus equis generiſque ferebat
Ætherei frons alma fidem; tum millia cunctis
Poſt tergum manibus captiui triſtia vulgi:
Procedunt Macedum proceres, quo bella Philippus
Fouerat auxilio. Sopater dux primus & ipſum
Sanguine contingens Regem mœſtiſſimus ibat.
Poſt omnis legio grauibus connexa catenis
Inſequitur; tum parte alia ſpectacula magni
Siphacis miſeranda habitu: namque obruta vinclis
Maieſtas, lacrymis pectus, terramque rigabat:
Flenſque retrò ad magnum referebat lumina crebrò
Humida victorem, qualem ſpreuiſſet amicum.
Ante ebur, & radians aurum, & pretioſa ſupellex,
Et veſtes oſtro inſignes, penituſque potentum
Diuitiæ regum pompa celebrante vehuntur.
Inde graues clypei, præceptaque fortibus arma,
Signaque, & horrentes galeæ, criſtæque trementes.
Hinc, illinc Romana acies erepta nefando
Seruitio, lætumque canens de more triumphum
Concelebrat; nequeunt oculos ſatiare videndo
Seruatore ſuo.

Franc. Petrarca l.9. Africa.

Proh quàm grata tuis placidæ ſpectacula pompæ:
Quàm læti fluxere dies: quo te obuia plauſu
Nobilitas; ciuis quo circumfuſus ouantem
Concurſu fremituque capit: quibus oppida paſſim
Ardebant ſtudijs! cum te ſublimis, & auro

In-

Inſtratus, tantoque ferox vectore per vrbes
Bæticus inferret ſonipes, curruve ſedentem
Arrecta niuei traherent ceruice iugales.
Delecti proceres aulæ pars maxima circum
Frænatis tendunt in æquis, regnique Senatus
Sanctior, arcani quibus eſt permiſſa poteſtas.
Tum pilata cohors, pictis comitatus in armis
Bellicus antevolat, florenteſque ære manipli
Ipſe inter cunctos medium cingente corona
Arduus incedens cunctis formoſior ibas.
Talis ab Aurora, domitoque oriente regreſſus,
Pampineoque regens virgatas verbere tigres
Mæonios Liber populos, atque arua pererrat
Lydia, maternoque inſignes funere Thebas.
Illum tincta croco, & Mælibeo murice cingit
Veſtis Hydaſpeos auro intexente lapillos.
Hinc atque hinc crines hedera pendente reuinctæ
Baſſarides, Satyrique fremunt: pulſuque Cythæron
Eminus, aut celſi reſonant deuexa Timoli
Haud aliter ſe pompa Ducem comitata ferebat
Finitimas acuens gratis rumoribus vrbes.
Exin turba frequens nullo diſcrimine raptim
Tendere in occurſum, & viduatis mœnibus omnis
Vna ætas ruere, ac totis efferuere portis.
Miſta virùm matrumque manus ſimul innuba proles
Defixis inhiant oculis: iterumque propinquant
Viſendi ſtudio. labor eſt inhibere ruentes,
Molirique viam: & turba defendere regem.
Hæc dum proſpectant reſides, dum vulgus inermum
Paſcitur, atque oculis per cuncta vagantibus hæret:
Procedunt iuuenes. it bellis vtilis ætas
Pars eques ingreditur, ſeſeque oſtentat in auro
Punicea gaudens chlamyde, & radiantibus armis.
Auro ſtrata rigent, frœna aurea, & aureus enſem
Baltheus à tergo bulla gemmante coercet.
Pars pedes in galea, & fuluo thorace coruſcans
Progreditur duplici verſu: grauat ærea læuam
Fiſtula, quà curvum capulus ſinuatur in arcum:
Hi teretes contos, & longa haſtilia criſpant,
Inclinantve humeris. cuncti ſua ſigna ſequentes
Agmine procedunt. telorum ferrea latè
Horreſcit ſeges, atque aduerſo ſole renidens
Æris inardeſcit, fluitatque per aera fulgor.
Icta gemit tellus: tum denſo pu uere nubes
Atra pedum pulſu, campoque volubilis errat.
Inde vbi iam viſi propius ſuccedere muris:
Martius extemplo canor inſonat: vndique rauco
Æra fremunt ſtrepitu, cœlique imitata fragores
Horrificas tormenta vomunt per inania flammas.
Intra autem quacumque gradus, & lumina flectit
Lætior occurrit ſpecies. hinc tecta ſacraſque
Fronde domos viridi, atque obtentu veſtis inumbrant.
Hortorum hinc calcantur opes, ſertoque recenti

Subter humus congeſta, & odoris floribus halat.
Plurima perque vias, & ſicubi laxior vrbis
Area, templorumque aditus, extructa ſub auras
Pegmata conſurgunt; arcuataque fornice picto
Materies longis operum contextibus ora
Detinet. hic acies deſcriptaque bella morantur
Borbonidum. hic magni effigies aut facta parentis
Longa operum ſeries ſeu victa potentibus armis
Mœnia, ſeu campis hoſtem diſiecit apertis.

P. Dion. Petauius in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

BELLI DAMNA.

SErente bello ter decies prope
Haſtis per agros meſſis inhorruit.
Iuxtaque Cadmæos bimembres
Armiferi rubuere ſulci.
Confoſſa telis, lubrica ſanguine
Exuſta flammis, cur traho ſpiritum?
In quæ referuor monſtra, quali
Viuo ſuper perimenda letho?
Non ipſa regni clauſtra, nec editæ
Tutantur arces nubibus adſitæ
Turres, ſupinatæque portæ, &
Mœnia procubuere fundo.
Ahena propugnacula ceu caſæ
Diſiecta, ruptis vectibus ac feris.
Menſura ſtructuræ, ruina eſt.
Ex tumulis tumulata diſce.
Hiant abactis oppida ciuibus:
Gingiua qualis, quam vacuam molæ
A ſtirpe conuulſi cruento
Verbere deſtituere dentes
Non flos iuuentam, non tremulum ſenem
Redemit ætas. funera ceſpite
Diſcreta nullo, fama, virtus
Forma, decor, iacuere iuxta.
Quid hoſtis addat? ſenſimus additum.
Amare cogit. caſtius oderat.
Dies maritis, nox puellis
Cuncta mihi metuenda reſtant.

P. Iac. Balde l. 4. Sil. Ode 1.

Auara quid non diripuit manus?
Detracta toruus prædo monilia.
Gemmaſque dotales auorum
Extulit, Attalicoſque cultus.
In templa verſus luxuriæ furor
Sceleſtus, execrabilis, impudens
Sedes adorandas, & aurum
Sacrilego temerauit vngui.
Vel in rapinas irreuocabiles
Cupido vertit trans maris æquora:

Vel

Vel hauſit inſpectante cœlo
Flamma ſacram populata gazam.
Intra penates arma minantibus
Germane præbes pabula Vuandalis.
Cerdo paludatus triumphat,
Inque tuo benè dormit oſtro.
Conchyliatis lixa tapetibus
Præſepe ſternit, captaque pocula
Circumdat in morem nolarum
Cornipedum quatienda collo.

Idem ibidem.

Sola iam ferri ſeges inſepultis
Surgit in campis, licet, heu! cruentus
Hinc & hinc mucro ſubeat minacis
Munera falcis.
Muta iam paſſim ſiluere crudo
Iura ſub ferro, tumidiſque ſeſe
Æquitas legum minor hinc & inde
Vibrat in alis.
Fana iam paſſim, ſuperiſque ſacras
Impetus Finni quatefecit aras,
Ipſa miſcentur domuum profanæ
Templa ruinæ.
Quæ nolæ nuper placidum ſonabant,
In profanatas abiere belli
Machinas; nec iam ſolito fatigant
Aera pulſu.
Rara per latos pecus errat agros.
Rarus extinctis populus colonis.
Pene vaneſcunt proprijs ſepultæ
Mœnibus vrbes.
Iam ferus ſtricto, implacidusque ferro
Orbis antiquas iterum ruinas
Vrget, & moto metuenda ducit
Iurgia mundo.

P. Alb. Inez lyr. cent. 1. Ode 20.

PAX ET CONCORDIA.

Scilicet æterno complectens omnia nexu
Pax trepidas oculata comas, delapſa per auras
Tandem ſidereo perfundit nectare terras.
Illa comæ radijs bellorum ſauciat vmbras
Et geminos oculorum orbes, quibus aſtra ſerenat,
Fraterno ſplendere docet rutilantius auro,
Contractumque aperit ſinuata cyclade cœlum.
Italiæ ò ſalue columen, ſpes vna laborum,
Mundi altrix, ſtudij mater, iuriſque propago,
Votum animi, cordis cor: ſalue certa Tonantis
Progenies, terræque vigor, Superumque voluptas.
Tu quæ flammati reſidens in margine cœli
Prodiga nectareo conſpergis lumine mentes

Atque alis æterno concordia pectora riſu,
Vena boni ſincera, ſalus pax aurea mundi. *Et inſ.*
Te veniente meos renouabit riſos ocellos,
Gratia contractæ diſſoluet ſeria frontis,
Et pietas auerſa, oculos ad caſtra serenos,
Conuertet, moreſque nouos, humanaque iura
E cœlo reuocata orbi præſcribet amanti.
Ipſa ſalus proprio deterget vulnera velo,
Obducetque manu contracta piacula ferro.
Aug. Maſcardus l. 1 ſil. car. 1.

Claudite nunc Ianum, fratres: ſat regna biberunt
Sanginis: optatæ tempora pacis eant.
Pax fœcundat agros, pax meſſibus horrea rumpit,
Excipit & pleno dulcia muſta lacu.
Pace tubæ, lituique ſilent, & ruſtica pubes
Diffingit patrijs arma recocta focis.
Omnia pace vigent: coeant in fœdera Reges
Terrarum vultus protinus alter erit.
Illa precor veſtros commendent otia faſtos:
Illa precor per vos otia mundus agat.
Auguror, eueniet: ter ramo mitis oliuæ,
Ter niueis pennis candida plauſit auis.
P. Iac. Vallius Eleg. l. 3 el. 1.

Iam minæ ſæui cecidere belli,
Iam profanatis malè pulſa terris
Et ſalus, & pax niueis reuiſit.
Oppida bigis.
Iam fides, & fas, & amœna præter
Fauſtitas læto volat arua curru:
Iam fluunt paſſim pretioſa largis
Sæcula riuis.
Candidis ſoles, veteriſque venæ
Fontibus nati reuocantur anni:
Grandinat gemmis, riguoque cœlum
Depluit auro.
Aurei patrum, niueique mores,
Exul & fera procul vſque Thule
Candor, & pulchro remeare virtus
Audet Olympo.
Lactis, & fuſi per aprica mellis
Garruli campos ſecuere riui:
Et ſuperfuſo tumuere plenæ
Nectare ripæ.
Lætior vulgo ſeges inquietis
Fluctuat culmis, titubantque frugum
Vberes campi, nec auara ſulcis
Inuidet æſtas.
Paſtor errantes comitatus hœdos
Prouocat raucas calamo cicadas.
Mugiunt colles, & anhela feſſis
Silua iuuencis.
P. Caſim. Sarbieuius Lyr. l. 1. Ode 1.

Iam

Iam ſacræ leges, & amica legum
Iura ciuiles cohibent tumultus:
Et fides, & fas, & aperta læto
Gratia vultu.
Iura pacatis dominatur agris,
Iura compeſcunt graue claſſicorum
Murmur, & currus, & hiulca rauci
Fulmina belli.
Pax vbi clauſas moderatur vrbes,
Illa vittatis operatur aris:
Illa vicinis ſtudet æmulari
Sidera templis.
Quaque pubentes graditur per herbas,
Hinc & hinc Diuam comitatus albo
Meſſium fluctu cerealis vndat
Merges ariſtæ:
Longus herboſis ſpatiatur agris,
Ordo virtutum, niueæque iuncta
Fauſtitas paci, legit otioſis
Lilia campis.

Idem ibid. Ode 12.

Nonne vides: pax alma polo decurrit aperto,
Gaudia fronte ferens, manibus noua gaudia plenis
Diffundens? illi rident vaga murice labra,
Flexilis atque illi ſerpit per colla, per aureum
Frontis ebur coma: pars auro, gemmiſque ligatur,
Partem etiam dedit illa leui diffundere vento.
Illa gerit pleno cerealia munera cornu
Mitis Amaltheæ: ſacris vindemia labris
Pendet, & Alcinoi defectus ſtipite ramus,
Illa vigere iubet ſolertes Palladis artes,
Illa docet vatos ſublimia carmina: Paulum
Argumentum ingens, & vatibus illa miniſtrat.

P. Oddo de Comitibus Sil. Rhet. par. 3.

AGRICVLTVRA.

A*Grorum culturam, & inſtrumenta ruſtica deſcribit copiosè Virgilius l. 1. & l. 2. Geor.*
Vide etiam ſupra Tit. Vita ruſtica.

Meſſis.

EN procul alterno lunatos ordine colles;
Quàm benè percocta fertilitate micant!
En propius plano ſpatiantes æquore campos:
Maturæ ſegetis qua grauitate vibrant!
Nunc tumidus, nunc æquus ager, nunc auia vallis,
Totaque ſectilibus frugibus albet humus.
Hic fuſcis ſe iactat Ador daps publica, granis:
Hic & inaurato Tritica folle nitent.

At glebæ melioris agro crepat alba Siligo:
  Flaua ſtrepunt hirtis Hordea denſa comis:
Denique iugeribus frondeſcit Auena remotis
  Sed viret, & lenti tempore ſolis eget.
P. Io. Biſſelius Æſtiu. l. 3. el. 4.

Fruges.

CEu ſegetes cùm iam campis flauentibus vndant,
  Meſſorumque vocat falces ardentior æſtas:
Illi alacres longo ſectantes ordine ſulcos,
Solis ad occaſum primo ſurgentis ab ortu,
Obuia quæque ſecant confuſis ſemina culmis.
Euertunt, ſternúntque ſolo; farragine campus
Obtegitur: lolio infelici grandia farra,
Hordeaque, & graciles ſiliquis miſcentur auenæ
Florentemque comam proſtrata papauera ponunt
Horrentes tribulos inter, lappamque tenacem.
Nec calamos manus, aut ferrum diſcernit ariſtas.
It ſerie labor vna, & eodem limite ſtrages.
P. Ant. Millieu sto. 2. Moyſ. Viat. l. 21.
Meſſum, demeſſum ſurgamus, eamus. herile
  Id nos imperium, pactaque penſa monent.
In dextra ſua cuique ſua falcata machæra,
  Cuius ſub cauto ſtramine mucro latet.
Iamque caput petaſo ſoles prohibente coronant,
  Iam graue thoracis diſpoliatur onus.
Nec mora, diſtringunt redacutas cotibus harpas,
  Crudelique rotant dexteritate manum.
Vnicus haud vnis ſatiatur cœdibus ictus:
  Vulnere non multo multa ruina venit.
Damætas, operis Dictator, rexque laborum,
  Primus in exemplum grande trucidat agrum.
Poſt alios alij flauentia frugibus arua
  Falce ſecant Cereri munera ſacra Deæ.
P. Io. Biſſelius Æſtiu. l. 3. El. 6.

Tritura.

HIc frugem euigilans cupio ſpectare cadentem,
  Quam ſibi proſternit ruſticus ante pedes.
Vndique feruet opus campo: pars illa maniplos
  Colligit, & nodo iam leuiore ligat.
Pars onerare trahas aggeſto gaudet aceruo,
  Coniunctoque domum pondera ferre boue,
Area non procul hinc tereti eſt æquata cylindro,
  In qua excernatur ſordibus acta Ceres.
Hic vbi laxati conſurgunt orbe manipli,
  Denſaque compactum denſat ariſta nemus,
Inſilit in medium velox agitator equarum
  Agricola, & ternas lora reuincta tenent.
Has agit in gyrum ſucceſſu læua terentes
  Triticeam meſſem, has verbere dextra domat.

In-

Inuertit culmos focius non ritè reſectos,
Confuſamque nouo congerit orbe ſtruem.
Hac iterum ſtat cogere equas, & frangere: donec
Trita minutatim ſit pede tota ſeges.
Tum pars expurgat paleis, pars ventilat auris
Frumenta, & cribrum pars Cereale quatit.
Philomatus in Muſ. Iuuen car. 65.

Vineæ Cultura.

Vide Virg. l. 3. Georg.

Vindemia.

Ecce autem dulces labris pater ingerit vuas
Autumnus, crebræque eliſus verbere plantæ
It per præla latex, puerique examine denſo
Exultant laſciua cohors, circumque ſupraque
Ille manu panda pronus bibit, alter ab ipſo
Sugit muſtã lacu crepitantibus hauſtã labellis.
Hic ſua ſuſpenſum reſupinus in ora racemum
Exprimit, hic ſocij patulos irrorat hiatus,
Irriguumque mero ſordet mentumque, ſinuſque:
Ebriaque incertis titubant veſtigia plantis.
Ang. Politianus in Ruſt.

Me tamen ante alios delectant pinguia pleno
Muſta lacu, tepidiſque vndans vindemia labris.
Nonne vides vbi ſe cœlo librauit Orion
Enſifer in medio, cuſtodes vinea ſepes
Negligit, obiectaſque fores recludit, & aſper
Falcibus extremos populatur vinitor antes?
Cernitis vt Lycidas oleas, vt ruſtica Phyllis
Aureolam lentis carpit de vitibus vuam
Et ciſtã fœtus, & raſilibus calathiſcis
Vitigenos exportat; onus nec ſentit amico
Iam leuior Baccho, & cantu minuente laborem?
Ecce autem Tyriæ t udantur cortice guttæ,
Autumnuſque fluit robuſto verbere plantæ
Colliſus, per præla latex, per vimina currit
Sanguineus, ſudatque nouo iam nectare fiſcus,
Et tenues abeunt colum per nexile riui.
P. Tarq Gallutius l. 1. car. 18.

Vinum.

Illi iucundos primùm matura ſopores
Expreſſa incultis vua dedit pedibus,
Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Mouit & ad certos neſcia membra modos:
Bacchus & agricolæ magno confecta labore
Pectora triſtitiæ diſſoluenda dedit.

Z 6 Noni

Non tibi ſunt triſtes curæ, non luctus Oſiri.
Sed chorus, & cantus, & leuis aptus amor.
Tibillus l. 1. El. 7.

Tu genium crudum, tu triſti aſperrima ſenſu
Bacche ſupercilia, atque incommoda pectora mollis,
Saturnumque grauem leni Ioue frangis, & acri
Rore potens laxas iucundo ſeria ludo.
Hinc vati facis ingenium, & fœcunda poetis
Carmina te dictante fluunt: vbi pectora mordet
Ignea vis, ſtimulatque ferox inſania vini.
Te ſine non quiſquam laudata poemata fecit,
Aut priſcos cantauit auos, aut bella frementum
Dixit equum, cum Muſa lyras pulſaret amantum,
Cùm quateret vatum diuina poetica mentes.
P. Tar. Gallutius l. 1. car. 8.

Hortorum cultura.

Vide Columellam lib. 10. qui totus eſt de cultu Hortorum.

Ars inſerendi arbores.

QVin & caudicibus ſectis, mirabile dictu,
Truditur è ſicco radix oleagina ligno:
Et ſæpe alterius ramos impune videmus
Vertere in alterius, mutatamque inſita mala
Ferre pyrum, & prunis lapidoſa rubeſcere corna. *Et inf.*
Inſeritur verò ex fœtu nucis arbutus horrida,
Et ſteriles platani malos geſſere valentes,
Caſtaneæ fagos, ornuſquè incanuit albo
Flore pyri, glandemque ſues fregere ſub vlmis.
Nec modus inſerere, atque oculos imponere, ſimplex.
Nam quà ſe medio trudunt de cortice gemmæ,
Et tenues rumpunt tunicas anguſtus in ipſo
Fit nodo ſinus: huc aliena ex arbore germen.
Includunt, vdoque docent inoleſcere libro.
Aut rurſum enodes trunci reſecantur, & altè
Finditur in ſolidum cuneis via, deinde feraces
Plantæ immittuntur. nec longum tempus, & ingens
Exijt ad cœlum ramis felicibus arbos,
Miraturque nouas frondes, & non ſua poma.
Virg. l. 2. Georg.

Ergo nunc ramos libro demitte ſub vdo
Artifici dextra, fixo nunc inijce ligno,
Atque altè impacto cuneo immitte, alteriuſque
Cortice coniunge, & cera mox illine adacta,
Vlmeaque obſeptis conſtringe, & vincula plagis.
Arceto & pluuiam coniecti ceſpitis herba.
Nunc & creſcentem vicino è margine virgam
Admoue, & inciſo leui ſub vulnere libro
Sic fige, vt lento deſint ne cingula nodo.
Aut & eam tranſmitte forato ad viſcera trunco,

Mirantem latebraſque cauas, & operta viarum.
Neue excide illam. ſinito de matre propinqua
Hauriat vt ſuccos ſolitos, ſolita vbera lactet,
Donec eam grandem natu, longèque valentem,
Atque nouercales ſtringentem enixius vlnas
Videris, & proprio meditantem viuere ſucco
Tunc abrumpe manu, materna e ſtirpe reuelle,
Creſcet, & immenſum ducet latè aucta cacumen.
Interea læto ſurgit dum ſurculus auctu,
Sæpe riga, ſæpe eductas de ſtipite gemmas
Euelle, & duris inuerte ligonibus arua,
Et matri blandire, ſua dum prole repulſa
Cogitur indignans alienos paſcere fœtus.

Iou. Fontanus de Hor. Heſp l. 2.

Venerit inſitio: iuuat hunc, iuuat arboris illum
Felicis fruticem peregrino includere ligno.
Finduntur nodi: reſecantur inutile pondus
Silueſtres rami: ramos felicior alter
Inſeritur: ſurgunt vdo noua germina libro.
Mirantur platani malos, mirantur & vlmi
Ignotas glandes, & non gentilibus ornus
Stat curuata pyris, nec ſe ſe agnoſcit in illis.

P. Iac Vuallius in Paraphr. Horat.

.... ceu ſæpe colonus
Cui pingues oleas lætis ſtudium addere campis,
Si temere oblatus ſpinis oleaſter acutis
Cautibus inuentum duris auellit, & infert
Ponendum vberibus glebis, oleæque feraci
Inſerit, ac pingi effultum radice maritat,
Pinguibus inde nitor baccis, inde vbera prælo.
Ponit enim ſilueſtrem animum, ſeque indole miti
Induit, ac folijs deinceps crinitur honoris;
Larga per incuruos ſplendet vindemia ramos.

P. Ant. Millieus l. 15. Moyſ. Viat.

Eximiæ vates alius proſpectat oliuæ
Stirpibus hærentem validis, & robore truncum.
Apparent raræ per ſumma cacumina baccæ,
Sed multi ſteriles mucoſo cortice rami.
Quos vbi frondator nullo reuireſcere cultu
Senſit, & antiquo obſtantes radicis honori,
Ad viuum reſecans obtruncat inutile lignum.
Sternitur infelix ferro iam mortua ſilua
Deponitque comas. fixis alia indita nodis
Protinus inſeritur quauis ex arbore virga
Quam trunco docet ipſe modis inoleſcere miris
Agricola, atque oleæ, pingui ſuccreſcere ſucco,
Ingeniumque nouo mutatum oſtendere fœtu.
Poſt vbi adoptiuis ſenuerunt ſemina ſulcis,
Abruptos oleæ ramos miſerante colono
Reſtituit patriæ, viſu mirabile, ſtirpi
Ipſe ſator, dominuſque oleæ, & radicibus aptat.
Ac rediuiua ſuæ reddit plantaria matri.

Idem ibidem.

SACERDOTES ET SACRIFICIA ETHNICORVM.

ET iam tempus erat cæſis de more iuuencis
Stridere accenſos extis fumantibus ignes.
Stabat purpureus trabea, Conſique per aras
Solemnes Conſul flammis adolebat honores;
Lecta miniſterio properabat ſacra iuuentas.
Sparguntur puro manibus de flumine fontes,
Et liquidis luſtratur aquis, tauruſque ſuperbit
Quod caput auratæ religant & cornua vittæ,
Et lætæ circum decurrunt tempora fruges.
Sanguineo damnata luit mox gaudia letho:
Nam graue perſonuit gemina inter cornua ferrum
Vectibus impactis, & adactæ in colla ſecures.
Incidit icta ſolo, mugitque, gemitque recumbens
Victima: conueniuntque Popæ: tum vulnere largo
Inſigunt alij cultros, artuſque trementes
Viſceraque enudant, ſcinduntque calentia membra.
Lancibus excipiunt alij, leuibuſque caniſtris,
Luctantes & adhuc venas, animamque latentem
Scrutantur, velluntque manu; tyrrhenus aruſpex
Aſpicit interea calido ſpumoſa cruore
Simpulà nequicquam, & morientibus incubat extis,
Si modò viua cauis ſubeant oracula fibris.
Illi fruſta ferunt calathis, & adorea miſcent
Semina ſacrificos Conſul deponit in ignes
Vina ſuperfundens: teneris repetita Camillis
Dulcia nec deſunt bifori modulamina buxo.

P. Alex Donatus l. 2. Conſt.

Et iam ſurgit humo, pedibuſque innixa quaternis
Mobilis ara focos, & prima incendia nutrit,
Magnaque floriferis ſe victima cornibus infert
Taurus, & aduerſo ferientem lumine ſolem
Vertice fulgentis lumen quoque verberat auri.
Ipſe operaturo cinctus rex tempora velo
Pontificum de more preces, & priſca reuoluit
Carmina tangentemque aras, & vota nouantem
Impia tirrhenus lituis reſonabat eburnis.
Tu quoque farre caput ſpargis: tibi thure Sabæo
Victima luſtratur: tu delibata falerni
Pocula diſpergis, taurinaque corpora cultro
Deſignata iubes valido procumbere ferro:
Nec mora, torquentes immani mole ſecurim
Obſeruata Popæ certatim in vulnera ſudant
Nudarunt alij, & limphis lauere iacentem:
Spumantem pateris pars infudere cruorem,
Viſcera pars calathis, diſiectaque membra vehebant,
Et flammis abolenda ferunt.

Idem l. 10. Conſt.

Sacer-

Sacerdotes & Sacra Cybeles.

SIc Phryga terrificis genitrix Idæa cruentum
Elicit ex adytis, conſumptaque brachia ferro
Scire vetat: quatit ille ſacras in pectora pinus.
Sanguineoſque rotat crines ac vulnera curſu
Exanimat, pauet omnis ager, reſperſaque cultris
Arbor, & attoniti currum erexere leones.
Statius l.9.Theb.

Sacerdotes & Sacra Bacchi.

QVin etiam in ſiluas ſimulato nomine bacchi,
Euolat & natam frondoſis montibus abdit,
Euoe Bacche fremens, ſolum te virgine dignum
Vociferans, etenim molles tibi ſumere thyrſos,
Te luſtrare choros, ſacrum tibi paſcere crinem.
Idem omnis ſimul ardor agit, noua quærere tecta.
Deſeruere domos: ventis dant colla, comaſque:
Aſt aliæ tremulis vlulatibus æthera complent,
Pampineaſque gerunt incinctæ pellibus haſtas.
Virg.l.7 Æn.

Tempus erat, quo ſacra ſolent Trieterica Bacchi
Sithoniæ celebrare nurus: nox conſcia ſacri.
Nocte ſonat Rhodope tinnitibus æris acuti:
Vite caput tegitur, lateri ceruina ſiniſtro
Vellera dependent, humero leuis incubat haſta.
Concita per ſiluas turba comitante ſuarum
Terribilis Progne, furijſque agitata doloris
Bacche tuas ſimulat. venit ad ſtabula auia tandem,
Exululatque, Euoeque ſonat, portaſque refringit,
Germanamque rapit, raptæque inſignia Bacchi
Induit, & vultus hederarum frondibus abdit.
Ouidius l.6.met.

Biſtonides veluti Ciconum cum forte pruinas
Ogygijs complent thyaſis, ſeu Strimonos aruis,
Seu ſe per Rhodopen, ſeu quà nimboſus in æquor
Voluit hyperboreis in cautibus Iſmarus Hebrum,
Dat ſomno vaga turba, ſimul laſſata quieſcunt
Orgia, & ad biforem reboat nec tibia flatum.
Vix requies iam ponte ligant, rotat enthea thyrſum;
Baſſaris, & maculis Erythrææ Nebridos horrens,
Excitat Odryſios ad marcida tympana Myſtas.
Sil. Apollinaris in Paneg. Maior.

Sacra in honorem Herculis.

FOrte die ſolemnem illo Rex Arcas honorem
Amphitryoniadæ magno, diuiſque ferebat
Ante vrbem in luco Pallas huic filius vna
Vnà omnes iuuenum primi, pauperque Senatus
Thura dabant, tepiduſque cruor fumabat ad aras. *Et inſ.*
Cin-

Cingite fronde comas, & pocula porgite dextris,
Communemque vocate Deum, & date vina volentes.
Dixerat. Herculea bicolor cum populus vmbra
Velauitque comas, folijſque innexa pependit,
Et ſacer impleuit dextram ſcyphus, ocyus omnes
In menſam læti libant, Diuoſque precantur.
Virgilius l. 8. Æn.

Sibylla, ſiue Sacerdos vaticinans.

.... cui talia fanti
Ante fores ſubito, non vultus, non color vnus:
Non comptæ manſere comæ; ſed pectus anhelum
Et rabie fera corda tument, maiorque videri
Nec mortale ſonans: afflata eſt numine quando
Iam propiore Dei. *Et inſ.*
At phœbi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur vates, magnum ſi pectore poſſit
Excuſſiſſe Deum. Tantò magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans fingitque premendo.
Virgilius l. 6. Æn.

.... non vnquam plenior artus
Phœbados irrupit Pæan, mentemque priorem
Expulit atque hominem toto ſibi cedere iuſſit
Pectore. bacchatur demens aliena per antrum
Colla ferens, vittaſque Dei, Phœbeaque ſerta
Erectis diſcuſſa comis, per inania templi
Ancipiti ceruice rotat, ſpargitque vaganti
Obſtantes tripodas, magnoque exæſtuat igne
Iratum te Phœbe ferens: nec verbere ſolo
Vteris, & ſtimulos flammaſque in viſcera mergis.
Spumea tunc primùm rabies veſana per ora
Effluit, & gemitus, & anhelo clara meatu
Murmura: tunc mæſtus vaſtis vlulatus in antris,
Extremæque ſonant domita iam virgine voces.
Et infra................ illa feroces
Torquet adhuc oculos, totoque vagantia cœlo
Lumina nunc vultu pauido, nunc torua minaci
Stat numquam facies, rubor igneus inficit ora,
Liuenteſque genas: nec qui ſolet eſſe timenti,
Terribilis, ſed pallor ineſt, nec feſſa quieſcunt
Corda, ſed vt tumidus boreæ poſt flamina pontus
Rauca gemit, ſic multa leuant ſuſpiria vatem.
Lucanus l. 5.

Silet repente Phœbas, & pallor genas
Crebeique totum poſſidet corpus tremor.
Stetere vittæ, mollis horreſcit coma,
Anhela corda murmure occluſo fremunt,
Incerta nutant lumina, & verſi retrò
Torquentur oculi: rurſus immites rigent:
Nunc leuat in auras altior ſolito caput,
Graditurque celſa; nunc reluctantes parat

Reſt-

Reſerare fauces; verba nunc cluſo male
Cuſtodit ore Mænas impatiens Dei.
Seneca in Agam. ac. 3. ſc. 2.

PERSONÆ, ET ACTIONES SACRÆ.

Sacerdos Summus Hebræorum.

STabat ſacra ferens altaria ad ipſa Sacerdos
Succinctus lino albenti, capiriſque bicorni
Tegmine, peruigilem aſſeruans penetralibus ignem
Nunc circum ante aram nataтorum intonſa corona
Fundebant pateris vituli, vt tunc forte cruorem,
Quem Pater vt ſontis populi commiſſa piaret,
Mactarat Superum Regi, veniamque precatus
Suppliciter ſolitos aris adolebat honores
Iamque leui fuſum delibans ille cruorem,
Terque, quaterque ſacram digito irrorauerat aram,
Areque impoſitam flammam, & ſeptem ordine lychnos
Linteaque ampla quibus ſacrorum arcana teguntur.
Hier. Vida l. 3. Chriſt.

Ergo videbatur ſacrum prope ſiſtere limen
Et ſemel & ſolus, puraque in veſte Sacerdos
Summus, & ingenti cultum componere pompa.
Cingebat diadema caput, fumantis acerræ
Dextra ferebat onus, gemmatum pectus, Epomis
Picta, graues humeris Iudeæ pondere gentis,
Nominibuſque duo lapides, & diſcolor auro
Baltheus, alternis & tintinnabula malis
Aurea, mobilibus ſemper reſonantia linguis.
P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

Non tam dignus erat ſemel inter feſta Sacerdos
Maxima, flauentem licet auri è ſegmine lamnam
Fronte gerens, nomenque Dei; ceruice thiaram,
Pectore biſſenas gemmas, humeriſque lapillos
Ingentes, ſculptaſque Tribus, niueumque poderem,
Et tunicam textu mixtam: cui punica circum
Mala coronato fœtu, & reſonantia mixtim
Dite ſono, linguiſque auro tundentibus aurum,
Pendebat vario, cui tintinnabula limbo;
Thuris odoratam dextra fragrantis acerram
Succutiens iuſſoque adolens ſacra abdita nimbo.
Idem ibidem.

Prima verecundo ſubrepit fibula cinctu;
Tum tunica induitur torta ſtrictiſſima byſſo,
Materie quam zona pari, ſed textilis arctat
Hanc ſuper inijcitur ſtellato ſtamine palla
Quadricolor, florum innumeris oculata figuris.
Illa pedum motu quoties impulſa per oras
Aurea puniceis impingit cymbala pomis

Tinni-

Tinnituque ciet ſacra ad myſteria cœlum.
Poſt quadrilice humeros lorica, & pectus honeſtat.
Sardonicaſque ſuper nodis ſurgentibus armos
Attollit duplices, thoraciſque alligat oras:
Vnde duplex textu, & duodenis inclyta gemmis
Deſcendit plagula, & medio ſe pectore ſiſtit
Eximium rationis opus, luciſque toreuma,
Doctrinamque, Verumque ſacro cum lumine fundens.
Textilis in ſpeciem colubri premit illa circum
Baltheus, extremas ſaguli mirabilis oras,
Vt duplici amplexum cinctu ſubſtrinxit, ad imos
Defluit vſque pedes, vernaque leberide ſerpit.
Denique dat capiti auguſto venerabile tegmen,
Inſculptumque Dei haud effabile nomen in auro
Impoſuit.

— *P. Ant. Millieus l. 18. Moyſ. Viat. to. 2.*

Vide ſupra Tit. Veſtitus Summi Sacerdotis Hebr.

Sacerdos Chriſtianus.

Vide ſupra Tit. Veſtitus & cultus Sacerdotis Chriſtiani ad aram operantis.

Miſſa Sacrificium.

Hoc apparatu Myſta præfulgens, preces
Præit, & fauere poſtulat linguas preci:
Exin ſuſurro carmen arcano premens,
Concepta verba voce ſubmiſſa, breuem
Orbem ſacratæ Cereris ambabus tenens
Palmis, in ipſam emurmurat frugem prius,
In dona laticis deinde vigenti incubans
Rata verba promit: aureum poſt hæc ſcyphum,
Vt ante frugem, verticem elatum ſupra
Tantiſper adſtans manibus oſtentat ſacris.
Procul ore populus cernuus, nixus genu,
Sublimè rapta dona deuenerans, piè
Suſpectat & clam vota prænarrat Deo.

P. Ber. Stephonius in Flau. act. 2. ſc. 3.

Sic habitu, ſic ille nitens in veſte decora
Parturit arbitrio, parturit ore Deum.
Vt ſtetit ante aram, ſacris indicta litandis
Edidit in longas preuia verba preces.
Tunc nitidam dictis Cererem pollentibus afflans,
Induit in paruam Numina tecta dapem.
Numina Virgineo quondam quæ reddita partu
Quæ Deus æterna prodita mente parit.
Hinc Bromio vocem aſpirans, & myſtica verba,
Iam tenet arcano pocula ſeta Deo.
Pocula quæ ſapiunt Lenæum, & ſola cruorem
Numinis, & liquida cum nece Numen habent.
At nece cum liquida, cui victima viua ſuique
Funeris exemplum, funeris vltor ineſt.

Hinc

Hinc animata Deo delibat munera menſæ.
Veſca famem ſedant Numina, pota ſitim.
P. Conſt. Pulcharellus l. 3. el. 4.

ECCLESIÆ SACRAMENTA.

Baptiſmus.

HIc vbi pura liquet natiuo flumine Naias,
Infantum genus, & primæ ſub lumina vitæ
Nata Deo ſoboles, noxas Inſtrata paternas!
Eluit, & ſacris renouat natalibus æuum.
Idem l. 2. Eglo. 7.

His Regem auſpicijs heros ter flumine ſacro
Abluit; atteſtans tria Numinis ora triformis,
Æternum Genitorem, æquæuum in ſecula Natum,
Afflatumque anima communem ambobus amantem;
Nec mora: dum nudo capiti ſacer influit imber
Protinus inſanæ diſcuſſo turbine mentis
Rurſus in ora ſuo natiua ſupercilio Rex
Aſſurgit; vultuſque animo arriſere ſereno.
Idem l. 2. Pæon.

Hæres Olympi natus erit tuus,
Tingens ſub vnda molle caput ſacra,
Labes auitas efficaci
Eluere; & vitium parentis.
Nunc innocentis fluminis alueo
Mergatur infans; enatet vt Styge;
Flamenque fando rore puro
Membra lauet, maculamque tergat.
Sic fœda quærat vertere candidis,
Votiſque amicis triſtia, promouens
Cœlo recantantis parentum
Opprobrijs, generiſque damnis.
P. Io. Bap. Maſculus l 2 Ode 13.

Felix poſteritas, quæ cœlo vndante videbis
Oceani cœleſtis aquas Iordanis in alueum
Defluere, & Charitum nardos, & pinguis amomi
Effuſos onyces ſacris innare fluentis.
Lumine tum caſſi fætus, lethoque iacentes
Inuenient vitam merſi genitalibus vndis:
Emergent vegetæ proles, nitidæque iuuentæ
Et diram ſub aquis mortem, ſcabiemque relinquent
Vipeream, niueis alacres in veſtibus ibunt,
Quos ſuper æthereis rorarint nubibus ignes,
Quoſque columbinis plaudens inſederit alis
Spiritus, & plena Charitum perfuderit ora.
P. Ant Millieus l. 5. Moyſ. Viat. t. 1.

Cœli primitiæ faciles, cœleſte lauacrum,
Lux animi, veteris certa medela mali.
Mens hominum veſtris abluta renaſcitur vndis.
Altera cum melior vita priore datur.

Veſter

Veſter & extorres cœlo liquor vſque redonat,
Et potis eſt ſtygio demere corda iugo,
Vobis tuta ſalus, vobis debetur origo
Semper inexhauſti ſpes & aperta boni.
Ille liquor cœli iam dudum clauſa relaxat
Clauſtra, per hunc ciues, turba redempta ſumus.
Bened. Milanus El.2. ad Franc. Car. Bar.

Confirmationis Sacramentum.

VErùm antiqua lues, & adhuc mulctanda dolor
Et virus lethale animis, & mortis origo
Viuit adhuc: viuunt ſceleris primordia tanti:
Nam quamquam luſtrata ſemel cunabula mentis
Abluta contage nouæ dant munera vitæ,
Nec Superùm veteres iras, aut arma timemus;
Stat ſceleri ſua pœna, manent etiam altera bella
Tartareum contra Regem: ſed & altera bella
Subſidia è pleno præbet fons alter oliuo.
Quo quibus inſperſit frontem ſacer vnguine pollex,
His tacitum irrorata ſui per ſymbola Numen
Illapſum, mentem arcano lenimine mulcet;
Iuratamque ſuorum aciem, & data nomina cœlo
Explorat, ſignumque ſuæ dat habere paleſtræ,
Diuinique animis inſignia Martis inurit.
Hæc vires vnguenta notant diuinitus auctas,
Et faciles ad bella manus, atque omnia palmæ.
P. Conſt. Pulcharellus l 3. Egl.2.

Pænitentia, ſiue Confeſſio piacularis.

QVin etiam ſi quos belli fortuna ſubegit
Vulnera ſæua pati, & ſtygio ſuccumbere Marti;
En alios latices, vnum, & commune leuamen.
Hic animæ languentum abluta cæde piantur,
Et ſua primæuas repetunt præcordia vires.
Idem ibidem.

Nunc ò reſigna non benè condita,
Patens dehiſcat pectus, & intimum
Cubile cordis; fraude cœca
Obſita quæ latuere, profer.
Ah ſiſte tandem, ſiſte licentiam
Procacis æui; quis furor arſerit.
Non erubeſcendis latere
Vocibus, ingenuamque Patri.
Committe mentem, quidquid habes reus
Depone tutis auribus, integer
Veri, terens, & cor dolendo,
Vela dare, & ſtatuens retrorſum.
Quod illæ pœnæ cunque ſalubrius
Decreuit, vltrò perſoluas. ſatis
Flagroue facturus, vel æra
Connumerans domino repoſta.

Vectes

Vectes ahenos pectore demoue,
Centum quod arces clauibus, elue
· Te labe turpem, atque ore peſtem
Egere, vipereumque virus.
Culpabis actus verbaque lubrica.
Operta prodes tu quoque conſili:
Effare tandem quo cruentus
Vulnere, quo pereaſue morbo.
Flamen mederi doctus, & abſtinens
Soluentis auri crimina, purius
Dijudicet, rerumque prudens
Atque ſciens animi doloſi.
Reducet Orco, teque polo potens
Verbis redonabit. Genitor quoque
Obliuioſus mittet iram
Compoſitis melior ſagittis.

P.B.Maſculus l.2.Ode 17.

Sacratiſſima Euchariſtia.

NVnc age, ſi qua oculi ſitiunt miracula rerum,
Aſpice ſurgentem medijs altaribus amnem
Purpureum. Bacchi facies, verùm altera virtus;
Altera conuiuis menſę pars, altera vitæ.
En eadem oſtentat Cererem ſimul ara nitentem.
Sed non illa Ceres, non gramine nata propago,
Numen Io, Numen tali ſe fonte propinat;
Sed dapibus verè ſuppoſtum apponit ariſtæ,
Et Cererem vultu & vultu mentitur Iacchum,
Nempe ſuis munus menſę ſe prębet vtrumque,
Indiſcreta, licet diſcreta videntibus, eſca.

P. Conſt. Pulcharellus l.2.Eclo 7.

Hæc ſumma ſacri: quippe vim quandam notis
Præmurmuratis eſſe non dubiè autumant,
Certam, efficacem, viuidam, expreſſam, citam;
Adeò vt ſequacis numen alliciat Dei
In ſacra dona frugis, & vini illico.
Non eſſe verba: ſanguine vino ſtatim
Subire, frugi corpus abeunti citum:
Et eſſe eundem ſanguinem planè docent,
Idem diſertè corpus, & iuſtum quidem
Et vndequaque partibus plenum ſuis,
Et explicatum, & arduo dignum viro,
Quod ille quondam Chriſtus, exhauſtus nece
Geſſiſſe fertur. ille nunc ergo Deus
Et mortis vltor dictus, audiuit ſimul
Inſinuat aſtris lapſus, in frugis globum,
Et in liquoris penetrat eiecti locum.

P. Ber. Stephonius Flau. ac.2 ſc.3.

.... in medijs Rex ipſe peractis
Ritè ſuper menſam ſacris vmbratilis Agni
Res ipſas vacuis, ſeque ipſum protinus vmbris
Subſtituit: farris ſpeciem, laticiſque Lyæi

In lui-

Induitur. ſe triticea ſub imagine totum
Vitigenoque latens totum ſe tegmine condit,
In Cereris, Bacchique iocos, & munia lapſus,
Vt ſatiet, potetque ſuos; vt candida ſemper
Hoſtia perpetuas rubicundaque perſtet ad aras.
P. Ant. Millieus l. 19. Moyſ. Viat. to. 1.

Mirus amor! ſuperum digreſſu lauta ſupremo
Fercula diſponit dio Sapientia cultu,
Et ſe conuiuis epulandum mitibus offert,
Scilicet exiguo cruſti Cerealis in orbe
Maieſtas incluſa latet; ſub imagine Chriſtus
Triticea veſcus mortali abſumitur ore.
Cœna ferax operum, dulcedine diues honeſta
Fertilis oſtentis, ſtupet ad miracula rerum
Nec capit, & natura probat. diſpenſat opimas
Ipſe dapes, laticeſque pios, & potus & eſca.
Ipſe dat, ipſe datur; ſacrumque ſacriſque ſacerdos
Immedicata Ceres veros conflatur in artus,
Et verax in corpus abit, mutata cruorem
Pocula diuinum ſubito lenea fatentur
Numen vtroque manet ſub tegmine; peruia quamuis
Exterior ſpecies ſenſus fruſtretur inertes,
Forma meri, frugumque ferax apparet imago,
Alma fides vtrumque negat, ſub rore lyæo,
Fruge ſub exili venerabile Numen adorat.
Nec tamen in tenui maieſtas abdita libo
Exiſtit diuerſis locis. manet vna ſub eſcis
Pluribus, impatiens viſus, imperuia tactu,
Secta quid in varias memores libamina partes,
Et ſummum quouis in fragmine adeſſe Tonantem.
Bened. Milanus in Hymno Sacroſ. Euchar.

. . . . lacrymis altare decoris
Irrigat, vt Virgo frumentum Virginis ara
Conferat in media facit: atque in vota Tonantem
Euocat, vt Cereris mox velet imagine Verba
Iamque arcana premit tacitus, ſecumque ſuſurrat
Præluditque operi magno, circumflua pennis
Intremit Aligerum pubes. ille ore tremendo
Omnipotente, globum digitis complexus, Olympi
Qui facit inuidiam ſtelliſque, globiſque; rotamque
Attollens, noſtræ qua vertitur alea ſortis,
Incubat: in niuee frugi premurmurat orbem:
Depromit rata verba. Deus tunc fruge repulſa,
Se corpuſque ſuum, fidei myſteria, vitæ
Pabula preſentis, pignus pretiumque futuræ
Orbiculo inſinuat Cereris: quantuſque videri
Æthere cælitibus ſolet, æquæuoque Parenti
Tantulo in orbe latet tantus.
P. Car. de Luca l. 15. Dom. Laur.
Vide ſupra Tit. Miſſa Sacrificium.

Sacramentum Extremæ Vnctionis.

EN vbi fatalis ventum ad confinia lethi,
Puniceis duplex ſalientibus irriguus fons
Palladium laticem, & liquentia balſama mittit,
Hinc petit extremum auxilium iam proxima fato
Progenies; ęgros artus hoc vnguine tergent.
Hoc miſeris vnum ſummo in diſcrimine rerum
Præſidium dubiæ menti, feſſiſque leuamen;
Viribus, hoc certum pacati Numinis omen.
Hoc ſubit auſpicio vitæ melioris origo.

P. Conſt. Pulcharellus l.2. Egl.7.

Sacer Ordo.

QVid fugiunt ad metam oculi? tantumue tuendo
Prætereunt? alium videu illo in vertice fontem
Collis oliuiferi, & liquentem in fonte Mineruam?
Hunc rorem æternum tacitè labentis oliui
Accipit; hac vngit geminas aſpergine palmas
Alma cohors, magno Superûm deſponſa Parenti;
Atque hinc fœta Deo vocem, ſenſumque feracem
Numinis accipiens, partus gerit ore perennes.
Hinc Cererem deuotam aris, & myſtica fando
Vina ſacris libare licet, veſcique Tonantem.
Et facilem potu facili ſupponere menſę,
Nec prius hoc liceat, quàm tu Dijs proxime Pręſul
Supplicibus Sanctum palmis illeueris vnguen,
Et cœleſtem animis (tantum das poſſe litando)
Spirandi, fandique potens afflaueris auram.

Idem ibidem.

Matrimonium.

CErno alium, qui culta rigat florentia, riuum.
Nil vſquam vberius terris, nec purius aura
Vlla liquet. Sanctum circa ſedet agmen amantum
Atque omnis genio pubes operata iugali.
His luſtratus aquis furias dediſcit iniquas,
Nec poſitos vltra fines mouet arma Cupido:
Sed tantum ſacro leges fouet igne maritas.
Hinc ſuboles nulla Cyprij cum labe veneni;
Et venit ad partus melior Lucina verendos.

Idem ibidem.

Eccleſia Nauis allegorica.

.... Ratis ignea viſa per auras
Ducere flammantes media in caligine ſulcos
Et vectare neces, perque ęquora nigra timores
Quattuor ex omni mundi regione, carinæ
Incubuere ſimul ventorum. turbinat Eurus,

Impel-

Impellit Boreas, quaſſat Notus, Africus vrget,
Coniurant elementa. volat tamen illa periclis
Tutior in medijs, æſtuſque illudit, & Auſtros,
Deſignatque ratem ſulco victore, gubernat
Quam ſceptro Petrus, clauoque timendus. Amoris
Hæc flammis compacta, Stygis ſupereminet vndis:
Eruitur nunquam, ſemper iactata: agitatio firmat;
Et mage ventorum ſuccenditur ignea flabris.

P. Car. de Luca l. 29. Dom. Laur.

Sacræ Preces.

ERgo propinquantis violento Numinis œſtro
Tactus Aloyſius, taciturnæ noctis in vmbra
Indulgere Deo quoniam iuuat, emicat ardens
In medium conclaue, toro demiſſus ab alto,
Hic poſitis terræ genibus manibuſque ſupinis,
Supplicis os, animumque gerens in vota laceſſit
Aurea vota Deum, quæ tum cum Numine ſolo
Solus agit? tacet os, oculorum labra loquuntur,
Verbaque ſunt lacrymę; donec ſuſpiria rumpunt
Còrdis iter, ducuntque profundo è carcere voces.

P. Vinc. Guiniſius car. 9.

Homo inter precandum extaſi correptus.

ILla nouos, ſemperque nouos aſpirat amores:
Stant oculi rerum immemores, raptuque ſupinæ
Intenti lucem ablegant, cœlumque requirunt.
Vitales toto requierunt pectore motus:
Nec vigor extinctus, tacito licet ore ſepultus.
Nempe animum ſubiere perempti funera nati,
Et dolor humanis ſoluit pręcordia curis,
Affixitque polo mentem, ſenſumque ſequacem,
Atque animæ vegetas per amica ſilentia vires.
Nil aciem circumfuſam, nil proxima ſentit
Verba ſalutantum, & ſtantes ad limina Diuos.

P. Conſt. Pulcharellus l. 1. car. 6.

Nec mora: iam tenuis membrorum obſtacula rumpit
Spiritus; & molem qua tardius ire ſolebat,
Linquit humi ſimplex, & iam ſine corpore vita.
Ipſe ſuas illi pennas Amor, ipſe volatum
Expedit, ipſe pari moderamine librat euntem:
Expenditque fugam, ne parte laboret iniqua.
Mox propria grauitate leuis ſine remige penna
Carpit iter, mentemque tuam Gonzaga volantem
Ducit inaſpecti ſecreta per atria cœli.
Ille quidem ſuperas ſecurus inambulat oras:
At corpus ſine mente iacet, non labra gubernat
Halitus ad vocem iam torpet anhelitus oris
In venis iam ſanguis hebet, non palpitat imum
Pectus, & in media cor pectoris arce quieſcit.
Lumina, fixa patent, ſtant tegmina neſcia flecti,

Immo-

Immotumque ſupercilium; ferale cadauer
Dixiſſes, niſi quòd vitam ſapit oris honeſtas.
Neſcio quid ſpirat vitæ ſine munere vultus.
Aut ſi non ſpirat, ſperat tamen, æſtuat, ardet,
Sollicitatur, amat, gaudet, dolet. omnis in vno
Statque, caditque color, ſe ſeque reciprocat æſtus.
Vſque adeò vultum, quamuis ſit diſſita longè,
Mens animat, nec in ore negat, quid tractet in aſtris.

P. Vinc. Guiniſius car. 9.

Mater ò caſtæ ſobolis, pudica
Mater vt mentis rapit ardor? vt te
Vectat aurato ſuper aſtra virtus
Axe Bootæ?
Dum poli pictam meditaris aulam
Nobilem ſtellis imitaris Arcton
Hæc ſalo tingi metuit. ſolum tu
Tangere neſcis.
Ipſe te vidi, ſubito ſoluta
Mente lymphatam, atque Deo reſorptam:
Marmori vidi ſimilem, atque eandem
Corde liquato.
Feruidum pectus tumet intus, & cor
Soluitur, durauit Amor ſed extra,
Dædalus qualem potuit mag ſter
Sculpere formam.
Ebrios ſenſus inhiantis implet,
Sobrios æſtus ſitientis explet,
Aureo cratere tibi propinans
Nectar amantum,
Membra ceu dulci rigat ille ſomno,
Interim ſponſo vigil elaboras;
Mens & arcanis agitata curis
Corda fatigat.
I, vigor quò te rapit acer, & quò
Vis potens cordis citat; i beato
Pignore, & iam nunc patrio potiri
Incipe cœlo.

P. Io. B. Maſculus l. 2. Ode vlt.

Amoris œſtro percitus entheo
Ad ſempiternos imperioſius
Raptaris Ignati lepores
Deliquio labefactus alto.
Dum derelictis transfuga ſenſibus
Deo propinquus, te procul exulas
Nexuque inhærentem tenaci
Te ſimili ſociare gaudes.
Stant membra ſegni languida frigore,
Mens acris intus conflagrat. ò amor,
O cordis igniti calores
In gelido vigiles veterno.

Aa Quæ

Quæ mens in illo Numinis vbere
Erat? quis ardor? quis tibi pectoris
Senſus, tenenti larga ponti,
Larga ſoli bona, larga Diuum?
Rudis theatrum nobile cœlitum
Spectator intras: hinc ſapientior
Diſcedis, & te maior auctus
Numinis vberiore lapſu.
Ben. Milanus lib. Var. Carm.

Supplicatio publica.

PRima figurato rutilant inuecta metallo
Purpureæ vexilla Crucis; palleſcit imago
Auratę ſuſpenſa trabi: lux cerea circum
Vitreaque effulgent clauſis ſpecularia flammis
Tum iuuenes, gemino tum digerit ordine Patres
Et via Auentino teritur magis edita cliuo.
Omnibus in morem tenui velamina flexu
Carbaſeos criſpata ſinus, & libera cinctu
Poplite fuſa tenus: queis margine futilis imo
Inſtita coniferas fluit interſtincta per oras.
Dextra gerit pariles ceris ardentibus ignes.
Quin etiam auratis fulgentia pegmata velis
Imponunt humeris: adytiſque elata repoſtis
Thure vaporatis portant ſimulacra metallis.
Tum numero librata pari diſcrimina vocum
Alternant: reſonant litui, neruoſque laceſſit
Sopitos fidicen, vociſque aſſultat imago
Rupibus, & longè fluuium perlabitur Echo.
Iam latij decus omne fori, ſanctique Senatus
Succedunt oſtrina manus: capita alra coruſcæ
Aduelant, auroque nitent redimicula mitræ.
Ipſe pater medium ſupereminet arduus agmen,
Et cinctus niueam triplici diademate frontem
Luſtrat adorantes ſubmiſſo poplite gentes.
P. Alex. Donatus l. 2. car. 3.

Iamque ire hora iubet: iam clarum è turre celeuſma
Inſonat. è templo principe ſurgit iter.
Vndique campani mugitibus intonat æris,
Vocalique aer ſeditione fremit
Quà via cunque patet, quaque altera, & altera ducit
Semita, ſeu dextra eſt, ſiue ſiniſtra via;
Translatæ ex agris ſurgunt læto ordine ſiluæ,
Hoſpitaque hic illic compita fronde virent.
In media nemus vrbe vides, ferroque reciſus
Nunc hic radices aduena lucus agit,
Vrbica diuerſo ſparguntur marmora flore:
Atque vbi flos non eſt, gramen, & herba iacent.
Adde quod ornato domus omnis, & omnia cultu
Atria velantur, penſilibuſque ſacris.

Qua-

Quaque expanduntur Tyrio fulgentia ſucco
Stragula, & Aſſyrio diſcolor arte tapes.
Magnificę pendent Aræ: ſtant aurea ſigna,
Multaque Apellea ducta tabella manu.
Ante aciem, primaque volant in fronte trophæa,
Et vexilla ſua latè animoſa Cruce.
Centum hinc, atque alia in ſeriem centum alta coruſcant;
Lumina, ceratis lumina ducta ſtrijs.
Tertia formoſæ ſeries indulta iuuentæ,
Aligerum educit ſub ſua ſigna gregem.
Et teneros oſtentat Hylas, puerilia caſtra;
Hi pluma, & cultu verſicolore placent.
Hic Superum (portate viri, nam ſarcina magna eſt)
Condita cum pretio lipſana priſca cubant.
Succedit tergo Cantorum exercitus omnis,
Cantorumque duces Orpheus atque Linus.
Turba Sacerdotum vt greſſu ſic proxima cantu
Vocales latè iactat in aſtra preces.
Agmine ab hoc, mortale nihil, parumque videres
Spectator, tua ſi lumina terſa forent.
Namque en, en ille aſtrigeri moderator Olympi,
Alba latens panis eſt ſimulacra venit.
Pone genu quicumque vides, reuerenter adora:
Hoc qui præcedunt, quique ſequuntur, agunt.
Myſta gerit Numen, Myſtam comitantur eundem
Ductores procerum, patritiuſque decor.
Flammatam manus vna facem, premit altera ſertum.
Diuiparæ ſertum Virginis, atque preces.
Arridet faculis cęlum, & tot millia gaudet
Tædarum, totidem poſſe nouare dies.

P. Io. Biſſelius l.3. Vern. El.23.

Quæ terris video cęli ſpectacula? cęlum
Æmula Roma refert: dum ſtellas explicat Heſper,
Roma viam facibus diſcriminat: ordine longo
Semita collucet flammis, alimentaque lucis
Deuorat ignis edax, apiumque labore ſuperbus
Æſtuat, atque diem renouata in morte ſepultum
Attonitum vocat ex vmbris & noctis ab vrna.
Tecta viæque natant populorum flumine. Tybris
Dum vicina ſuis cernit ſpectacula ripis,
Geſtit aquis, plauſuque ſalit. torquata lucernis
Roma nouis, ſurgens è flammis pulchrior, olim
Fumida quæ cecidit tædis combuſta Neronis,
Florum vere nouo redimita, indutaque telis,
Quas inſignit acus, quas aurum flexile pingit.
Quas phrygium diſtinguit opus, quas inficit oſtrum
Mollia quas animant vario ſubtegmine fila,
Exulta, vetereſque tuos oblita triumphos
Virginis in pompa melius rediuiua triumpha.
Tympana iam plaudunt, lituique, tubæque: reuulſis,

hina iam clauſtris, & complexura penates,
fora procedit, facturaque turribus vmbram.
P. Car. de Luca l 20. Dom. Laur.

RES SACRÆ.

Imago Chriſti in Veronica Sudario.

Reddidit impreſſos candenti ſindone vultus
Effigiem Dei veram, ſqualentiaque ora
Humana non ficta manu, neque picta colore.
Miratur ſpeciem mulier viuentia telis
Ora tuens, tantumque decus. radiata refulget
Maieſtas, & purpureis è ſanguine gemmis
Frons diuina micat. radiant & lumine vepres,
Qui cinxere caput: regnique inſigne decorum
Spinifero implexum nexu diadema coruſcat.
Promiſſis hinc inde comis criſpatur in armos
Ceſaries intonſa; nitet gemmata cruore
Fimbria cinnorum, mentumque bicuſpide barba:
Liueſcunt colaphis tunſa ora, genæque tumentes
Liuori & ſacer horror ineſt, qui inuitet amorem.
P. Ant. Millieus l. 20. Moyſ. Viat. to. 2.

TORMENTA, ET SVPPLICIA VARIA.

TVnc data libertas odijs, reſolutaque legum
Frœnis ira ruit; domini per viſcera ferrum
Exegit famulus: nati maduere paterno
Sanguine, certatum eſt cui ceruix cæſa parentis
Cederet: in fratrum ceciderunt præmia fratres.
Buſta repleta fuga, permiſtaque viua ſepultis
Corpora, nec populum latebræ cæpere ferarum,
Hic laqueo fauces eliſaque guttura fregit.
Hic ſe præcipiti iaculatus pondere dura
Deſiluit percuſſus humo, morteſque cruento
Victori rapuere ſuas: hic robora buſti
Extruxit ipſe ſui, nec dum omni ſanguine fuſo
Deſilit in flammas, & dum licet, occupat ignes,
Colla ducum pilo trepidam geſtata per vrbem,
Es medio congeſta foro, cognoſcitur illic
Quidquid vbique fuit ſcelerum.
Lucanus l. 2.

Exequere iuſſa: dira laniena mala
Molire fortis, ſtrenuè exerce graues
Artes doloris, vinculis, flammis, rotis,
Sæuis ferarum dentibus, lenta fame
Moriantur. æquor quidquid horrendum expuit,
Hercynia quicquid nemora truculenti creant
Quicquid Goactæ, quicquid Heniochi pauent,

Inge-

Ingere, procuſtæ lectuli, pinus Scinis,
Diomedis aræ, ſqualor Augiæ grauis,
Odryſia menſa, lenta Mezentii lues,
Collata noſtris leuia ſint monſtris mala.
P. Bern. Stephonius in Flau. act. 2. ſc. 3.

.... Horribiles in fortia colla ſecures
Expedit impietas. pardus, leo, tigris, & vrſus
Chriſtiadum petit vngue latus: furit ignis in artus:
Obruit vnda, ſecat gladius, penetrabile adurit
Frigus, ahena, faces, pix ignea, lampas, & olla;
Crux cruciat, fuſtes contundunt, guttura funes
Elidunt, vnci lacerant, & ſcorpio: dentes
Iactati lapides populantur: fuſile plumbum
Viſceribus ſtridet: caudis raptantur equorum
Per vepres: auibus dant membra rapacibus: exta
Nuda tremunt; fibræ tractantur, & oſſa flagellis,
Et venæ ſaliunt. inuentis corpora deſunt:
Creſcit at ingenium feritatis; & ipſa furores
Se pœnis ſuperaſſe ſuos mirantur & aſtus.
P. Car. de Luca l. 19 Dom. Laur.

Defecere mea laſſæ in ceruice ſecures:
Et ſpatium fixæ non habuere cruces.
Ebibit aſſiduum feralis arena cruorem;
Et ſine cæde vident nulla theatra diem.
Luditur in iugulis; ſcenamque alit vna voluptas;
Ebria cum tali pulpita rore madent.
Igne alios fumoque necat: tunicaque moleſta
Intextos lenta viuere morte iubet.
Aſt alios atra atra, piceaque in nube flagrantes
Nocturni ſubigit luminis eſſe vicem.
Vrſorum exuuias alios ſumptaque ferarum
Pelle iubet alios aſſimulare feras.
Mox acti rabie, venatica turba moloſſi
In noua decepto pabula dente ruunt.
Dumque vrſos, aproſque putant, Actæonis ipſos
Ignari, & domino plebe iocante vorant.
Sed laniare canum quos ora miſerta verentur,
Sæuius hos arcu tela ſonante necant.
Vique cauas vſquam lethalis arundo per aures
Tranſijt, aut geminum perculit haſta latus.
Applaudit reſonans tantis orcheſtra cachinnis,
Centum Erymantheos ceu iugulaſſet apros. *Et inf.*
Quos ſtygio cultum piguit deferre colubro.
Hos ſuus aut fixo perluit enſe cruor,
Aut lento ſuccenſa foco ſartago cremauit,
Aut tumido merſos obruit vnda ſalo,
Aut furor iniecto lapidum tumulauit aceruo,
Aut putrida infoſſos exanimauit humo:
Hos leuibus iaculis, & acutis ira ſagittis,
Hos ſecuit rapidis acta quadriga rotis.
Hos grauis eliſo mactauit claua cerebro,

hina iam clauſtris, & complexura penates,
fora procedit, facturaque turribus vmbram.
P. Car. de Luca l. 20. Dom. Laur.

RES SACRÆ.

Imago Chriſti in Veronicæ Sudario.

Reddidit impreſſos candenti ſindone vultus
Effigiem Dei veram, ſqualentiaque ora
Humana non ficta manu, neque picta colore.
Miratur ſpeciem mulier viuentia telis
Ora tuens, tantumque decus. radiata refulget
Maieſtas, & purpureis è ſanguine gemmis
Frons diuina micat. radiant & lumine vepres,
Qui cinxere caput: regnique inſigne decorum
Spinifero implexum nexu diadema coruſcat.
Promiſſis hinc inde comis criſpatur in armos
Ceſaries intonſa; nitet gemmata cruore
Fimbria cinnorum, mentumque bicuſpide barba:
Liueſcunt colaphis tunſa ora, genæque tumentes
Liuori & ſacer horror ineſt, qui inuitet amorem.
P. Ant. Millieus l. 20. Moyſ. Viat. to. 2.

TORMENTA, ET SVPPLICIA VARIA.

Tvnc data libertas odijs, reſolutaque legum
Frœnis ira ruit; domini per viſcera ferrum
Exegit famulus: nati maduere paterno
Sanguine, certatum eſt cui ceruix cæſa parentis
Cederet: in fratrum ceciderunt præmia fratres.
Buſta repleta fuga, permiſtaque viua ſepultis
Corpora, nec populum latebræ cæpere ferarum,
Hic laqueo fauces eliſaque guttura fregit.
Hic ſe præcipiti iaculatus pondere dura
Deſiluit percuſſus humo, morteſque cruento
Victori rapuere ſuas: hic robora buſti
Extruxit ipſe ſui, nec dum omni ſanguine fuſo
Deſilit in flammas, & dum licet, occupat ignes,
Colla ducum pilo trepidam geſtata per vrbem,
Es medio congeſta foro, cognoſcitur illic
Quidquid vbique fuit ſcelerum.
Lucanus l. 2.

Exequere iuſſa: dira lanienæ mala
Molire fortis, ſtrenuè exerce graues
Artes doloris, vinculis, flammis, rotis,
Sæuis ferarum dentibus, lenta fame
Moriantur. æquor quidquid horrendum expuit,
Hercynia quicquid nemora truculenti creant
Quicquid Goaſtæ, quicquid Heniochi pauent,

Inge-

Ingere, procuſtæ lectuli, pinus Scinis,
Diomedis aræ, ſqualor Augiæ grauis,
Odryſia menſa, leuta Mezentii lues,
Collata noſtris leuia ſint monſtris mala.
P. Bern. Stephonius in Flau. act. 2. ſc. 3.

..... Horribiles in fortia colla ſecures
Expedit impietas. pardus, leo, tigris, & vrſus
Chriſtiadum petit vngue latus: furit ignis in artus:
Obruit vnda, ſecat gladius, penetrabile adurit
Frigus, ahena, faces, pix ignea, lampas, & olla;
Crux cruciat, fuſtes contundunt, guttura funes
Elidunt, vnci lacerant, & ſcorpio: dentes
Iactati lapides populantur: fuſile plumbum
Viſceribus ſtridet: caudis raptantur equorum
Per vepres: auibus dant membra rapacibus: exta
Nuda tremunt; fibræ tractantur, & oſſa flagellis,
Et venæ ſaliunt. inuentis corpora deſunt:
Creſcit at ingenium feritatis; & ipſa furores
Se pœnis ſuperaſſe ſuos mirantur & aſtus.
P. Car. de Luca l. 19 Dom. Laur.

Defecere mea laſſæ in ceruice ſecures:
Et ſpatium fixæ non habuere cruces.
Ebibit aſſiduum feralis arena cruorem;
Et ſine cæde vident nulla theatra diem.
Luditur in iugulis; ſcenamque alit vna voluptas,
Ebria cum tali pulpita rore madent.
Igne alios fumoque necat: tunicaque moleſta
Intextos lenta viuere morte iubet.
Aſt alios atra atra, piceaque in nube flagrantes
Nocturni ſubigit luminis eſſe vicem.
Vrſorum exuuias alios ſumptaque ferarum
Pelle iubet alios aſſimulare feras.
Mox acti rabie, venatica turba moloſſi
In noua decepto pabula dente ruunt.
Dumque vrſos, aproſque putant, Actæonis ipſos
Ignari, & domino plebe iocante vorant.
Sed laniare canum quos ora miſerta verentur,
Sæuius hos arcu tela ſonante necant.
Vtque cauas vſquam lethalis arundo per aures
Tranſijt, aut geminum perculit haſta latus.
Applaudit reſonans tantis orcheſtra cachinnis,
Centum Erymantheos ceu iugulaſſet apros. *Et inf.*
Quos ſtygio cultum piguit deferre colubro.
Hos ſuus aut fixo perluit enſe cruor,
Aut lento ſuccenſa foco ſartago cremauit,
Aut tumido merſos obruit vnda ſalo,
Aut furor iniecto lapidum tumulauit aceruo,
Aut putrida infoſſos exanimauit humo:
Hos leuibus iaculis, & acutis ira ſagittis,
Hos ſecuit rapidis acta quadriga rotis.
Hos grauis eliſo mactauit claua cerebro,

hina iam clauſtris, & complexura penates,
fora procedit, facturaque turribus vmbram.
P. Car. de Luca l 20. Dom. Laur.

RES SACRÆ.

Imago Chriſti in Veronica Sudario.

Reddidit impreſſos candenti ſindone vultus
Effigiem Dei veram, ſqualentiaque ora
Humana non ficta manu, neque picta colore.
Miratur ſpeciem mulier viuentia telis
Ora tuens, tantumque decus. radiata refulget
Maieſtas, & purpureis è ſanguine gemmis
Frons diuina micat. radiant & lumine vepres,
Qui cinxere caput: regnique inſigne decorum
Spinifero implexum nexu diadema coruſcat.
Promiſſis hinc inde comis criſpatur in armos
Ceſaries intonſa; nitet gemmata cruore
Fimbria cinnorum, mentumque bicuſpide barba:
Liueſcunt colaphis tunſa ora, genæque tumentes
Liuori & ſacer horror ineſt, qui inuitet amorem.
P. Ant. Millicus l. 20. Moyſ. Viat. to. 2.

TORMENTA, ET SVPPLICIA VARIA.

TVnc data libertas odijs, reſolutaque legum
Frœnis ira ruit; domini per viſcera ferrum
Exegit famulus: nati maduere paterno
Sanguine, certatum eſt cui ceruix cæſa parentis
Cederet: in fratrum ceciderunt præmia fratres.
Buſta repleta fuga, permiſtaque viua ſepulcris
Corpora, nec populum latebræ cæpere ferarum,
Hic laqueo fauces eliſaque guttura fregit.
Hic ſe præcipiti iaculatus pondere dura
Deſiluit percuſſus humo, morteſque cruento
Victori rapuere ſuas: hic robora buſti
Extruxit ipſe ſui, nec dum omni ſanguine fuſo
Deſilit in flammas, & dum licet, occupat ignes,
Colla ducum pilo trepidam geſtata per vrbem,
Es medio congeſta foro, cognoſcitur illic
Quidquid vbique fuit ſcelerum.
Lucanus l. 2.

Exequere iuſſa: dira laniena mala
Molire fortis, ſtrenuè exerce graues
Artes doloris, vinculis, flammis, rotis,
Sæuis ferarum dentibus, lenta fame
Moriantur. æquor quidquid horrendum expuit,
Hercynia quicquid nemora truculenti creant
Quicquid Goactæ, quicquid Heniochi pauent,
Inge-

Ingere, procuſtæ lectuli, pinus Scinis,
Diomedis aræ, ſqualor Augiæ grauis,
Odryſia menſa, lenta Mezentii lues,
Collata noſtris leuia ſint monſtris mala.
P. Bern. Stephonius in Flau. ac.2. ſc.3.

.... Horribiles in fortia colla ſecures
Expedit impietas. pardus, leo, tigris, & vrſus
Chriſtiadum petit vngue latus: furit ignis in artus:
Obruit vnda, ſecat gladius, penetrabile adurit
Frigus, ahena, faces, pix ignea, lampas, & olla;
Crux cruciat, fuſtes contundunt, guttura funes
Elidunt, vnci lacerant, & ſcorpio: dentes
Iactati lapides populantur: fuſile plumbum
Viſceribus ſtridet: caudis raptantur equorum
Per vepres: auibus dant membra rapacibus: exta
Nuda tremunt; fibræ tractantur, & oſſa flagellis,
Et venæ ſaliunt. inuentis corpora deſunt:
Creſcit at ingenium feritatis; & ipſa furores
Se pœnis ſuperaſſe ſuos mirantur & aſtus.
P. Car. de Luca l 19 Dom. Laur.

Defecere mea laſſæ in ceruice ſecures:
Et ſpatium fixæ non habuere cruces.
Ebibit aſſiduum feralis arena cruorem;
Et ſine cæde vident nulla theatra diem.
Luditur in iugulis; ſcenamque alit vna voluptas,
Ebria cum tali pulpita rore madent.
Igne alios fumoque necat: tunicaque moleſta
Intextos lenta viuere morte iubet.
Aſt alios atra atra, piceaque in nube flagrantes
Nocturni ſubigit luminis eſſe vicem.
Vrſorum exuuias alios ſumptaque ferarum
Pelle iubet alios aſſimulare feras.
Mox acti rabie, venatica turba moloſſi
In noua decepto pabula dente ruunt.
Dumque vrſos, aproſque putant, Actæonis ipſos
Ignari, & domino plebe iocante vorant.
Sed laniare canum quos ora miſerta verentur,
Sæuius hos arcu tela ſonante necant.
Vtque cauas vſquam lethalis arundo per aures
Tranſijt, aut geminum perculit haſta latus.
Applaudit reſonans tantis orcheſtra cachinnis,
Centum Erymantheos ceu iugulaſſet apros. *Et inf.*
Quos ſtygio cultum piguit deferre colubro.
Hos ſuus aut fixo perluit enſe cruor,
Aut lento ſuccenſa foco ſartago cremauit,
Aut tumido merſos obruit vnda ſalo,
Aut furor iniecto lapidum tumulauit aceruo,
Aut putrida infoſſos exanimauit humo:
Hos leuibus iaculis, & acutis ira ſagittis,
Hos ſecuit rapidis acta quadriga rotis.
Hos grauis eliſo mactauit claua cerebro,

hina iam clauſtris, & complexura penates,
fora procedit, facturaque turribus vmbram.
P. Car. de Luca l. 20. Dom. Laur.

RES SACRÆ.

Imago Christi in Veronica Sudario.

REddidit impreſſos candenti ſindone vultus
Effigiem Dei veram, ſqualentiaque ora
Humana non ficta manu, neque picta colore.
Miratur ſpeciem mulier viuentia telis
Ora tuens, tantumque decus. radiata refulget
Maieſtas, & purpureis è ſanguine gemmis
Frons diuina micat. radiant & lumine vepres,
Qui cinxere caput: regnique inſigne decorum
Spinifero implexum nexu diadema coruſcat.
Promiſſis hinc inde comis criſpatur in armos
Ceſaries intonſa; nitet gemmata cruore
Fimbria cinnorum, mentumque bicuſpide barba:
Liueſcunt colaphis tunſa ora, genæque tumentes
Liuori & ſacer horror ineſt, qui inuitet amorem.
P. Ant. Millieus l. 20. Moyſ. Viat. to. 2.

TORMENTA, ET SVPPLICIA VARIA.

TVnc data libertas odijs, reſolutaque legum
Frœnis ira ruit; domini per viſcera ferrum
Exegit famulus: nati maduere paterno
Sanguine, certatum eſt cui ceruix cæſa parentis
Cederet: in fratrum ceciderunt præmia fratres.
Buſta repleta fuga, permiſtaque viua ſepulcris
Corpora, nec populum latebræ cæpere ferarum,
Hic laqueo fauces eliſaque guttura fregit.
Hic ſe præcipiti iaculatus pondere dura
Deſiluit percuſſus humo, morteſque cruento
Victori rapuere ſuas: hic robora buſti
Extruxit ipſe ſui, nec dum omni ſanguine fuſo
Deſilit in flammas, & dum licet, occupat ignes,
Colla ducum pilo trepidam geſtata per vrbem,
Es medio congeſta foro, cognoſcitur illic
Quidquid vbique fuit ſcelerum.
Lucanus l. 2.

Exequere iuſſa: dira lanienæ mala
Molire fortis, ſtrenuè exerce graues
Artes doloris, vinculis, flammis, rotis,
Sæuis ferarum dentibus, lenta fame
Moriantur. æquor quidquid horrendum expuit,
Hercynia quicquid nemora truculenti creant
Quicquid Goaſtæ, quicquid Heniochi pauent,

Inge-

Ingere, procuſtæ lectuli, pinus Scinis,
Diomedis aræ, ſqualor Augiæ grauis,
Odryſia menſa, lenta Mezentii lues,
Collata noſtris leuia ſint monſtris mala.
P. Bern. Stephonius in Flau. act. 2. ſc. 3.

.... Horribiles in fortia colla ſecures
Expedit impietas. pardus, leo, tigris, & vrſus
Christiadum petit vngue latus: furit ignis in artus:
Obruit vnda, ſecat gladius, penetrabile adurit
Frigus, ahena, faces, pix ignea, lampas, & olla;
Crux cruciat, fuſtes contundunt, guttura funes
Elidunt, vnci lacerant, & ſcorpio: dentes
Iactati lapides populantur: fuſile plumbum
Viſceribus ſtridet: caudis raptantur equorum
Per vepres: auibus dant membra rapacibus: exta
Nuda tremunt; fibrę tractantur, & oſſa flagellis,
Et venæ ſaliunt. inuentis corpora deſunt:
Creſcit at ingenium feritatis; & ipſa furores
Se pœnis ſuperaſſe ſuos mirantur & aſtus.
P. Car. de Luca l. 19 Dom. Laur.

Defecere mea laſſæ in ceruice ſecures:
Et ſpatium fixæ non habuere cruces.
Ebibit aſſiduum feralis arena cruorem;
Et ſine cæde vident nulla theatra diem.
Luditur in iugulis; ſcenamque alit vna voluptas;
Ebria cum tali pulpita rore madent.
Igne alios fumoque necat: tunicaque moleſta
Intextos lenta viuere morte iubet.
Aſt alios atra atra, piceaque in nube flagrantes
Nocturni ſubigit luminis eſſe vicem.
Vrſorum exuuias alios ſumptaque ferarum
Pelle iubet alios aſſimulare feras.
Mox acti rabie, venatica turba moloſſi
In noua decepto pabula dente ruunt.
Dumque vrſos, aproſque putant, Actæonis ipſos
Ignari, & domino plebe iocante vorant.
Sed laniare canum quos ora miſerta verentur,
Sæuius hos arcu tela ſonante necant.
Vtque cauas vſquam lethalis arundo per aures
Tranſijt, aut geminum perculit haſta latus.
Applaudit reſonans tantis orcheſtra cachinnis,
Centum Erymantheos ceu iugulaſſet apros. *Et inf.*
Quos ſtygio cultum piguit deferre colubro.
Hos ſuus aut fixo perluit enſe cruor,
Aut lento ſuccenſa foco ſartago cremauit,
Aut tumido merſos obruit vnda ſalo,
Aut furor iniecto lapidum tumulauit aceruo,
Aut putrida infoſſos exanimauit humo:
Hos leuibus iaculis, & acutis ira ſagittis,
Hos ſecuit rapidis acta quadriga rotis.
Hos grauis eliſo mactauit claua cerebro,

Quæ mens in illo Numinis vbere
Erat? quis ardor? quis tibi pectoris
Senſus, tenenti larga ponti,
Larga ſoli bona, larga Diuum?
Rudis theatrum nobile cœlitum
Spectator intras: hinc ſapientior
Diſcedis, & te maior auctus
Numinis vberiore lapſu.
Ben. Milanus lib. Var. Carm.

Supplicatio publica.

PRima figurato rutilant inuecta metallo
Purpureæ vexilla Crucis; palleſcit imago
Auratę ſuſpenſa trabi: lux cerea circum
Vitreaque effulgent clauſis ſpecularia flammis
Tum iuuenes, gemino tum digerit ordine Patres
Et via Auentino teritur magis edita cliuo.
Omnibus in morem tenui velamina flexu
Carbaſeos criſpata ſinus, & libera cinctu
Poplite fuſa tenus: queis margine futilis imo
Inſtita coniferas fluit interſtincta per oras.
Dextra gerit pariles ceris ardentibus ignes.
Quin etiam auratis fulgentia pegmata velis
Imponunt humeris: adytiſque elata repoſtis
Thure vaporatis portant ſimulacra metallis.
Tum numero librata pari diſcrimina vocum
Alternant: reſonant litui, neruoſque laceſſit
Sopitos fidicen, vociſque aſſultat imago
Rupibus, & longè fluuium perlabitur Echo.
Iam latij decus omne fori, ſanctique Senatus
Succedunt oſtrina manus: capita alta coruſcæ
Aduelant, auroque nitent redimicula mitræ
Ipſe pater medium ſupereminet arduus agmen,
Et cinctus niueam triplici diademate frontem
Luſtrat adorantes ſubmiſſo poplite gentes.
P. Alex. Donatus l. 2. car. 3.

Iamque ire hora iubet: iam clarum è turre celeuſma
Inſonat. è templo principe ſurgit iter.
Vndique campani mugitibus intonat æris,
Vocalique aer ſeditione fremit
Quà via cunque patet, quaque altera, & altera ducit
Semita, ſeu dextra eſt, ſiue ſiniſtra via;
Tranſlatæ ex agris ſurgunt læto ordine ſiluæ,
Hoſpitaque hic illic compita fronde virent.
In media nemus vrbe vides, ferroque reciſus
Nunc hic radices aduena lucus agit,
Vrbica diuerſo ſparguntur marmora flore:
Atque vbi flos non eſt, gramen, & herba iacent.
Adde quod ornato domus omnis, & omnia cultu
Atria velantur, penſilibuſque ſacris.

Qua-

Quaque expanduntur Tyrio fulgentia ſucco
Stragula, & Aſſyrio diſcolor arte tapes.
Magnificę pendent Aræ: ſtant aurea ſigna,
Multaque Apellea ducta tabella manu.
Ante aciem, primaque volant in fronte trophæa,
Et vexilla ſua latè animoſa Cruce.
Centum hinc, atque alia in ſeriem centum alta coruſcant;
Lumina, ceratis lumina ducta ſtrijs
Tertia formoſæ ſeries indulta iuuentæ,
Aligerum educit ſub ſua ſigna gregem.
Et teneros oſtentat Hylas, puerilia caſtra;
Hi pluma, & cultu verſicolore placent.
Hic Superum (portate viri, nam ſarcina magna eſt)
Condita cum pretio lipſana priſca cubant.
Succedit tergo Cantorum exercitus omnis,
Cantorumque duces Orpheus atque Linus.
Turba Sacerdotum vt greſſu ſic proxima cantu
Vocales latè iactat in aſtra preces.
Agmine ab hoc, mortale nihil, parumque videres
Spectator, tua ſi lumina terſa forent.
Namque en, en ille aſtrigeri moderator Olympi,
Alba latens panis eſt ſimulacra venit,
Pone genu quicumque vides, reuerenter adora:
Hoc qui præcedunt, quique ſequuntur, agunt.
Myſta gerit Numen, Myſtam comitantur eundem
Ductores procerum, patritiuſque decor.
Flammatam manus vna facem, premit altera ſertum.
Diuiparæ ſertum Virginis, atque preces.
Arridet faculis cęlum, & tot millia gaudet
Tædarum, totidem poſſe nouare dies.

P. Io. Biſſelius l. 3. Vern. El. 23.

Quæ terris video cęli ſpectacula? cęlum
Æmula Roma refert. dum ſtellas explicat Heſper,
Roma viam facibus diſcriminat: ordine longo
Semita collucet flammis, alimentaque lucis
Deuorat ignis edax, apiumque labore ſuperbus
Æſtuat, atque diem renouata in morte ſepultum
Attonitum vocat ex vmbris & noctis ab vrna.
Tecta viæque natant populorum flumine. Tybris
Dum vicina ſuis cernit ſpectacula ripis,
Geſtit aquis, plauſuque ſalit. torquata lucernis
Roma nouis, ſurgens è flammis pulchrior, olim
Fumida quæ cecidit tædis combuſta Neronis,
Florum vere nouo redimita, indutaque telis,
Quas inſignit acus, quas aurum flexile pingit.
Quas phrygium diſtinguit opus, quas inficit oſtrum
Mollia quas animant vario ſubtegmine fila,
Exulta, vetereſque tuos oblita triumphos
Virginis in pompa melius rediuiua triumpha.
Tympana iam plaudunt, lituique, tubæque: reuulſis,

Machina iam clauſtris, & complexura penates,
Et fora procedit, facturaque turribus vmbram.
P. Car. de Luca l. 20. Dom. Laur.

RES SACRÆ.

Imago Chriſti in Veronica Sudario.

Reddidit impreſſos candenti ſindone vultus
Effigiem Dei veram, ſqualentiaque ora
Humana non ficta manu, neque picta colore.
Miratur ſpeciem mulier viuentia telis
Ora tuens, tantumque decus. radiata refulget
Maieſtas, & purpureis è ſanguine gemmis
Frons diuina micat. radiant & lumine vepres,
Qui cinxere caput: regnique inſigne decorum
Spinifero implexum nexu diadema coruſcat.
Promiſſis hinc inde comis criſpatur in armos
Ceſaries intonſa; nitet gemmata cruore
Fimbria cinnorum, mentumque bicuſpide barba:
Liueſcunt colaphis tunſa ora, genæque tumentes
Liuori & ſacer horror ineſt, qui inuitet amorem.
P. Ant. Millieus l. 20. Moyſ. Viat. to. 2.

TORMENTA, ET SVPPLICIA VARIA.

Tvnc data libertas odijs, reſolutaque legum
Frœnis ira ruit; domini per viſcera ferrum
Exegit famulus: nati maduere paterno
Sanguine, certatum eſt cui ceruix cæſa parentis
Cederet: in fratrum ceciderunt præmia fratres.
Buſta repleta fuga, permiſtaque viua ſepultis
Corpora, nec populum latebræ cæpere ferarum,
Hic laqueo fauces eliſaque guttura fregit.
Hic ſe præcipiti iaculatus pondere dura
Deſiluit percuſſus humo, morteſque cruento
Victori rapuere ſuas: hic robora buſti
Extruxit ipſe ſui, nec dum omni ſanguine fuſo
Deſilit in flammas, & dum licet, occupat ignes,
Colla ducum pilo trepidam geſtata per vrbem,
Es medio congeſta foro, cognoſcitur illic
Quidquid vbique fuit ſcelerum.
Lucanus l. 2.

Exequere iuſſa: dira lanienæ mala
Molire fortis, ſtrenuè exerce graues
Artes doloris, vinculis, flammis, rotis,
Sæuis ferarum dentibus, lenta fame
Moriantur. æquor quidquid horrendum expuit,
Hercynia quicquid nemora truculenti creant
Quicquid Goaſtæ, quicquid Heniochi pauent,

Inge-

Ingere, procuſtæ lecti, pinus Scinis,
Diomedis aræ, ſqualor Augiæ grauis,
Odryſia menſa, lenta Mezentij lues,
Collata noſtris leuia ſint monſtris mala.
P. Bern. Stephonius in Flau. ac. 2. ſc. 3.

.... Horribiles in fortia colla ſecures
Expedit impietas. pardus, leo, tigris, & vrſus
Chriſtiadum petit vngue latus: furit ignis in artus:
Obruit vnda, ſecat gladius, penetrabile adurit
Frigus, ahena, faces, pix ignea, lampas, & olla;
Crux cruciat, fuſtes contundunt, guttura funes
Elidunt, vnci lacerant, & ſcorpio: dentes
Iactati lapides populantur: fuſile plumbum
Viſceribus ſtridet: caudis raptantur equorum
Per vepres: auibus dant membra rapacibus: exta
Nuda tremunt; fibræ tractantur, & oſſa flagellis,
Et venæ ſaliunt. inuentis corpora deſunt:
Creſcit at ingenium feritatis; & ipſa furores
Se pœnis ſuperaſſe ſuos mirantur & aſtus.
P. Car. de Luca l. 19 Dom. Laur.

Defecere mea laſſæ in ceruice ſecures:
Et ſpatium fixæ non habuere cruces.
Ebibit aſſiduum feralis arena cruorem;
Et ſine cæde vident nulla theatra diem.
Luditur in iugulis; ſcenamque alit vna voluptas,
Ebria cum tali pulpita rore madent.
Igne alios fumoque necat: tunicaque moleſta
Intextos lenta viuere morte iubet.
Aſt alios atra atra, piceaque in nube flagrantes
Nocturni ſubigit luminis eſſe vicem.
Vrſorum exuuias alios ſumptaque ferarum
Pelle iubet alios aſſimulare feras.
Mox acti rabie, venatica turba moloſſi
In noua decepto pabula dente ruunt.
Dumque vrſos, aproſque putant, Actæonis ipſos
Ignari, & domino plebe iocante vorant.
Sed laniare canum quos ora miſerta verentur,
Sæuius hos arcu tela ſonante necant.
Vique cauas vſquam lethalis arundo per aures
Tranſijt, aut geminum perculit haſta latus.
Applaudit reſonans tantis orcheſtra cachinnis,
Centum Erymantheos ceu iugulaſſet apros. *Et inf.*
Quos ſtygio cultum piguit deferre colubro.
Hos ſuus aut fixo perluit enſe cruor,
Aut lento ſuccenſa foco ſartago cremauit,
Aut tumido merſos obruit vnda ſalo,
Aut furor iniecto lapidum tumulauit aceruo,
Aut putrida infoſſos exanimauit humo:
Hos leuibus iaculis, & acutis ira ſagittis,
Hos ſecuit rapidis acta quadriga rotis.
Hos grauis eliſo mactauit claua cerebro,

Hos auido forceps carpſit aduſta foco.
In medios ferram deſcendere vidimus artus,
Et fiſſa in partes hiſcere membra duas.
Vidimus accenſos oleo flammante lebetes,
Et Siculo fuſos ære ſonare boues.
Vidimus inſontes conuulſo crine puellas
Raptari ad Paphiæ ſacra pudenda Deæ.
Vidimus exciſas inhonora clade papillas
Virginis. & laceras dente vacare genas.
P. Iac. Bidermanus Heroid. l. 3. El. 1.

Homo membratim caſus.

CVm laceros artus, æquataque vulnera membris.
Vidimus, & toto quamuis in corpore cæſo
Nil animæ lethale datum, moremque nefandæ
Dirum ſæuitiæ pereuntis parcere morti.
Auulſæ cecidere manus, exſectaque lingua
Palpitat, & muto vacuum ferit aera motu.
Hic aures, alius ſpiramina naris aduncæ
Amputat: ille cauis euoluit ſedibus orbes,
Vltimaque effodit ſpectatis lumina membris.
Lucanus l. 2.

Flagellis caſus.

ILle locum plagæ iam deſtinat, ille flagellum
Suſtulit, & corpus dum furit ore, ferit.
Heu teneri primis tinguntur ab ictibus artus:
Quid facient, repetent cùm ſera flagra locum?
Fit vibex, fit liuor, habet caro liuida tuber,
En ſuccedenti verbere tuber hiat.
Vulnus atrox ſequitur, manat de vulnere ſanguis;
Iam flagra, iam fuſo ſanguine terra madet.
Saxea nil viſo molleſcunt corda cruore,
Imò recrudeſcit, qui fuit ante, furor.
Ergo vigent, rabiemque acuunt; rue, percute, clamant;
Pars lateris ſupereſt integra, tunde latus.
Tergus arant, rubroque trahunt noua vulnera ſulco.
Dic mihi quam ſegetem tam bona terra dabit. *Et inf.*
Attamen hoc veluti calybem faber improbe tundis,
Verberibus geminas verbera; flagra flagris.
Scorpius hamatis præcordia lancinat vncis,
Et ſacra ferrato carpitur vngue caro.
Iam manifeſta patent per vulnera viſcera: cerno
Iam propè laxatis cor micuiſſe fibris.
P. Car. Verpaeus Piat. lact. l. 1. El. 8. & 9.

Intendunt igitur nudato brachia vinclis,
Transuerſoque iugo fixis hinc inde columnis
Suſpendunt, loriſque ſecant à vertice ad imos
Vſque pedes: per vtrumque latus, per terga, per armos,
Collaque, pectoraque innumeris ſonat ictibus acta
Taurea, ſanguineiſque vlmis, & vimine faſces.

Rum-

Rumpuntur, truncæque volant à corpore virgæ:
Altius aut ſulcis merſæ rorantibus hærent.
Inſtant crudeles repetita incude miniſtri.
Nec quadragenas minus vna infligere plagas
Solliciti: petitur populo miſerabile pœnæ
Oſtentum, placare feras quod poſſit, & ipſos
Immanes ſolo aſpectu terrere leones.
Alternantque vices feſſi, nec verbera lege
Nec numero, nec more rotant. iam tergora coſtis
Rapta fluunt numeranda horrent ſine pellibus oſſa.
Hoſtia nudata eſt detracto vellere, & vnum
Cernitur informi toto iam corpore vulnus.
P. Ant. Millieus l. 19. Moyſ. Viat.

Pellis viuenti detracta.

CLamanti cutis eſt ſummos direpta per artus,
Nec quicquam niſi vulnus erat; cruor vndique manat;
Pelle micant venæ: ſalientia viſcera poſſes
Et pellucentes numerare in pectore fibras.
Ouidius l. 6. met.

POENÆ, SIVE PLAGÆ ÆGYPTI.

Plaga Prima. Sanguinis.

SIc ait, & Pharias ceu vulnere ſauciat vndas,
Et rude percuſſum reſpergit ſanguine flumen.
Extemplo exhauſti latices, & limpidus humor
Defecere vadis: impleuerat omnia ſanguis
Flumina, ſtagna, lacus, puteos, viuaria, foſſas
Euripoſque, cadoſque, vrnaſque, & aquaria vaſa:
Omnia ſanguis erat. *Et inf.* Spumantibus vndis
Gurgite purpureo fumans deuoluitur amnis,
Et ſonat; ardentes collucent ſanguine ripæ.

Plaga Secunda. Ranarum.

AT ſimul vt virga elata ſtagna atque paludes
Increpuit Vates, iuſſit erumpere ranas:
Erupere cauis conferta examina ſtagnis,
Inuaduntque procul campos, & ſaltibus altis
Tranſiliunt tumulos: alacres iam mœnibus inſtant
Turritis: hoſtem nullus iam diſtinet agger.
Raucifonas ſuper hęc laterum de follibus amplis
Inflauere tubas, horrendaque claſſica toti
Ægypto intonuere. tremunt Bunaſtis, & arces
Mempheos: è muta nam nulla aduecta Seripho,
Sed venere ab aquis, ſtagniſque ſonantibus omnes.
Excluſi tectis coeunt in compita ciues

Ferali exciti cantu, & bufonibus atris,
Qui cognata iugant audacibus agmina ranis,
Luctiſonſque citant triſtes vlulatibus vmbras.
Horreſcit turbata Pharos rumpentibus aures
Ventriloquis: bullit tellus, nec flumina ceſſant
Eructare luem, raucamque emittere gentem
Gurgitibus: ſaliunt immani corpore ventres,
Obſcœnoſque ferunt celſa ad palatia rictus.
Exturbant thalamis regem, & conuitia cantant
Importuna epulis: raſis mantilia villis,
Et citrios orbes, & puluinaribus aureis
Surgentes maculant ſpondas: quin lancibus ipſis
Proluuiem fœdam exſoluunt ignobilis alui.

Plaga Tertia. Culices.

Ergo iterum iuſſus percuſſo puluere Moſes
Attollit culicum nimbos, & in aera ſpargit.
Ac ſubito alatas veluti ferat Auſter arenas
Eripuere diem: volat atro turbine peſtis
In pecudes hominesſque ruens; ceu faucibus Ætnæ,
Aut volet irati ſparſus cinis ore Veſeui.
Nec fas eſt exire oculis ſubtilia tela,
Mole adeo nulla ſenſus corpuſcula fallunt,
Effugiuntque aciem: quibus eſt cutis arida venter,
Perſpicuæque hyalo pennæ, tenuiſſima crura,
Subtileſque pedum fibræ, caua buccina roſtrum,
Spiculaque, & tremulo molles filamine caudæ:
Cornua dant fronti duo Serum è ſtamine fila.
Vix hoſtem ſentire licet, niſi vellicet aures
Aduolitans, tenuique tuba iam vulnera figat,
Aut canat exili ſtimulans ſe ad bella ſuſurro.
At cum purpureo tumuit iam ſanguine venter
Et ſatur, infixa tamen hæret cuſpide pelli.
Senſere hanc peſtem Pharij; nam cuncta ſonora
Corpora nube premunt, & apertis ſenſibus intrant,
Configunt oculos patulis ſe naribus abdunt:
Reſpirare nefas adeo ſpirabile cœlum
Obſedere; ſimul vitæ in penetralia lapſi
Faucibus, ægra agitant crebro vitalia flatu.

Plaga Quarta. Muſca.

Ecce tibi ad culices maioribus agmina muſcis
Omnigena adjciam, vt ſtimulis penetrantibus angant
Te populumque tuum & diris pruritibus vrant
Haud ſecus ac iuſſæ faciunt: ſtridentibus alis
Inſiliunt, & ſe medios iaculantur in hoſtes.
Nunc vltro citroque fremunt, nunc recta ſonantes
Nunc tranſuerſa ſecant ſpatia, aut glomerantur in orbes.
Olfaciunt longè prædas, & olentia longè
Corpora quadrupedum, aut hominum librantur in ora:
Spiculaque infigunt membris, & cuſpide ſugunt
Pur-

Purpureas venis animas, artuſque cruentant
Informes; manat ſanies, & tubera ſurgunt,
Vlceraque infuſo crudeſcunt fœda veneno.

Plaga Quinta. Peſtilentia pecoris.

IN pecudes igitur lucem non amplius vnam
Deſæuit peſtis Pharios graſſata per agros
Non ſerpit contage malum: vis ignea cœlo
Ingruit, & tumidis linguas in faucibus angit.
Sternuntur ſtabulis pecudes, ſternuntur & agris
Corpora magna boum, & qui luctus Martis, equorum.
Caprigenum pecus omne perit: cum fortibus vrſis
Frugales etiam, ac faciles ad frœna camelos
Tiſiphone abripuit letho: neque cura medentum
Vlla iuuat, non Phillirida, non Pœonis artes.

Plaga Sexta. Scabies & Vlcera.

.... ſed vbi ſummos eduxit in artus
Sanguinis accenſi ſalſos vredo vapores:
Tum prurire cutis maculis ſparſim aſpera rubris
Incipit, atque acri morſu pruriginis vngues
Sollicitat: tunicis humeros, & brachia primum
Motibus alternis agitant, torquentque fricantes
Collaque, pectoraque, & lumbos, & crura pudore
Sepoſito: neque enim prohibet præſentia regis.
Quin proceres ipſi vel coram Principe geſtu
Indecores ſcabiem attrectent, & turpiter ora
Torquentes rugis, lanient immaniter ipſi.
Aſſurgunt papulæ; papulis mox tubera ruptis
In cruſtas vertere: ardent fœda vlcera membris,
Exutique ſuis erumpunt pellibus artus
Extantes, laxæque tument ſine cortice fibræ.
Stare loco neſcit ſcabies, fricat, intremit, horret,
Intus enim ſacer ignis edit.

Plaga Septima. Grando.

..........ollis ſupra caput adſtitit imber
Saxeus, immiſſæque faces, & fulminis alæ
Incluſere fugam trepidis: tonat arduus æther
Tela volant accenſa, cauis terra ima remugit,
Diſſultant montes, contorquent flamina ſiluas:
Tempeſtas inuiſa gelu toto aere nubes
Alligat, eliſaſque immani grandine frangit,
Præcipitatque: ruunt ex alto ingentia ſaxa,
Cunctaque mole ruunt, homines, armenta, feraſque,
Siluarum laceratur honos: vix tecta colonos
Protexere: petunt imis ſpelæa cauernis,
Confuſique feris latitant: gemit obruta tellus,
Atque altis ſegetes lapidum conduntur aceruis.

Plaga Octaua. Alocuſtis.

. . . . omnibus ora
Roſtrata, & ſimiles ferris duplici ordine dentes:
Mobile ſub galeis caput altè aſſurgit acutis:
Cornei & extantes oculi: prolixior aluus
Deſinit in rigidas caudata cuſpide falces:
Poplite contento nervoſis cruribus omnes
Euibrata ſolo ſaltu iaculantur in auras
Corpora. Gnoſſiacis credas exiſſe ſagittas
Arcubus: at ſubiens pictas Notus adiuuat alas
Auſtrineque volant ſubuectæ flatibus auræ
Iam ſegetum nihil eſt in agris: iam gramina campis
Nulla virent: iam nulla tegunt pomaria frondes,
Nullaque iam arroſis frondent vmbracula ſiluis.
Tum ſpoliant libris ramos, virgultaque carpunt
Arida, vt immites barchas hauſere vorando
Nil durum, aut immite fami tam triſtia monſtra
Inueniunt: ſubeunt tectis, ſtridentque ſonantes
Per thalamos, cellaſque omnes.

Plaga Nona. Tenebræ.

NOx mediam rapit axe diem, & ferrugine fuſcat:
Letheis Pharios nebulis, & carcere nigro
Implicuit; quo quiſque loco deprenſus, inhæſit
Arctatus vinclis tenebrarum, & compede mortis,
Arrectiſque horrore comis. ſeu forte viator
Carpit iter notum campis; ſeu curuus arator
Verſat agrum cultu, & glebas exercet inertes;
Siue foro, aut lectis ciues, vel publica cura
Vel priuata tenent ſtudia; improuiſa repente
Obnubit caput, atque ijſdem veſtigia figit
Horrida nox immota locis; gelidoque pauore
Concutit ambiguos ſuperentne? an terra dehiſcens
In cœcas Erebi viuos detruſerit vmbras?
Nam ſæuæ exterrent facies, & ſpectra ferarum
Curſantum iuxta, & paſſim per tecta vagantum.
Nec tamen adſtantes cuiquam ſpectare propinquos,
Aut notos nox illa dedit cognoſcere vultus,
Sed grauior tetro in pœnas à ſulphure fulſit,
Obiectique metu maiora pericula veris.

Plaga Decima. Cædes Primogenitorum.

EVigilant, & vera vident, vera arma, viroſque
Ardentes ſquamis, & non errantia tela
Primigenum à iugulis, ſortitaque vulnere membra
Lethifero; confuſa ſonant clamoribus omnia
Et lacrymis, trepidi occurrunt ad ſpectra parentes:
Effuſæque comis matres: vt quemque cubili
Exturbauit amor ſobolis, ſubitique timores.

Sema-

Semianimem eiecere thoro; nudumque voluti
Ad genua amplexu ferrum conantur, & iras
Hoſtiles inhibere; manus ſimulacra relinquunt
Dilapſa in ventos, tenuique ſimillima fumo.
Vulnera certa madent, verique in morte dolores.
Dant gemitus, miſeroque vocant clamore parentes
Auxilio: plerique thoris percuſſa relictis
In gremium matrum morituri corpora iactant
Conantes alios ſtratis exire, ſupinos
Conatu in medio vires, & vita fefellit
Defecere, thoroque caput poſuere relapſum.

P. Ant. Millieus l. 18. Moyſ. Viat. l. 2. 3. & 5.

Sanguineas hic Nilus aquas, propriumque cruorem
Horret, & obſcænis dubium ſe quærit in vndis
Et timet, & pleno longum ſitit aridus amne.
Inde per ingentes cumulos aggeſta putreſcunt
Agmina ranarum, fœto quas flumine Nilus
Extulerat virgæ imperio, Phariaſque per oras
Infeſtare domos ipſumque laceſſere regem
Miſerat, eduramque malis infringere mentem.
Omnis & in ciniphes terræ tum puluis abibat,
Cogebatque latere Magos, dextramque fateri
Numinis, & victas ſignis maioribus artes.
Inde graues vario generis diſcrimine muſcæ
Figebant proceres, importunoque tumultu
Infixoque altè roſtris crudelibus œſtro,
Dira fatigabant regem, veniamque precari
Moſis, & eluſum vrgebant non fallere Numen.
Hinc ſæuæ pecudum ſtrages, cute fœda tumenti
Vlcera. & inſani per putria membra dolores.
Inde per horribiles nimbos eliſa micabant
Fulgura, vaſtatiſque furenti turbine campis
Fulminibus grando mixtis glomerata per auras
Exitium fatale viris, pecudumque ferebat
Armentis gregibuſque ruens; tum ſi qua virenti
Gramine læta ſuper Phariæ poſt fulmina terræ,
Denſa locuſtarum nubes effuſa vorabat.
Inde videbatur terra palpabilis aura
Nox ſtygis, & diræ tenebris horrentibus vmbræ:
Affixique loco Pharij indomitaque reuincti
Nocte, catenatis ferri ceu compede membris.
Vincta adamantæi religarent corpora nexus.
Dira per hæc dare terrificis ſe ſpectra figuris
Attonitorum inſtare oculis, immanibus aures
Perculſas vrgere ſonis, intendere ſæuas
Horrifico terrore minas, grauioraque letho
Omnia, concuſſis diros inferre labores
Senſibus, inſanas furiare in pectore mentes
Et ſtygis in ſontes rabidum exercere furorem.
Parte alia Pharij per ſingula mœnia regni
Damnataſque domos, hæres vbi maſcula proles
Peſtiferæ cædes & plurima mortis imago.

P. Ant. Chanut. in Farn. Poet. Soc. Ieſu.

Nam ſuæ ſanguineum traxiſſe fluenta colorem
Vidit, & infeſtos ſtare cruore lacus.
Vidit, & informi deformes agmine ranas,
Inque fora, inque domos, inque ſubire penus,
Tum ciniphes infame genus, quos puluere iacto
Fertilis innumeros vndique fudit humus.
Inde vagas alio venientes agmine muſcas;
Nulla grauis genti plaga perinde fuit.
Vaſtauitque ſuo miserè graſſata veneno
Cornigerumque pecus, lanigerumque lues.
Vlcere prætereа putruerunt corpora fœdo,
Et liquor arcendo deerat, & herba malo.
Fulmine tum mixto cecidit fera grando, ſatoſque
Perculit hibernus ventus & imber agros.
Quod reliquum à nimbo fuerat, populata locuſta eſt:
Debuerat plagis tot ſapuiſſe Pharos.
Non ſapuit, denſis igitur damnanda tenebris
Gens fuit. ò tenebris digne Canope tuis.

P. Iac. Bidermanus l. 1. Heroid. el. 6.

CLAMOR ET STREPITVS INGENS.

Excepit reſonis clamorem vallibus Æmus
Peliaciſque dedit rurſus geminare cauernis,
Pindus agit gemitus, Pangæaque ſaxa reſultant.
Oetææque gemunt rupes, voceſque furoris
Expauere ſui tota tellure relatas.

Lucanus l. 6.

Tollitur immenſus deſerta ad ſidera clamor,
Phlegræis quantas effundit ad æthera voces
Terrigena in campis exercitus; aut ſator æui
Quanta Cyclopas noua fulmina voce popoſcit
Iuppiter, extructis vidit cum montibus ire
Magnanimos raptum cœleſtia regna Gigantes.

Sil. Italicus l. 9.

Plauſus reſonantibus tubis & tormentis.

Excipient illum læto Mauortia plauſu
Agmina: pulſabunt feſtis clangoribus auras:
Iam ſe ſe inſtructis ingens exercitus alis
Expedit: æratæ littus cinxere catervæ.
Iam colles clamore virum, clangore tubarum
Diſſultant: iam flammiuomo Cyclopea partu
Æra ſonant: iam tecta nouo gratata parenti
Dant ſonitum, cœlo ruptis crepitantia flammis:
At procul excelſæ ſummis de mœnibus arcis
Tercentum ingentes tonitrus, centum ænea rumpunt
Guttura Vulcano multum ſaturata ſonoro.

P. Conſt. Pulcharellus l. 1. car. 8.

Con.

Concurſus multorum vnum in locum confluentium.

.... mixtum confluxerat vndique vulgus,
Turba ingens. credas longinquo ex æquore vectas
Ad merces properaſſe: aut deuaſtantibus arua
Hoſtibus in tutum trepidos fluxiſſe colonos
Cernere erat perque anfractus, perque arcta viarum
Cuncta repleſſe viros, confuſoque ordine matres:
Permixtos pecori agricolas, hos iungere plauſtra,
Hos intendere vela: alios diſcumbere apertis
Porticibus: reſono completi cuncta tumultu.

Sannazarius l. 2. de par. Virg.

Huc omnis fuit ordo, premit, premiturque viro vir:
Et populi leuis vnda repercutiente ſequentem
Anteriore fremit; nec ſe capit ipſa, ſed vrget
Se magis, & ſimili ſemper curſu, atque recurſu
Voluitur vnde fluit, ſe ſeque reciprocat æſtus.

P. Vinc. Guiniſius car. 1.

Exin turba frequens, nullo diſcrimine, raptim
Tendere in occurſum, & viduatis mœnibus omnis
Vnà ætas ruere, ac totis efferuere portis.
Mixta virum, matrumque manus, ſimul innuba proles
Defixis inhiant oculis: vt crine decorum
Aſſurgat caput: vt candentia terga fatigans
Cornipedis, habiles pulchrè conſurgat in artus.
Mirantur pueriſque oſtentant ſingula matres
Nec vidiſſe ſat eſt: iterumque, iterumque propinquant
Viſendi ſtudio. labor eſt inhibere ruentes,
Molirique viam, & turba defendere Regem.

P. Dion Petauius in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

.... mox longa ambage viarum
Circumfuſa ruit per montem turba: patenti
Concurſus feruet ſtudijſque in limine: plauſus
Exoritur fremituſque: terit, teriturque viro vir
Vnda repercutitur, rurſuſque propinquat; & vnde
Miſſa fluit, refluit; manibuſque obnixa recurrit;
Vrget & irrumpit, pectuſque carinat & vlnas

P. Car. de Lucal. 17. Dom. Laur.

Vt primum hæc exorta dies, feruere tumultu
Compita, compleri que forum, vicinaque magno
Templa foro. effundi tectis confuſa ruentum
Agmina: fortunæ, ſexus, ætatis & omnis
Per fora, perque vias denſæ concurrere nubes:
Inuadique propinqua foro per tecta feneſtræ,
Limina, congeſtis tabulata inſeſſa cateruis,
Ipſaque contempto ſubiti diſcrimine lapſus
Intrepidis onerata gemunt ſuggrundia turbis.

P. Ant. Chanut. in Parn. Poet. Soc. Ieſu.

FAMA.

FAma, malum quo non aliud velocius vllum,
Mobilitate viget viresque acquirit eundo,
Parua metu primo, mox ſe ſe attollit in auras.
Ingrediturque ſolo, & caput inter nubila condit.
Monſtrum horrendum, ingens: cui quot ſunt corpore plumæ:
Tot vigiles oculi ſubter (mirabile dictu)
Tot linguæ, totidem ora ſonant, tot ſubrigit aures,
Tam ficti prauique tenax, quàm nuntia veri.

Virg. l. 4. Æn.

Orbe locus medio eſt inter terraſque, fretumque,
Cœleſteſque plagas, triplicis confinia mundi:
Vnde quod eſt vſquam, quamuis regionibus abſit.
Inſpicitur, penetratque cauas vox omnis ad aures.
Fama tenet, ſummaque domum ſibi legit in arce:
Innumeroſque aditus, ac mille foramina tectis
Addidit, & nullis incluſit limina portis.
Nocte dieque patet, tota eſt ex ære ſonanti,
Tota fremit, voceſque refert, iteratque quod audit,
Nulla quies intus, nullaque ſilentia parte,
Nec tamen eſt clamor, ſed paruæ murmura vocis.
Atria turba tenet, veniunt leue vulgus, euntque,
Mixtaque cum veris paſſim commenta vagantur
Millia rumorum, confuſaque verba volutant.
E quibus hi vacuas implent ſermonibus aures.
Hi narrata ferunt alio, menſuraque ficti
Creſcit, & auditis aliquid nouus adijcit auctor,
Illic credulitas, illic temerarius error,
Vanaque lætitia eſt, conſternatique timores.
Seditioque recens, dubioque auctore ſuſurri.
Ipſa quid in cœlo rerum, pelagoque geratur,
Et tellure videt, totumque inquirit in orbem.

Ouidius l. 12. met.

Quam pater omnipotens digna; atque indigna canentem:
Spargentemque metus, placidis regionibus arcet
Ætheris: illa fremens habitat ſub nubibus imis,
Non Erebi, non diua poli; terraſque fatigat
Quas datur, audentem primi ſpernuntque, fouentque:
Mox omnes agit, & motis quatit oppida linguis.

Val. Flaccus l. 2. Argon.

Vtinam falſo iactata metu
Pennata volet fama ſatelles,
Author inanis ſœpe tumultus:
Sæpe tumultus nuncia veri.
Quæ luce ſedens, & nocte ſedens
Turrita ſuper culmina regum.
Mille per artus vigiles pandit
Oculos, totidem ſubrigit aures
Anxia cuſtos: primæque anceps
Auræ tenues legit afflatus:

Mox

Mox ambiguo dubitat ſono
Serit incerti verba ſuſurri:
Inde capaces fuſa per aures
Vulgi, celeres explicat alas:
Duplicanſque metus creſcit eundo
Inter terras, inter & aſtra
Lapſa volatu traijcit vrbes.
Grauis exoriens rumore leui,
Leuis emoriens rumore graui.
Quidquid, & alter prodidit auctor,
Quiddam auditis leuis effingens:
Hoc multiplici voce remiſſum
Alter pronas narrat ad aures.
Credita vulgo verba bibaci
Manant porrò ſparſa per orbem,
Quibus acceſſit credulus auctor
Alter, & alter.
P. Ber. Stephonius in Criſ. ac. 3. in Cho.

Fama, quam tellus peperit ſororum
Vltimam Cæo, Enceladoque fratri,
Quæ ſuper turrita ſedes potentum
Culmine regum.
Abditis illi domuum latebris
Arbitro quidquid faciunt remoto,
Quidquid in fidam tenui ſuſurro
Conditur aurem:
Viſa tu nulli ſpecularis audax,
Victa tu nunquam liquido ſopore,
Principum nullos verita, aucuparis
Anxia cuſtos.
Inde per linguas populi recepta,
Inter & terras celeri volatu,
Inter & cœlum duplicas tumultus,
Falſa remiſcens.
Mox & id nunquam meritos tyrannos
Laudibus geſtis onerare fictis;
Principes æqua ſpoliare laude
Auſa merentes.
P. Oddo de Comitibus Ode 1. ad Scip. Card. Burg.

MORS.

FAtalem populis vltro poſcentibus oram
Admouet atra dies, ſtygijſque emiſſa tenebris
Mors fruitur cœlo, bellatoremque volando
Campum operit, nigroque viros inuitat amictu
Nil vulgare legens, ſed quæ digniſſima vita
Funera præcipuos annis animiſque cruento
Angue notat; iamque in miſeros penſum omne ſororum
Scinditur, & furiæ rapuerunt licia Parcis.
Statius l. 8. Theb.

Hor-

Horrida vbi folio ſqualet Regina ſuperbo
Exeſas populata genas, & lurida frontem,
Conſumptoque cauas ſuſpendit pectore coſtas.
P. Alex. Donatus l. 1. car. 16.

Regina monogrammæ exucta ſine ſanguine
Sanguinolenta, inanima corporata ex oſſibus ſine corpore
Funeſta infunerata, funus ipſa cum ſit. ſcilicet
Mors illa eſt, cui ſub lunam viuunt omnia:
Triſte ſatellitium circa ſe ferruminat
Orci curas tabificas, & ſitim, & famem,
Maciem, ſenectam, lacrumam, ſuſpirium
Laborem, ærumnam, luctuoſa cum lue.
P. Leo Sanctius flor to. 2. Tit Auro. 3. Sal.

Non exoratæ ſedes hic effera mortis
Form danda domus duro cubat illa ſedili,
Ore minax, & falce manum munita cruenta
Monſtrum horrendum, informe, ingens: effoſſa cauernis
Cui geminis abit interius ſtructura genarum,
Luminaque introrſus tetro pallore recedunt.
Ceruix orba comis: dura cutis aſpera pelle:
Stat caua frons, laceræ nares, ſitus aridus oris
Semper hiat, ſcabra liuent rubigine dentes.
Tum ventri nullus tenui modus; oſſibus ingens:
Tota riget, ſolæ reſtant in pectore crates:
Cruraque vix ægrum ſuſtentant tenuia corpus.
Pallor in aſpectu, facieſque ſimillima buxo.
Ben Milanus in lib. Carm.

Oſſea viſceribus vacuo illi pectore crates:
Ventris hiat pro ventre locus: patet arida calua,
Per vacuos radiorum orbes, perque oris hiatus.
Exeſi nigra crepitant rubigine dentes,
Illuſæque ſonant raro iam pectine malæ:
Oſſaque luxa cauis immane extantia lumbis:
Spicula trunca manu, & falcis inutile ferrum.
P. Ant. Millieus Moyſ. Viat. l. 20.

Homo moriens.

Labitur exanguis, labuntur frigida letho
Lumida, purpureus quondam color ora reliquit.
Virg. l. 2. Æn

Diriguitque malis; nullos mouet aura capillos,
In vultu color eſt ſine ſanguine: lumina mœſtis
Stant immota genis: nihil eſt in imagine viuum.
Ipſa quoque interitus cum duro lingua palato,
Congelat, & venæ deſiſtunt poſſe moueri,
Nec flecti ceruix, nec brachia reddere geſtus,
Nec pes ire poteſt.
Ouid. l. 6. met.

Soluitur omne decus letho, niueoſque per artus
It ſtygius color, & formæ populatur honores
Am-

Ambroſiæ cecidere comæ, violataque ceruix.
Marmoreum in iugulum collo labente recumbit.
Sil. Italicus l. 11.

Tunc toto macies ſubire vultu,
Et palleſcere bellæ imago formæ,
Et liuere genæ, ſuique pergent
Oblitæ decoris rigere malæ:
Tunc mutæ titubare verba linguæ,
Et fractis oculi emori vitellis.
Tunc frigeſcere ſanguis, & gelata
Vitalis tenor abſtinere vena
Ipſo tu tamen à gelu æſtuabis,
Cum frœnis dolor irruet ſolutis.
P. Iac. Bidermanus l. 2. ſilu. 7.

Homo mortuus, ſiue cadauer.

QVippe iter accelerat, propiuſque informe cadauer
Viſendum nigras greſſu diuerberat vmbras
Illi abſumpta cutis, reſolutaque viſcera ſubter:
Spina canas vacuo ſuſpendit pectore coſtas,
Oſſaque dilapſis ſqualent arentia neruis.
Ora carent oculis, conſumptis lurida malis,
Et putres ſcabra ſeruant rubigine dentes.
P. Alex. Donatus l. 1. Conſt.

Hunc ſuper effigies hominis compoſta iacentis
Extendit gelido calce rigente pedes.
Fracta labat ceruix, humerique, & brachia languent,
Nec tenor in venis eſt, nec in oſſe vigor,
Stat macies, cecidere genæ; cutis arida pendet,
Nec calor in membris eſt, nec in ore color.
Auctorata ſilent Samij labra lege magiſtri;
Et nihil in ſurda proficit aure ſonus,
Ipſa diem excludunt obductis lumina valuis,
Æternaque oculos nubila nocte premunt.
Cereus iſte color, facieſque ſimillima buxo,
Dentis heri libyci nobile vicit ebur.
Qui digiti gemma teretes fulſere Sabæa,
Iam mage Riphæo diriguere gelu.
Lingua tacet, cantarat heri. manus vtraque torpet
Vtraque Circenſi in puluere plauſit heri.
Denique languet iners immoto corpore truncus;
Saltarant agiles inde heri, & inde pedes.
P. Iac. Bidermanus l. 1. Heroid. ep. 1.

Biſſenos vbi Sol deinde menſes
Conſueta ſemel orbita peregit.
Iam toto caro vanuit ſepulcro;
Vt viſa neque pelle, nec capillo
Quærant lumina, Calue quis fuiſti?
Criſporum caput inſcium eſt pilorum;
Stant binis vacui ſinus ocellis,
Et toto fugit os ab ore nudis

Dum-

Dumtaxat manet oſſibus ſuperſtes
R.rum deſita mentio tuarum.

Idem l.2. ſilu.7.

MORS VIOLENTA.

Homo ictus fulmine.

TAlia dicentem toto Ioue fulmen adactum
Corripuit: primæ fugere in nubila criſtæ,
Et clypei niger vmbo cadit, iamque omnia lucent
Membra viri, cedunt acies, & terror vtrinque
Quò ruat, ardenti feriat quas corpore turmas.
Intra ſe ſtridere facem, galeamque, comaſque
Sentit, & vrentem thoraca repellere dextra
Conatur, ferri cinerem ſub pectore tractat.

Statius l.10.Theb.

Ipſe ſua rapidum candenti è ſulphure telum
Molitur dextra; claraque è nube triſulcum
In ferale caput valido rotat impete fulmen.
Sed taci æ cecidere faces, flammæque cadentis
Conſcius Herodes nullo hauſit teſte vaporem.
Viſcera confeſtim, venaſque iacentis, & artus,
Oſſaque, & infuſas durata per oſſa medullas
Flamma vorauit edax, & noxia pectora rupit.

P.Iac.Bidermannus l.4. Herod.

Homo terræ abſorptus.

..... ecce altè præceps humus ore profundo
Diſſilit, inque vicem tremuerunt ſidera, & vmbræ
Illum ingens haurit ſpecus, & tranſire parantes
Mergit equos; non arma manu, non frœna remiſit.
Sic vt erat rectos defert in tartara currus;
Reſpexitque cadens cœlum, campumque coire
Ingemit. donec leuior diſtantia rurſus
Miſcuit arua tremor: lucemque excluſit auerno.

Statius l.7. Theb.

Mors hominis ex altiori loco deiecti.

...... quos enim præceps locus
Reliquit artus? oſſa diſiecta, & graui
Eliſa caſu: ſigna clari corporis
Et ora, & illas nobiles patris notas.
Confudit imam pondus ad terram datum.
Soluta ceruix, ſilicis incuſſu caput
Raptum cerebro penitus expreſſo, iacet
Deforme corpus.

Seneca in Troa. ac. 5. ſc.1.

Mors

Mors Sampſonis, & Philiſtæorum ex theatri ruina.

TAlia vociferans magna vi concutit alta
Fulcra columnarum, quo impulſu contremuerunt
Tecta; Philiſtæi clamorem ad ſidera tollunt.
At Sampſon nitens de cardine fulcimenta
Marmorea euellit: ſoluuntur tecta ruuntque
Præcipitata ſolo: pars in ceruicibus hærent
Herois poteratque domum fulcire labantem,
Qui impulerat, ſed ſponte cadans, frangenda ruinis
Membra dedit, voluitque mori, ne viueret hoſtis.
Tunc ſtrepitus tectorum ex omni parte ruentum,
Saxorumque fragor colliſorum, & morientum
Aſtra flagellarunt gemitus, paulo ante iocoſis
Aſtra ſonis, plauſuque leui pulſata theatri.
Quis faciem horrendæ cladis, quis funera cantu
Æquiparare queat? populorum extincta iacebant.
Millia, denſa locis: quique ora nouiſſima fati
Vna, & funus idem, indiſtinctaque mortis imago.
Omnibus effracto capita exiliere cerebro
Et vultus laceri, & turpatus vulnere ſanguis
Et tumuli ante necem, & buſtum commune ruinæ.
P.Gul.Dondinus in car. Sampſ. lud.

MORS VOLVNTARIA.

Cædes ſui ipſius.

AT trepida, & cœptis immanibus effera Dido
Sanguineam voluens aciem, maculiſque trementes
Interfuſa genas, & pallida morte futura,
Conſcendit furibunda rogos, enſemque recludit
Dardanium. atque illam media inter talia ferro
Collapſam aſpiciunt comites, enſemque cruore
Spumantem, ſparſaſque manus.
Illa graueis oculos conata attollere, rurſus
Deficit infixum, ſtridet ſub pectore vulnus
Ter ſe ſe attollens, cubitoque innixa leuauit:
Ter reuoluta toro eſt: oculiſque errantibus alto
Quæſiuit cœlo lucem ingemuitque reperta.
Virg. l. 4. Æn.

Accipe nunc, inquit, noſtri quoque ſanguinis hauſtus:
Quoque erat accinctus, demiſit in ilia ferrum.
Nec mora, ferventi moriens ex vulnere traxit,
Et iacuit reſupinus humo, cruor emicat altè.
Ouid. l. 4. met.

.... & iam media orſa loquentis
Abſtulerat plenum capulo latus: ille dolori

Pu-

Pugnat, & ingentem nixu duplicatus in ictum
Corruit, extremiſque animæ ſingultibus errans
Alternus nunc ore venit, nunc vulnere ſanguis.
Statius l. 3. Theb.

Sic ait. inſignemque animam mucrone coruſco
Dedignantem artus pridem, mœſtamque teneri
Arripit, inque vno quæſitam vulnere rumpit
Sanguine tunc ſpargit turres, & mœnia luſtrat:
Idem l. 10. Theb.

FVNVS, VEL EXEQVIÆ ANTIQVO RITV.

NEc minus interea Miſſenum in littore Teucri
Flebant, & cineri ingrato ſuprema ferebant.
Principio pinguem tædis, & robore ſecto
Ingentem ſtruxere piram: cui frondibus atris
Intexunt latera, & ferales ante cupreſſos
Conſtituunt, decorantque ſuper fulgentibus armis.
Pars calidos latices, & ahena vndantia flammis
Expediunt, corpuſque lauant frigentis, & vngunt.
Fit gemitus: tum membra toro defleta reponunt.
Purpureaſque ſuper veſtes, velamina nota
Coniiciunt: pars ingenti ſubiere pheretro.
Triſte miniſterium, & ſubiectam more parentum
Auerſi tenuere facem: congeſta cremantur
Aurea dona, dapes, fuſo crateres oliuo.
Poſtquam collapſi cineres, & flamma quieuit,
Relliquias vino, & bibulam lauere fauillam:
Oſſaque lecta cado texit Chorineus aheno.
Idem ter ſocios pura circumtulit vnda,
Spargens rore leui, & ramo felicis oliuæ,
Luſtrauitque viros, dixitque nouiſſima verba.
Virg. l. 5. Æn.

Iam pater Æneas, iam curuo in littore Tarchon
Conſtituere pyras: huc corpora quiſque ſuorum
More tulere patrum: ſubiectiſque ignibus atris
Conditur in tenebras altum caligine cœlum.
Ter circùm accenſos cincti fulgentibus armis
Decurrere rogos, ter mœſtum funeris ignem
Luſtrauere in equis, vlulatuſque ore dedere.
Spargitur, & tellus lacrymis, ſparguntur & arma:
It cœlo, clamorque virûm, clangorque tubarum,
Hinc alij ſpolia occiſis direpta Latinis
Coniiciunt igni galeas, enſeſque decoros
Frœnaque, feruenteſque rotas: pars munera nota,
Ipſorum clypeos, & non felicia tela.
Multa boum circà mactantur corpora morti.
Setigeroſque ſues, raptaſque ex omnibus agris
In flammam iugulant pecudes: tum littore toto
Ardentes ſpectant ſocios, ſemuſtaque ſeruant

Buſta, neque auelli poſſunt, nox humida donec
Inuertit cœlum Stellis fulgentibus aptum.

Virg. l. 11. Æn.

Triſtibus interea ramis, teneraque cupreſſo
Damnatus flammæ torus, & puerile pheretrum
Texitur: ima virent agreſti ſtramina cultu.
Proxima gramineis operoſior area ſertis,
Et picturatus morituris floribus agger.
Tertius aſſurgens Arabum ſtrue tollitur ordo
Eoas complexus opes, incanaque glebis
Thura, & ab antiquo durantia cinnama Belo.
Summa crepant auro, Tyrioque attollitur oſtro
Molle ſupercilium, tereteſque hinc vndique gemmæ
Irradiant medio Linus intertextus acantho,
Lethiferique canes. (opus admirabile ſemper
Oderat, atque oculos flectebat ab omine mater.)
Arma etiam, & veterum exuuias circumdat auorum,
Inde ingens lacrymis honor, & miſeranda voluptas.
Muneraque in cineres annis grauiora feruntur.
Namque illi, & pharetras, breuioraque tela dicarat
Feſtinus voti pater, inſonteſque ſagittas.
Spes auidæ: quas non in nomen credula veſtes
Vrgebat ſtudio? cultuſque inſignia regni
Purpureos, ſceptrumque minus? cuncta ignibus atris
Damnat atrox, ſuaque ipſe pareus geſtamina ferri.

Statius l. 6. Theb.

Tollit in excelſum ſe turribus æmula moles
Quadratum dimenſa latus, ſectaque cupreſſo
Interiora trabes, damnataque robora texunt.
Tum ſtipulas, calamoſque leues, atque arida condit
Venturis alimenta focis: extraque ſuperbis
Veſtibus, aut auro, aut ſignis collucet eburnis,
Proximus huic ſpatijs it decreſcentibus agger,
Et ſimilis ſtructura operis, laterumque minorum
Parietibus facies; breuior ligat angulus æquis.
Tertia contractos tollit magis area fines:
Inde minor, ſe ſeque alio ſublata coarctat
Quinta ſupercilio: donec iam vertice ſummo
Extenuatur apex, ſuper & celſiſſima fulget
Purpura, candet ebur, gemmæque, aurumque coruſcan.
Vndique odoratis cumulantur pondera glebis
Thurea, panchæuſque liquor, myrrhæque gementes
Cumque ſuis Indos onyches, alabaſtraque fundunt
Vnguentis, cæſiſque ferunt opobalſama ramis
Raptoſque Eois ſuccos, & aromata ſiluis.
Nec minus, & celebres ineunt certamine ludos,
Sublimeſque in equis volitant; quà flectere currum
Purpureos, formaque patres ſimulante vetuſtos
Aſpicias: actæ in numerum quà ludicra pugnæ,
Atque recurrentes gladijs reſonantibus orbes,
Et campo indomitum pacato efferuere Martem.
Ipſe toga inſignis Maxentius, ipſe virenti

Lau-

Lauro inclina tegens iam tempora, ſuſtulit atram
Auerſus de more facem, iam iamque rogales
Admouet illacrymans arſura in robora flammas,
Incipit, & caris lamenta nouiſſimus vmbris.

P. Alex. Donatus l. 3. Conſt.

Pompa funebris Chriſtiano ritu.

SVrgat in auguſta lacrymabilis æde cupreſſus.
  Omnia luctifico ſint operata rogo.
Explicet accenſum mœſtis funalibus agmen
  Plurima lugubri tibia rauca ſono.
Hic Procerum trabeata manus, grauiorque Senatus,
  Longa phalanx Equitum, denſa corona Ducum
Nec Matrona procul luctus imitata virorum.
  Quæ maius tanto in funere nomen habet.
Occupet hic agmen natorum regius ordo,
  Qui magni poſthac agminis inſtar erunt.
Denique ſuccedant magnorum inſignia Regum,
  Margaris vnde trahit nobilitatis opes.

P. Vinc. Guiniſius Eleg. 3.

Obuia pompa fuit lugubribus horrida ſignis
  Pulla habitu, triſti murmure, lenta gradu.
Parebant mœſti per lina madentia vultus,
  Et gemitum rupti pectoris antra dabant.
Lurida præbebant piceam funalia flammam;
  Inque manu multis atra cupreſſus erat.
Terreor aſpectu, & refuga ceruice gementem
  Damno, gemens illo non minus ipſe gregem,
Ecce autem; medio ſublimis in agmine lectus,
  Sena ſub hexaphoro ſubdita colla grauat.
Nunc ſuper effigies hominis compoſta iacentis
  Extendit gelidos calce rigente pedes.

P. Iac. Bidermanus l. 1. Her. ep. 1.

Talibus à lacrymis dum circùm plurima feruent
Tecta, lareſque, viæque; nigro ſubit agmen amictu
Funebre, multa gemens, & fœmineo vlulatu
Auraſque, plateaſque replens, effertur Ariſbæ
Heroa de ſtirpe Paris. *Et infra.*
Inſtita de feretro pendebat ſerica. iuxta
Mœrebant priſcæ fumoſa inſignia gentis,
Et ſeries viſenda domus, & Martia belli
Gloria, dignatæque toris regalibus vmbræ.
Opplorabat anus modulato præfica verſu,
Inuidiamque tribus motura ſororibus, vnum
Vnius inſtabat pueri exprobrare cadauer.

Idem l. 2. Herod.

Funebris moles in templo.

STabat ad exquilias, niveæ quà Virginis aram
Delapſæ fecere niues, obſcurus amictu

Ni-

Nigranti paries, pulloque aulæa paratu,
Et pícturatis mœrebant templa figuris.
In medio ſpectanda thoris, effulta metallis
Æmula pyramidum moles. cui vertice ſummo
Stat flamma crinitus apex, longoque rogales
Ordine componit rutila teſtudine tædas.
Vidit, & ingentes mirata eſt Roma per artes
Fornicis in ſpeciem denſari lumina: & altè
Pendula flammiferos facibus contexere muros.
Quaque ſupercilium conuexo attollitur arcu,
Aſtra velut radijs interlucentibus ignes
Exanimo ardentes circum poſuiſſe coronas.

INFERA.

Inferorum regio fabuloſa ſupplicijs improborum deſtinata.

MOEnia lata videt tr plici circumdata muro:
Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis
Tartareus Phlegethon, torquetque ſonantia ſaxa.
Porta aduerſa ingens, ſolidæque adamante columnæ
Vis vt nulla virum, non ipſi exſcindere ferro
Cœlicolæ valeant. ſtat ferrea turris ad auras:
Tiſiphoneque ſedens palla ſuccincta cruenta
Veſtibulum inſomnis ſeruat noctesque, diesque.
Hinc exaudiri gemitus, & ſæua ſonare
Verbera, tum ſtridor ferri, tractæque catenæ.

Vide reliqua apud Virgilium l.6. Æn.

Eſt in receſſu Tartar obſcuro locus
Quem grauibus vmbris ſpiſſa caligo alligat:
A fonte diſcors manat h nc imo latex
Ater, quieto ſimil s: hunc iurant Dei,
Tacente ſacram deuehens fluuio Styga,
At hic tumultu rapitur ingenti ferox,
Et ſaxa fluctu voluit Acheron inuius
Renauigari, cingitur duplici vado
Aduerſa Ditis regia, atque ingens domus
Vmbrante luco tegitur. hic vaſto ſpecu
Pendent Tyranni limina: hoc vmbris iter,
Hæc porta regni. campus hanc circa iacet,
In quo ſuperbo digerit vultu ſedens
Animas recentes, dira maieſtas Deo,
Frons torua: fratrum quæ tamen ſpeciem gerat
Gentiſque tantæ: vultus eſt illi Iouis,
Sed fulminantis, magna pars regni trucis
Eſt ipſe dominus, cuius aſpectum timet,
Quidquid timetur: *Et infra.*
Non vnus alta ſede quæſitor ſedens
Iudicia trepidis ſera ſortitur reis.
Auditur illo Gnoſſius Minos foro,

Rhadamanthus illo, Thetidis hoc audit ſocer.
Quod quiſque fecit, patitur: authorem ſcelus
Repetit, ſuoque premitur exemplo nocens,
Raptitur volucri tortus Ixion rota,
Ceruice ſaxum grande Siſyphea ſedet.
In amne medio faucibus ſiccis ſenex
Sectatur vndas, abluit mentum latex,
Fidemque cum iam ſæpe decepto dedit,
Perit vnda, in ora poma deſtituunt famem,
Præbet, volucri Titius æternas dapes
Vrnaſque fruſtra Danaides plenas ferunt.
Errant furentes impiæ Cadmeides,
Terretque menſas auida Phineas auis.

Seneca in Herc. fur. ac. 3. ſc. 2.

Panditur Elyſium chaos & telluris opertæ
Diſſilit vmbra capax, ſylvæque, & nigra pateſcunt
Flumina, liuentes Acheron eiectat arenas.
Fumidus atra vadis phlegethon incendia voluit
Et Styx diſcretis interflua manibus obſtat,
Ipſum pallentem ſolio, circumque miniſtras
Funeſtorum operum Eumenides, Stygiæque ſeueros
Iunonis thalamos, & mæſta cubilia cerno
In ſpeculis mors atra ſedet, dominique ſilentis
Adnumerat populos: maior ſupereminet ordo.
Arbiter hos dura verſat Gortynius vrna
Vera minis poſcens, adigitque expromere vitas
Vſque retrò, & tandem pœnarum lucra fateri
Quid tibi monſtra Erebi, Scyllas, & inane furentes
Centauros, ſolidoque intorta adamante gigantum
Vincula, & anguſtam centeni Ægæonis vmbram.

Statius l. 4. Theb.

Tum iacet in ſpatium ſine corpore pigra vorago
Limoſique lacus, latè exundantibus vrit
Ripas ſæuus aquis phlegethon, & turbine anhelo
Flammarum reſonans ſaxoſa incendia torquet,
Parte alia torrens Cocytos ſanguinis atri
Vorticibus furit, & ſpumanti gurgite fertur.
At magnis ſemper diuis, regique Deorum
Iurari dignata palus, piceis horrida riuo
Fumiferum voluit Styx inter ſulphura limum
Triſtior his Acheron ſanie, craſſoque veneno
Æſtuat, & gelidam eructans cum murmure arenam.
Deſcendit nigra lentus per ſtagna palude.
Hanc optat saniem non vno Cerberus ore,
Hæc & Tyſiphones ſunt pocula & atra Megæra
Hic ſitit, ac nullo rabies extinguitur hauſtu.
Vltimus erumpit lacrymarum fontibus amnis
Ante aulam, atque aditus, & inexorabile limen
Quarta cohors omni ſtabulante per auia monſtro
Excubat, & Manes permiſto murmure terret:
Luctus edax, macieſque malis comes addita morbis,
Et mœror paſtus fletu, & ſine ſanguine pallor,

Cæ-

Curæque, inſidiæque atque hinc queribunda ſenectus.
Hinc angens vtraque manu ſua guttura liuor,
Et deforme malum, ac ſceleri procliuis egeſtas
Errorque inſido greſſu, & diſcordia gaudens
Permiſcere fretum cœlo: ſed & oſtia Ditis
Contentis ſuetus Briareus recludere palmis;
Et Sphynx virgineos rictus infecta cruore,
Scyllaque, centaurique truces, vmbræque Gigantum
Hic diræ volucres, paſtuſque cadauere vultur
Et multus bubo, ac ſparſis Stryx ſanguine pennis.
Harpyæque fouent nidos; atque omnibus hærent
Condenſæ folijs: nutat ſtridoribus arbor.
Has inter formas coniux Iunonis auernæ
Suggeſtu reſidens cognoſcit crimina regum.
Stant vincti, ſeròque piget ſub iudice culpæ,
Circum errant furiæ, pœnarumque omnis imago.
Tunc alius ſæuis religatur rupe catenis:
Aſt alius ſubigit ſaxum, perque ardua montis
Vipereo domat hunc æterna Megæra flagello.

Sil. Italicus l. 13.

Sedes bonis deſtinata apud Inferos, quam Campos Elyſios veteres appellarunt.

Deuenere locos lætos, & amœna vireta
Fortunatorum nemorum, ſedeſque beatas
Largior hic campos æther, & lumine veſtit
Purpureo, ſolemque ſuum, ſua ſidera norunt.
Pars in gramineis exercent membra palæſtris,
Contendunt ludo, & fulua luctantur arena.
Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt.
Hic genus antiquum Teucri, pulcherrima proles,
Magnanimi heroes nati melioribus annis,
Iluſque, Aſſaracuſque. & Troiæ Dardanus auctor
Arma procul, curruſque virum miratur inanes.
Stant terræ defixæ haſtæ, paſſimque ſoluti
Per campos paſcuntur equi: quæ gratia currum
Armorumque fuit viuis, quæ cura nitentes
Paſcere equos, eadem ſequitur tellure repoſtos.
Conſpicit ecce alios dextra, læuaque per herbam
Veſcentes, lætumque choro Pœana canentes
Inter odoratum lauri nemus; vnde supernè
Plurimus Eridani per ripam voluitur amnis.
Hic manus ob patriam pugnando vulnera paſſi.
Quique Sacerdotes caſti, dum vita manebat:
Quique pij vates, & Phæbo digna locuti
Inuentas aut qui vitam excoluere per artes
Quique ſui memores alios fecere merendo:
Omnibus his niuea cinguntur tempora vitta.

Virg. l. 5. Æn.

Amiſſum ne crede diem. ſunt altera nobis
Sidera, ſunt orbes alij. lumenque videbis
Purius, Elyſiumque magis mirabere ſolem,
Cultoreſque pios. illic pretioſior ætas
Aurea progenies habitat, ſemperque tenemus
Quod ſuperi meruere ſemel, nec mollia deſunt
Prata tibi: zephyris illic melioribus halant
Perpetui flores, quos nec tua protulit Ætna.
Eſt etiam lucis arbor prædiues opacis
Fulgentes viridi ramos curuata metallo
Hæc tibi ſacra datur, fortunatumque videbis
Autumnum, & fuluis ſemper ditabere pomis.

F V R I Æ.

NEc mora: Tiſiphone madefactam ſanguine fumit
Importuna facem, fluidoque cruore rubentem
Induitur pallam, tortoque incingitur angue,
Egrediturque domo: luctus comitatur euntem.
Et pauor, & terror, trepidoque inſania vultu.

Ouid. l. 4. met.

. . . . inamœnum forte ſedebat
Cocyton iuxta, reſolutaque vertice crines
Lambere ſulphureas permiſerat anguibus vndas
Centum illi ſtantes vmbrabant ora ceraſtæ
Turba minor diri capitis: ſedet intus abactis
Ferrea lux oculis: qualis per nubila Phœbes
Atracia rubet arte labor. ſuffuſa veneno
Tenditur, ac ſanie gliſcit cutis: igneus atro
Ore vapor, quo longa ſitis, morbique, fameſque,
Et populis mors vna venit. riget horrida tergo
Palla, & cærulei redeunt in pectore nodi.

Statius l. 1. Theb.

INFERORVM REGIO VERA.

EXtremo ſubeunda patet ſpelunca barathro
Qua non vlla magis regnis demiſſa profundis
Paſcit in æternas flammarum incendia pœnas.
Sulphureos alit vnda lacus, atque ignibus atris
Vnda alitur glaciem iuxta, reſonantia iuxta
Fluctibus alliſis, vaſtaque voragine ſaxa.
Luctus ibi, planctuſque virum, gemituſque nocentum
Verberaque ingeminant, quaſſatque immanè cauernas
Horror, & ora dolor redeuntibus obſidet alis:
Huc immerſi omnes, quicumque ferocibus auſis
Bella ſacris fecere; iacentque, dolentque Nerones

Cer-

Corpora tercentum rigidis percuſſa catenis
Perpetuis ardere rogis, clauaque ſonare
Centauros fremere, & ſpiris religantibus hydras.
P. Alex. Donatus l. 1 car. 7.

Omnia funeſtis operit nox atra tenebris,
Horridaque offuſum retrò agit vmbra diem:
Clauditur æratis circum vndique, & vndique muris,
Ferrataſque ligant vincula mille fores.
Obſidet hoſpitium grauis illætabile mæror,
Et ſocia æternus cum legione dolor.
Intus agit picei rogus atra volumina fumi,
Sulphureamque domus tota Mephitin alit.
Ignea denſatis in aheno carcere flammis
Regnat, & Ætnæo plus furit aura foco.
Vrimur hoc ſemper, ſemperque renaſcimur igni,
Quoque neceſſe mori eſt, non licet igne mori. *Et inf.*
Stant rata perpetuis incendia legibus, omnes
Æternum in ſurdo perdimus igne preces.
Circumeunt rictu Briareia turba triſauci.
Perque humeros errat, perque ceraſta ſinus.
Viſus erat Titij quondam mera fabula vultur,
Viſa Ixioniæ fabula Graia rotæ.
Cogimur inuiti iam credere. paſcere viuo
Ipſe Prometheam viſcere cogor auem.
Tantalus idem ego ſum, vanoque fugacia morſu
Eſuriens ſtygijs pabula ſector aquis
Mille aliæ torquent; aliæque, aliæque: nec vllum
Aut numerum, aut pœnæ copia nomen habet.
Cimmerijs caligo tegit nox ſpiſſa tenebris,
Nec dat adempta ſuas luna, nec aſtra faces.
Nos pro rore picem, piceumque bituminis imbrem.
Et reſinatæ ſulphur habemus aquæ.
Circus habet pro Vere focum, ſolique ſinuntur
Hi zephyri in noſtra ſtare, Notique plaga.
Hinc verſi in rabiem nos dente laceſſimus artus
Membraque agit demens in ſua membra furor.
Inſequimur diris ſolemque, diemque, Deumque
Et quidquid tellus, quidquid Olympus habet.
Suppeditat maledicta dolor: pergitque dolores
Suppeditare nouos flamma, ſitiſque nouos.
Sed quid ego multis flammamque ſitimque, famemque,
Et mala, quæ cruciant, exteriora queror?
Pectora cognatus cum torqueat intima lictor,
Conſciaque impaſtus viſcera vermis edat?
Plus ſatis hic mihi tortor erat. ſua ceſſet Erynnis.
Addere flagra meus plura tyrannus habet.
P. Iac. Eidermanus l. 2. Heroid. ep. 3.

Horribilis agmen triſte ſilentium,
Et turpe vulgus. te canis occupat
Latratu, & exterret trilinguis,
Perque lucus ululans Auernus.

Lethenque inertem, ſtagnaque pallida
Fleture viſes, altaque Tænara.
Vmbraſque deformeſque Manes
Illunie, miſeramque turbam.
Pallebis Harpyam, oraque Gorgonum,
Laruaſque turpes, & Lemures nigros,
Furuoſque Cyclopas, ſcientes
Arte noua reparare flammas.
Eheu voraci iam crepitat face
Extructus altis aggeribus rogus,
Per damna, collataſque pœnas;
Nec Nemeſis poſitura quondam
Modum dolori, fert adamantinam
Neceſſitatem, iuraque ferrea;
Clauos refiget nec trabales
Quos ſemel inſtituens adegit.
Non te reducent Threiciæ fides,
Laborioſi cura vel Herculis:
Te triſtis æternum reſorbens
Pœna ſub exitium tenebit.
Mœrebis annos immiſerabilis
Interminatos, longaque ſæcula;
Rapacis Orci fœda cum te
Proluuies ſibi deſtinauit.
Audin? querelis horrida perſtrepunt
Spelæa Ditis; probraque turpia
Diris acerbant execratis,
Guttur vt intumuit veneno.
Pungente cura ſollicitum nefas
Mente remordet; pœnaque funere
Exeſt renaſcentem, volucris
Ceu Titij iecur vlceroſum.

P. Io. Bap. Maſculus l. 2. Ode 34.

.... Viden' vt vacuo diſcedat hiatu
Subter humus? (ſimul omnis humo dirupta receſſit
Materies, imæque Erebi patuere cauernæ)
Vt piceas agit atra palus Acheruntica flammas?
Vt fumos per inane rotet? timuere profundum
Attoniti ſpectare chaos: fœdamque barathri
Colluuiem, vulguſque modis miſerabile miris,
Informes animarum vmbras, torrente rotati
Merſas igne vadi, ſupraque ardere perenne
Sulphur, & infamem longè exalare Mephitim
Intus hydras, viuoſque genus deforme ceraſtæ
Sibila ſenſerunt candentibus edere linguis,
Perque cauos errare ſinus: ſemperque recenti
Pectora clamantum vexare nocentia morſu. *Etiuſ.*
Hic alij, quos flamma rogis ardentibus ambit
Amphoraque infuſo ſemper rigat ignea plumbo,
Immodicæ conſueta gulæ conuiuia damnant

Sera nimis; gelidamque labris ſitientibus vndam
Irrita vota petunt; ſolo cum decut anhelum
Sulphuris igniti moderari plaſmate guttur.
Hic ſcopulos alij ſupra voluuntur acutos,
Præcipiteſque ruunt; iterumque à valle retracti
Alternas ineunt ab eadem rupe ruinas;
Inſtabiles ſemper: quos olim magna iuuabat
Quærere fortunæ ludentis inania: quorumque
Aucupio captatus honos, peregrèque petita
Gloria, contemptu populum preſſere minorem,
Proxima caſtra tenent, odijs quos acribus egit
Inuidia ſtimulante furor: nunc ecce colubris
Vndique perplexi roduntur edacibus omnes.
Perpetuumque omnes iteranda in vulnera durant.
Rurſum alij, quos dira fames exercuit auri,
Atque alij, quos ira nocens, aut improba mentis
Vexauit rabies; aut deſperatio ſæuas
In iugulum torquere manus pertæſa coegit.
Singula quid memorem noxarum ergaſtula? culpam
Quiſque ſuam ſibi carcer habet: diſtinctaque pœnis
Crimina ſunt multis vnus furit artibus ignis,
Ingenioſus ad hoc, facta vt cruciatibus æquet.

P. Iac. Bidermannus l. 3. Herod.

Infortunatos tellus habet iſta colonos.
Qui lacerent diris ſeque, Deumque probris.
Æthiopes cuncti, monſtroſæ noctis alumni,
Pars pice, pars fumo, pars metuenda rogis.
Mens eadem nulli, ſtudijs diſcordibus omnes
Quà furor, & rabies quemque tulere, fremunt.
Immortale odium pulſo male regnat amore,
Vnica lex, pœnas hic ſine lege pati.
Hìc ſibi perpetuæ ſtatuere cubilia curæ,
Et rabida hirſutus cum legione dolor.
Hìc tremor, hìc pallor, gemitus, lacrymæque perennes
Fumidus æternas hìc dabit ignis aquas.
Sulphuris hic amnes vario cum gurgite mixti,
Non alio eſt iſthic fonte leuanda ſitis.
Dira loci facies, aquilo vndique, & vndique bruma,
Hìc cruciat lapſis ſpina relicta roſis.
Hìc nulli ſoles, tenuis nec ab æthere fulgor.
Omnia nox reducem non habitura diem.
Tempeſtas æterna ſtygem premit: vndique fulmen
Imminet, & tonitru, væque perenne boat.
Mors ſine morte grauis: vita hìc eſt neſcia vitæ:
Cumque mori cupias: viuere in igne datur.
Omnia ſtant flammis, circumque infraque ſupraque;
Hæret inexhauſti lingua ſtupore mali.
Eheu! quidquid atrox, dirum, illætabile, mœſtum,
Quidquid acerbum, id totum vnus Auernus habet.

P. Car. Vatpaus l. 1. El. 3.

DÆMONES.

EVolat inſrendens oculatis protinus alis
Bellua, terribili præfixaque cornua fronti
Subrigit: ore nigros fumoſque eructat, & ignes:
Pectora flammiferis horrent ſquamoſa ceraſtis:
Angue ſonant, vacuæque manus incendia portant.
P. Alex. Donatus Conſt. l. 4.

Partibus exciti propioribus vndique inundant
(Concilium horrendum) proceres, implentque cauernas
Immenſas, quibus effigies humana nefandis
Fœda modis, hirti nutant ſub crinibus hydri
Lumina ſtant flamma, fumus de naribus vndat,
Cornua fronte rigent, exhalant ora Mephitim.
At pice perfuſos humeros, ſetoſaque nudi
Pectora, remigia alarum nigra, lurida quaſſant,
Quales buſta ſuper ſtryx horrida concutit alas:
Deſinit in tortum furialis cauda draconem.
P. Gul. Dondinus in Car. cui Tit. Arc. Palat.

Ignea terrificæ furit inclementia formæ.
Implexus multa crinis ſubſtringitur hydra:
Os rabidum, frons atra, genæ, coma, pectus, & aures
Luminaque eructant flammas: ſpumantia nimbos
Corda vomunt glomerantque caput ceu mobile fulmen
Nubibus inuoluit, pluuiaque exaſperat ira
Ænea, dum candent, ſcintillant oſſa: medullis
Euacuata lues implet: pro ſanguine tabo
Vena tumet: ſupplet vitalem corde calorem
Frigida mors: fractas non ſuperbia vires
Suggerit, & colubris, dum ſibilat arma miniſtrat.
P. Car. de Luca l. 16. Dom. Raur.

PVRGATORIVS IGNIS.

EXterior vallo Phlegeton, & februa ſtagna
Allabunt ſcopulos flammis, quas ſulphure viuo
Et pice farcta palus ſcatebris flagrantibus efflat,
At ſuper in ſpeculis ſimulacra immania, triſtes
Excubiæ flammas, & ferrum illætabile verſant,
Queis ſontes arcent animas, Erebeaque monſtra,
Explorantque pios iuſto purgamine manes
Hos auguſta Patrum ſeries, hos caſta nepotum
Poſteritas ſortita loco, quibus omne per ignem
Excoxit vitium, & viuis fornacibus ardens
Obryzo ſimiles ſpectauit ab æthere virtus
Expolijtque manu, & Diuum tranſmiſit habendos
Theſauris.
P. Ant. Millieus l. 20. Moyſ. Viat.

At:

At qualis, Superi, qualis locus! omnia carcer
Et ſi quid peius carcere carcer habet.
Iſte ſua me nocte locus circumſtat, & arcto
Non expugnandas occupat ære fores:
Vix penetrare queunt tenues ſuſpiria rimas
Et querulæ cœlo diſſimulante preces
Cetera nullà patent: ſed ahenus vbique rigenti
Poſtis habet ſolidas ex adamante fores
Noſtra Deum laudant patienti incendia queſtu.
Et quamquam iratum pectora Numen amant.
Inſere ſis oculos; ſi quà tibi parte fatiſcet
Rima; poteſt oculis rima ſat eſſe tuis,
Illa tibi plures monſtrabit ſola dolores,
Quam vigiles monſtret luna ſerena faces.
Hic ardente palus vnda vomit atra Mephitin,
Plenaque ſulphureo balnea rore parit
Hic piceæ lambunt nebuloſa cubilia tædæ,
Et querulos vaſtant igne nigrante lares.
Nos medij prunis candentibus vrimur, inter
Artifices qualis maſſa liquata focos.
Nos rota præcipiti diſcerpit ahenea gyro,
Nos abies fixo torret adacta veru.
Nos reſina coquit, plumbique liquentis, & æris
Horridus ignitis abluit imber aquis.
De ſcopulis illos, ſaxiſque minacibus illos
Subdita præcipites ſcindit acuta ſilex.
Aſt alibi tortor ſcuticis immanibus inſtat
Verberaque elata librat ahena manu.
Candentes alibi cuneos intorquet, & vncos,
Vulſaque flammifera forcipe fruſta ſecat,
Et grauidis æquat commiſſa piacula plagis;
Nec venia eſt culpis vlla, nec vlla reis
Quæ quondam fecere luunt; neque grandia ſolum
Sed quæ vix occiſus viſa fuere, luunt.
Atque vtinam lacrymis ea tunc eluta fuiſſent
Cùm lacrymæ pretio non caruere ſuo.

P. Iac. Bidermanus l. 3. Hero. ep. 4.

Mánes indigetes, atque opis indigos
Vindex pęna rogis excoquit, excoquit;
Nec riuo facili, nec fluuio licet
Flàmmas vincere viuidas.
Vrget ſollicitos carcere Mulciber
Cyclopeſque feri forcipe ahenea
Verſant; ſic ſcelerum difficiles notas
Delent, damnaque diluunt.
Adduxere ſitim Tantaleam faces
Nec ſeptemgeminum ducere largius,
Si Nilum liceat, temperet igneam
Ætnæ vim penetrabilis.
Sed vota, atque preces elicient rogo,
Flammarumque potens arbiter acrium

Princeps Romuleus triſtia corriget
Pœnarum eluere efficax.
Effudiſſe polum largus, & aridis
Indulgere animis flumine liquido.
Cœlum namque patet clauibus aureis
Et poſtes adamantini.
Manes ſolue pios, & bonus expia,
Sæuorumque memor, dum facis, ignium,
Miſce liba; dapes ſeu Cererem leuem

P. Io. Baptiſta Maſculus l. 2. Ode 29.

MVNDI FVTVRVM EXCIDIVM.

.... ſic cum compage ſoluta
Sæcula tot mundi ſuprema coegerit hora.
Antiquum repetens iterùm chaos, omnia miſtis
Sidera ſideribus concurrent; ignea pontum
Aſtra petent, tellus extendere littora nolet,
Excutietque fretum; fratri contraria Phœbe
Ibit, & obliquum bigas agitare per orbem
Indignata diem poſcet ſibi, totaque diſcors
Machina diuulſi turbabit fœdera mundi.

Lucanus l. 1.

Iam iam legibus obrutis
Mundo cum veniet dies,
Auſtralis polus obruet
Quidquid per Libyam iacet,
Et ſparſus Garamas tenet:
Arctous polus obruet
Quidquid ſubiacet axibus:
Et ſiccus Boreas ferit
Amiſſum trepidus Polo
Titan excutiet diem.
Cœli regia concidet,
Certos atque obitus trahet:
Atque omnes pariter Deos
Perdet mors aliqua, & chaos.
Et mors fata nouiſſima
In ſe conſtituet ſibi.

Seneca in Herc. Oet. in Cho. act. 3.

IVDICIVM EXTREMVM.

AT mihi corda magis perituri buccina mundi
Et tuba terrificat; quali tuba ferrea cantu,
Triſtis, & extremos hominum latura dolores.

Qua-

Quatuor vnde fremunt agitantes murmura venti,
Et raptum aduerſis populantur flatibus orbem,
Deſcendet cœlo tubicen; proh tortile fulmen
Fit tuba, ſtridoremque cauis eructat ahenis,
Fulguraque, & flammas imis commota ſepulcris
Accepere ſonum, & cineres aurita dedere
Marmora! ſupremæ per magna incendia lucis
Iam volitant animæ, viuiſque aggeſta cateruis
Denſa Palæſtinas ineunt iam corpora valles.
Heu facies, rerumque vices! hi crimine vitæ
Surgentes tumulis æterna in funera viuunt:
Hi collucentem phœbo ſeptemplice currum
Aere ſublimes, agilique altiſſima lapſu
Aſcendunt ſpatia, & magno dominantur olympo.

P. Alex. Donatus l. 1. car. 15.

Terreor. heu quali marcentia buccina cantu
Funera, de tumuli ſurgere mole iubet!
Surgite. iura dari ſummus iubet vltima Prætor:
Sontibus ille forum flebile Prætor aget.
Iamque mouet tellus, maris æſtuat vnda dehiſcunt
Iſtius hinc omnes, illius inde ſinus.
Numquam alio tantæ coierunt agmine gentes:
Horruit à numero territa turba ſuo.
Quæ miſeris facies? quæ informi in corpore forma?
Conſcia quis pingit luridus ora color?
Frigidus oſſa tremor. dolor illia, guttura clamor,
Atque oculos fletus, pectora planctus habet.
Iam perijſſe ſciunt ſe iudice quiſque; nec acta eſt:
Cauſa, tamen cauſa ſe perijſſe vident.
Inde graues alius vocat in ſua funera montes;
Totus ab iniecta poſſit vt Alpe tegi.
Atque alius pelagi vouet omnibus eſſe ſub vndis,
Dum queat aſpectu Iudicis eſſe procul.
Irrita vota. cauum Thaumantias iris in arcum
Iam coit: extructo iam rubet aura throno.
Iam tonitru cœlum quatiente fatiſcit, & omnis
Aligerum ætheria prodit ab arce phalanx.
Purpureoque vehens cœli per inania curru
Ipſe triumphali cum trabe Prætor adeſt.
Qui rapidum pernix quacunque per æthera fertur,
Spargit in infenſas flammea tela tribus.
Dant procul aſtra locum: trepidat Leo, cecidit Orion,
Parrhaſis ad vetitas Vrſa recurrit aquas.
Luna ſilet, pallenſque grauem confeſſa timorem
Abditur, & radijs orbita ſolis eget.
Denique ſubſtructa cùm ſedit in Iride Prætor,
Et ſtetit hinc Actor plurimus, inde Reus:
Hei mihi! quas lites intendere ſontibus Actor
Ille? quibuſque vti teſtibus ille ſolet?
Vaſtum aperitur ibi monſtroſa mole volumen
Grandibus inſcriptum parte ab vtraque notis.

Omnis apex ibi pondus habet: legit omnia quiſque.
Qui nihil ante vnquam legerat, ille leget;
Quo tamen, heu, quo quiſque metu leget? omnia coram
Quæ malè, vel dixit, vel malè fecit, erunt.
Peruia ſunt oculo penetralia pectoris omni;
Abdita, quæ nunquam viſa fuere, patent.
Quos igitur Iudex meliores dexter habebit,
Eximias illos inter amabit oues.
Sed ſcelerum quos atra teget caligo, manebunt
Dedecores inter turba ſiniſtra capros.
Vide reliqua apud Iac. Biderm. l. 2. Her. ep. 1.

Latè tonantem fana per ardua
Frequens iuuentus horruit, horruit:
Dijudicandam litem vt olim
Audijt, ac trepidum fragorem
Ruentis orbis, quæ iacis ignea
Sententiarum fulmina? territas
Vt fulgurando? perque miſces
Cuncta graui tremefacta motu.
Natura monſtris preſſa nouis, mali
Immane quantum parturit; aſperam
Vim dicis, implacatam & iram
Vindicis, & vitijs iniquam,
Nigrumque ſolem, nigraque ſidera,
Cœcumque cœlum, ſanguinis illinis
Guttis Dianam, fati & Argo
Neſcia iam natat inter ignes.
Rubeſcit orbis ſemita lactei;
Eſt ignis Arcto; decidit arduus
Polus, nec agmen diſſipatum
Cogere amat niger Heſperugo.
Damnoſa mundum comminuet dies
Dilapſum in ignes, franget & impetu
Volubili, diuulſa ab imo
Cuncta rogum impoſitura in vnum.
Formidoloſæ ſcena tragœdiæ
Templi theatro iam patet, & faces
Tædæque debacchantur atræ
Incubuit cinis altus orbi
Ad buſta non iam ſurda moues tubam
Auditam Auerni ſedibus intimis,
Vmbraſque, deflagrata & vrges
Corpora ſollicitumque vulgus.
Exſomnis alto de tumulo ſtupet
Natura; pallentum libet agmina
Mirari, & exangues cateruas
Purpureas animare venas.
Coram minacem conſtituis Deum
Vltrice flamma; ſæua ſupercilij,
Et alta maieſtas fugaces
Terret agens ſub Auerna manes.
Acerbus oris proijcit impijs,

Tru-

Truditque vindex in caua Tartara
Ætnæque flammanti, pyræque
Subijcit arbitrio tenaci.

P. Io. Bapt. Maſculus lyric. l. 1. Ode 34.

Plange, plange luctuoſa
Tuba mœſta nænia.
Iam videbis lacrymoſa
Drammatis proſcenia.
Ecce prodit ipſe Iudex
Iudicum rex maximus.
Eſt tubarum clangor iudex
Et ſonus nouiſſimus.
Surge turba clauſa buſtis,
Iam tribunal panditur.
Inde prauis, inde iuſtis
Digna merces redditur.
En refulget Crux, Signis
Iudicis prænuncia:
En vtrimque Paſſionis
Promicant inſignia.
State cuncti, tu ſiniſtram
Hædè turpis occupa;
Vos oues adite dextram,
Nulla iam ſæuit lupa.
State ſontes, ſtate ſancti
Iudicandi ſplendidè
Ecce ſedit in micanti
Prætor altus inde:
Clara cuius ora fulgur,
Verba ſunt tonitrua.
Iam ſonabat grande murmur
Iuſta reddens ſingulis.
Stipat ala multa primi
Præſidis ſubſellium;

Quin verentur hunc & imi
Ordines rebellium.
Hic volumen proferetur
Quod patebit omnibus.
Quātus horror, cum legetur
Clauſa noxa cordibus!
Noxa triſtis, noxa dira,
Noctis atra filia,
Quam tonantis plectet ira
Ima torquens ilia.
In bilance nam ſeuera
Ponderabit crimina.
Moxque ponet ſorte vera
Omnium diſcrimina.
Lucis huius dum recordor,
Palleo ſuppelx reus:
Ad tribunal dum vocabor,
Parce Quæſitor Deus.
Contremiſcam te ſedente,
Cauſa dum tractabitur.
Res agetur me tacente,
Quædam vulgabitur.
Ritè cauſa quid peracta
Sit futurum reſciam.
Namque Iudex lite dicta
Proferet ſententiam.
Ite, dicet, criminoſis
Ad profunda tartara.
At venite, glorioſis
Ad ſuprema ſidera.

P. Car. Verpæus l. 2. piar. lacr.

Principio flammæ, trepidique incendia mundi
Viſa viro purgare diem, & ſpirabilis auras
Ætheris, ac tota luſtramina ſpargere terra,
Omnia ſic opera in cineres mortalia ſidunt;
Ipſa latet facies naturæ oppreſſa fauilla.
Extincti pelago piſces, animantia ſiluis.
Aut extincta polis, aut caligantia fumo
Sidera ſæua rubens Titan, & ſanguine luna,
Et fixis hinc inde poli ſimul axibus adſtant.
Tum tremere horrendo clangore elementa per omnes
Terrarum, oceanique plagas, & iuſſa reuulſis
Viſceribus cineres rediuiuis reddere membris.

Hic ſubito maria, & terras, & flumina paſſim
Excuſſis bullire cauis cineresque ſepultos
Eructare ſinu. coeunt, diſperſaque longè
Ilicet oſſa locis reparandis artubus adſunt.
Mox iterum clangente tuba, cœloque, Ereboque
Excitæ redeunt animæ, formataque rurſum
Inſinuant ſe ſe ſua quæque in corpora motu
Vitali, agnoſcuntque ſuos in millibus artus.
Ingenti ſubeunt omnes horrore tribunal
Confuſi cum plebe duces, humileſque tyranni.
Tum pariter viſum ſcindi, & deſcendere cœlum
Æthereoſque omnes portis effundere ciues:
Ac ſimul igniuomis curuato è nubibus arcu
Iudicij in ſolio ſpectandum exponere Regem.
Sanguineum ante Crucis labarum. faſceſque cruentos
Signiferi alipedes radiata è nube coruſcant;
Feraleſque tubas imitata tonitrua voluunt.
Tum populi terrarum omnes perculſa repente
Rumpere tundentes miſerando pectora planctu.
Clamoremque ſimul, lacrymaſque aduoluere cœlo
Cùm gemitu, terræ optantes penetralibus abdi
Deſperare fugam, & latebras, ſic omnia flammis
Circumquaque ſonant, pœniſque ſequacibus ardent.

P. Ant. Millieus l. 2. Moyſ. Viat.

.... Veniet non exuperabile tempus
Cùm maria & terras per ſumma incendia, ſummo
Vna dies dabit exitio:, cum maxima tandem
Suſtentata diu moles procumbet, & atra
Ignibus extinctis ſtabit caligine cœlum,
Et ruet ex imis hæc machina fundamentis,
Tum verò aligerum clamor, clangorque tubarum
Terribili monitu & cineres animabit & oſſa:
Quæ terra actutum mirabitur ire ſepulcris
Excita: & ad viſum vultus natura reflectet.
Namque omnis trepidans ſoboles humana parentis
Supremi imperio veniet: ſe ſiſtet ad vnum
Scilicet à prima naſcentis origine mundi,
Aurea qui tulerit radianti ſceptra pyropo,
Et qui ſeruili durarit membra labore
Conditione pari: generis diſcrimina nulla,
Sed virtutis erunt: iudex erit omnibus idem.
Ipſe autem aligerùm in medio, cœloque volantum
Collectamque diu metuentum iudicis iram,
Præque crucem, & ſacræ crucis argumenta ferentum
Rex erit, & media ſtellarum in luce. coruſca
Nube ſedens hominum vitas, & crimina diſcet.
Pro ſe quiſque ſuam manifeſto crimine cauſam
Solus aget ſuperum atque hominum ſpectante corona.
Tum quibus & virtutis amor, dum vita manebat,
Et pia relligio cordi fuit, & crucis ingens

Pro-

Profuit inſigne, vt cœleſtia ſigna ſecutis
Annuet, & cœli regnorum in parte locatis
Æternum dabit imperium, vitamque beatam.
At miſeros, quorum concretas crimina tardant
Non abſterſa animas, quos veræ tædia laudis
Nunc capiunt, ferient diuinæ vulnera vocis.
Heu nimium miſeros aget irreuocabile verbum
In ſedem ſcelerum æternam, noctemque profundam,
Terribileſque vmbras, & formidabile regnum;
Sub loca ſenta ſitu, atque vltricibus horrida flammis.
Hic vbi perpetuis torrebit viſcera pœnis
Ignis atrox flammis indeficientibus auctus,
Atque edet infelix animas, & conſcius anget
Corda dolor; nec finis erit requieſque malorum.

P. Franc. Bencius Quinque Mar. l. 5.

FINIS.

Vidit Franciſcus Coli Presbyter Lucenſis,
& Venetijs Publicus Corrector.

INDEX

INDEX
DESCRIPTIONVM.

A.

ACcipiter. pag 105
Adulatio. 423
Ægypti plagæ decem. 559
Aeris regiones. 81
V. Meteora.
Æſtas. 16
Ætas aurea. 76
Ætas ferrea. 81
Ætates humanæ vitæ. 327
Ætna flammas euomens. 246
V. Veſuuius.
Affrica vna ex terræ parti-bus. 187
Affectus humani. 429
Affectibus varijs agitatus. 442
Agger in mari excitatus. 231
Agricultura. 537
Alpes. 245
V. Montes.
Ambitio. 427
Amicitia, ſiue Amicus. 432
Amœnitas & vbertas regio-nis. 196
Amoris affectus. 429
Amor pueri ſpecie. 430
Amoris ardor. 431
Amoris materni blanditiæ. 431
Amoris indicia. 431
Amphitheatrum Romæ 220
Anathome, ſeu corpus ana-thomice ſectum. 464
Angeli. 47
Angelus armatus. 50
Angelorum concentus. 50
Angelorum pugna cum Lu-cifero.
Animus humanus. 309
Apenninus mons. 245
Apes. 121
Apes ex aluearibus fumo abactæ. 124
Apes æris ſonitu reuocatæ. 124
Apes inter ſe pugnantes. 124
Aper. 280
Apri venatio. 281
Apus, ſeu auis Paradiſi. 102
Aquæ riuus. 178
Aquarum luſus. 179
Aquila. 103
Aquila inconniuentibus ocu-lis Solem aſpiciens. 103
Aquila ad prædam conuo-lans. 104
Aquilæ pugna cum Serpen-te. 105
Aquilæ pugna cum Cycnis. 105
Aranea. 293
Arborum ſpecies. 236
Arbor frondibus ſpoliata. 238
Arca Noetica. 482
Archangeli Michaelis pu-gna cum Lucifero. 51
Arces & munimenta. 217
Architectura. 468
Ardea auis. 106
Argentum viuum. 199
Armamentarium in cęlo. 56
Armorum genera. 498
Arnus fluuius. 173
Ars & peritia militaris. 492
Ars Chimica 482
Ars Equitandi. 475
V. Equus. 260
Ars fabrilis ferraria. 475
Ars inſerendi arbores. 537
Ars magica. 477
Ars medendi. 462
Ars nendi. 463
Ars ſagittandi. 473
Ars ſcribendi. 458
Ars Texendi. 473
Ars Typographica. 459
Arx S. Angeli Romæ. 218
Arx in littore maris. 219
Aſia. 185
V. Quatuor terræ partes.
Aſtrologia. 452

Aſtro-

Aſtronomia. 450
Atheſis fluuius. 173
Atlas mons. 246
Auaritia. 421
Aues. 100
Auis Paradiſi, ſeu Apus. 102
Auis in cauea. 102
Aucupium. 102
Aula, Aulicorum vita. 380
Aurora. 54
Aurum, & auri damna. 258
Auri fodinæ. 259
Auſter ſiue Notus. 85
Autumnus. 72
V. Vindemia.

B

Babylonica turris. 468
Bacchi ſacra. 543
Balæna. 156
Baptiſmi ſacramentum. 543
Bellator optimus. 495
Belli damna. 534
Bombarda. 50
Bombyx. 292
Boreas, ſeu Aquilo. 84
Bos. 271
Braſſica. 235
Bubalus. 283
Bubo auis. 107
Burdigala Vrbs Galliæ. 204

C

Cacus monſtrum hominis. 308
Cadauer. 570
Calcar ferreum. 491
Calcis ludos, ſeu Harpaſtum Florentinum. 399
Canens V. Muſica. 465
Vide etiam Luſcinia canens.
Canes Venatici. 272
Canis veſtigator feræ. 274
Canis moloſſus. 274
Catella venuſta. 276
Cantus V. Muſica. 465
Cardinales. 384
Carnis afflictatio. 420
Ceraſa. 240
Ceruus. 276
Cerui venatio. 277
Cerui cum Serpente pugna. 278
Chaos. 7
Chimica ars. 482
Chriſtus Ieſus. 44
Cicada. 125
Citharœdus pulſans fides. 465
Citrus, & mala Citria. 239
Clamor, & ſtrepitus ingens. 564
Clementia. 415
Clypeus. 499
Cœcitas. 357
Cœna vilis & ruſticana. 388
Columba Soli aduerſa. 107
Columba volans. 108
Columba ab Aquila vexata. 108
Columba ab Accipitre capta. 109
Columna ænea. 470
Concentus Muſici. V. Sonus.
Concha marina. 157
Concurſus multorum. 565
Confeſſio piacularis. 548
Confirmationis Sacramentum. 548
Conſcientia. 310
Conſtantia. 414
Conuiuium opiparum. 344
Conuiuiorum luxus. 346
Corporis, & oris pulchritudo. 303
Corpus extenuatum, & Squallidum. 305
Coturnices inter ſe pugnantes. 110
Creatio mundi. 8
Creta inſula. 166
Crudelis. 427
Cryſtallus. 255
Culex. 125. & 560
Culices ad lucernam conuolantes. 126
Currus taleatus. 500
Curſus curruum. 478
Curſus pedeſtris. 391
Cunicunicnli ab ſubruenda mænia.

Dæ-

D.

Doemones. 581
Danubius fluuius. 175
Delos inſulæ. 166
Deliquium, & animi defectus. 356
Delphini ludentes. 157
Deus à poteſtate, vel effectis. 37
Deus immenſus. 39
Deus trinus & vnus. 39
Deſperatio. 438
Dialectica. 446
Diei ortus. 21
V. Aurora. 53
Diei, & Solis occaſus. 59
Dies apricus & hilaris. 59
Diluuium. 139
Diræ, & imprecationes. 433
Direptio vrbis & cædes. 528
Diſciplina militaris corrupta. 493
Diuitiæ. 373
Dolabra. 490
Dolor, ſeu homo dolens. 440
Domus pulcherrima. 207
Domus Solis. 211
Domus Famæ, Fidei, Martis, Inuidiæ. 211
Domus Somni. 349
Domus ſubterranea. 210
Draco. 290

E.

Ebrietas. 348
Echeneis. V. Remora. 160
Eccleſia ſub allegoria nauis. 551
Eclypſis. V. Solis defectus. 22
Educatio optima. 367
Educatio pia. 368
Educatio militaris. 368
Educatio praua, aut perfunctoria. 370
Educatio ſæua & crudelis. 370
Elephas. 265
Elephas turritus. 266
Eloquentia. 454
V. Orator inſignis. 454
Elyſij campi. 577
Encarpi, ſeu ferrea turgentia floribus, & pomis. 484
Ens rationis. 447
Epulum. V. Conuiuium. 344
Equites cataphracti. 505
Eques. 260
Equus ornatus. 263
Equi in Circo currentes. 264
Equus liber profugus. 265
Equitandi ars. 475
Vide Equus.
Eremus in monte. 252
Eridanus ſiue Padus. 174
Eucariſtiæ Sacramentum. 549
Euphrates fluuius. 175
Europa. 186
V. Quatuor terræ partes.
Exequiæ antiquo ritu. 572
Exequiæ Chriſtiano ritu. 574
Exercitus fames laborans. 342
Extremæ vnctionis Sacramentum. 551

F.

Fama. 566
Famæ Domus. 211
Fames. 340
Fames in vrbe ſęuiens. 340
Felis. 284
Ficus. 240
Fides diuina. 411
Fidei domus. 212
Fides humana. 411
Flagellum è funiculis. 490
Flagellis cæſus. 558
Flores. 227
Fluuij ortus & incrementum. 166
Fluuius auctus pluuijs. 167
Vide Torrens.
Fluuius exundans. 169
Fluuius pontem excutiens. 171
Fluuiorum concilium. 172
Fœmina bellatrix. 497

Fœ-

Fœmina nens. 474
Fons. 179
Formica. 293
Fortitudo. 414
Fraga. 235
Fruges. 538
Frugum tritura. 538
Fulgur. 95
Fulmen. 96
Fulmine ictus. 570
Funambuli ſpectaculum. 397
Funda. 150
Funebris moles in templo. 574
Funus. V. Exequiæ.
Furiæ. 578
Furor, ſiue homo furens. 436

G

Galaxia, Via lactea. 16
Galea. 499
Gallus. 110
Gemmæ. 255
Geryon triplici corpore. 308
Gigantes. 306
Gladiatorum pugna. 395
Grammatice doctor. 457
Granadillus flos. 231
Grues volantes. 112
Gulæ vitium. 425

H

Harpaſtum Florentinum ſiue ludus Calcis. 399
Haſta. 499
Heliotropium flos. 232
Herbæ, & frutices. 233
Heſperus. 32
Hieroſolyma. 204
Hiſpania. 190
Homo, Hominis creatio. 300
Homo excelſiore ſtatura. 306
V. Homines monſtroſi. 308
Homines puſilli, Nani. 307
Homo ægrotans. 353
Homo armatus. 503
Homo varijs affectibus agitatus. 442
Homo ſceleſtiſſimus. 428
Homo multarum ſcientiarum. 445
Homo extaſi correptus. 552
Homo morti proximus. 569
Homo membratim cæſus. 558
Homo mortuus. 570
Homo dolens. 440
Homo timens. 459
Honor. 376
Horologium ex rotis. 486
Horologium ſolare. 451
Horologium arenarium. 489
Hortus florens. 225
Vide Villa.
Hydra centiceps. 291
Hyems. 73
Hypocriſis. 427
Hyſtrix. 283

I

Ignis. 295
Ignes artificioſi. 295
Ignis purgatorius. 382
Incendium. 297
V. Ætna, & Veſuuius.
Incendiaria nauis. 145
Incendiaria pila, Bolis. 503
Indoles generoſa. 365
Infans. 327
Inferorum loca fabuloſa. 575
Inferorum regio vera. 572
Infirmus. 35
Inſitio. V. Ars inſerendi.
Inuidia. 441
Ira, ſiue homo iratus. 435
Iris. 99
Italia. 188
Iudicium extremum. 584
Iuſtitia. 413
Iuſtitię diuinæ forma, & habitus. 413
Iuuenis. 328

L

Labyrinthus. 139
Lac ex faccaro ſpumoſum, vulgò latte miele 344
Lacrymæ 441
Lactuca. 234
Lacus. 177
Lapillus à ludentibus ſuper aquas proiectus. 402
Lapides pretioſi. 257
V. Sacellum, & Templum.
Latrunculorum Ludus. 402
Lauretanum B. V. templum. 214
Leo. 266
Leo ſæuiens. 267
Leo ſtrage edita ſatur. 268
Leo catulos defendens. 268
Leonis catulus aduirus 268
Leo ad martyris conſpectum manſuetus. 268
Leporis venatio. 283
Lepræ morbus. 362
Leucophagum, vulgò bianco mangiare. 346
Liberalitas. 416
Lilium. 229
Locus amœnus. 196
Locus horridus & inuius. 196
Locus niue & glacie obſitus. 197
Locuſta. 127
Logica. 446
Lorica ſeu thorax. 409
Lucifer ſeu Phoſphorus. 32
Lucifer è cœlo deiectus. 51
Luctator. 393
Ludus pilæ. 400
Ludus follis. 400
Ludus turbinis. 401
Ludus latrunculorum. 402
Ludus, qui vulgò dicitur l'Ocha. 403
Ludus funambuli. 396
Ludus calcis, ſeu Harpaſtum Florentinum. 399
Ludus Taurorum. 398
Ludus Gladiatorum. 395
Ludus equitum collineantium in annulum. 387
Luna. 25
Lunæ macula. 28
Luna deficiens. 29
Lupus fame ſtimulatus. 279
Luſcinia canens. 112
Luxus in veſtitu. 334
Luxus in conuiuijs. 346

M

Machina hydraulica ad attrahendam aquam. 280
Magica ars & potentia. 477
Magicum incantamentum. 579
V. Venefica. 364
Magicus habitus. 336
Magnes. 256
Mala citria. 239
Manna. 95
Mantua. 202
Mare. 128
Mare tranquillum. 130
Maris malacia. 130
Mare turbatum. 138
V. Tempeſtas, Ventorum Conflictus.
Mare rubrum diuiſum in partes. 130
Maris acceſſus & receſſus. 138
Mare conglaciatum. 343
Mare æneum, ſeu Vas capacitatis enormis. 487
Margaritæ. 157.158
B. V. Mariæ ſpecies, & maieſtas. 45
Maieſtas domus. 211
Mathematica. 448
Matrimonium. 351
Medicus. 462
Medicamenta varia. 464
Medicina morbo adhibita. 463
Mediolanum. 208
Mens ſeu ratio. 309
Meridies. 59
Meſſis, & tritura. 538
Meteora. 449
Michaelis pugna cum Lucifero. 51
Miles egregius. 491

ſiles armatus. 503
ſiles glorioſus. 497
ſilites vario armati habitu pro diuerſitate gentis. 504
ſilitaris elegantiæ luxus. 494
ſilitaris diſciplina corrupta. 493
ſincius fluuius. 175
ſiſſe ſacrificium. 546
ſonomachia ſingulare certamen. 517
ſontes. 244
ſorbi, & varia corporis vitia. 355
ſorbus Gallicus. 362
ſores optimi. 371
ſores ciuium corrupti. 372
ſorientis ſpecies. 569
ſors. 567
ſors violenta. 570
ſors Sampſonis & Philiſtæorum. 571
ſors voluntaria. 571
ſortui cadauer. 569
ſoſella fluuius. 175
ſundi creatio. 8
ſundi futurum excidium. 582
ſuris capiendi ratio. 285
ſuſcæ Ægyptiæ. 127
ſuſcipula. 491
ſuſica, cantus modulatus. 465
V. Luſcinia canens. 112
ſuſici concentus. 50

N

NAni, pumiliones. 307
Narciſus flos. 233
ſauale certamen. 148
ſaufragium. 145
V. Tempeſtas. 131
ſaufragium in portu. 155
ſauis conſtructio. 143
ſauis regia Cleopatræ. 144
ſauis incendio abſumpta. 146
ſauis incendiaria. 147
ſeapolis. 201
ſebulæ. 83
ſendiars. 474

Nilus fluuius. 176
Nix. 98
Niue & glacie obſita regio. 197
Nobilitas, homo nobilis. 373
Noctua. 115
Nox. 60
Noctis initium. 61
Nox intempeſta. 62
Nox ſerena. 63
Nox obſcuriſſima. 63
Nubes. 82
Nubes columnæ ſpecie dux Hebræorum. 82

O

OBedientia. 419
Obſidio & oppugnatio. 526
Odium, Diræ & imprecationes. 432
Oliua. 241
Olyſippo Vrbs. 205
Oppugnatio Vrbis. 525
Oppugnatio per cuniculos. 527
Oppugnatio per teſtudinem. 528
Orator inſignis. 454
Orationi & precibus vacans. 552
Ordinis Sacramentum. 551
Organum. 467
Organum hydraulicum. 467

P

PAdus vel eridanus. 174
Palatium. V. Domus.
Papilio lucernam circumuolitans. 127
Papilio ortus ex bombyce. 128
Paradiſus ſedes Beatorum. 33
Paradiſus in ſpeciem loci amæniſſimi. 35
Paradiſus terreſtris. 191
Patauium. 203
Pauo. 121
Paupertas. 375
Paupertas voluntaria. 418

Pax & Concordia. 535
Peccatum originale. 425
Pellicanus. 121
Peruſia. 203
Peſtilentia. 358
Phœnix. 116
Philomela canens. 112
Philoſophia. 446
Phoſphorus, ſeu Lucifer. 32
Phreneſis. 356
Pthiſis & Tuſſis. 357
Phyſicæ ſcientia. 448
Pilæ ludus. 400
Pila flammiuoma. 503
Piſcium genera. 161
Piſces fluuiales. 162
Piſcatio. 163
Pixis nautica. 489
Plagæ Ægypti. 559
Planetæ ſeptem. 31
Platanus. 241
Plauſus reſonantibus tubis, & tormentis. 464
Pluuia. 89
Pœnitentia. 417. & 419
Pœnitentiæ Sacramentũ. 548
Poeſis. 456
Pontifex Max. 383
Pont. Max. habitus. 339
Pompa Equeſtris. 384
Pompa pedeſtris. 385
Porticus quadripartita. 469
Portus maris. 155
Praga vrbs. 206
Preces ſacræ. 552
Princeps optimus. 377
Prudentia. 412
Pſittacus. 120
Puer. 328
Pugna duorum exercituum. 505
Pugna, & ſingulare certamen. 517
Pugna vnius cum multis. 521
Pugna duorum contra multos. 523
Pugna gladiatorum. 395
Pugna hominum cum feris. 395
Pugna ludicra equeſtris. 385
Pugna ludicra pedeſtris. 384
Pugna cum ſerpente. 524
Purgatorius ignis. 582

Q

Quatuor anni tempeſtates. 65
Quatuor terræ partes. 184

R

Ranæ. 519
Rex regia dignitas. 377
Regionis amœnitas. 196
Regio horrida & inuia. 196
Regio niuibus & glacie obſita. 197
Regio deſerta & inculta. 198
Relationes. V. Rerum nexus. 448
Religio erga Deum. 415
Remora piſcis. 160
Rerum nexus, quas relationes vocant. 448
Res æterna. 80
Rhetorica, ſeu Eloquentia. 454
Rhinoceros. 282
Rhodanus fluuius. 177
Riuus decurrens. 178
Roma. 198
Roma bellatricis habitu. 200
Ros. 91
Roſa. 227

S

Sacellum Exquilinum B. V. 215
Sacerdos Hebræorum. 545
Sacerdotis Hebræi habitus. 339
Sacerdotis Chriſtiani ad arã operantis habitus. 337
Sacerdos, & ſacra Ethnicorum. 542
Sacramenta Eccleſiæ. 547
Sacrificium Miſſæ. 546
Sæculum aureum. 76
Sagittandi ars. 447
Saltatio ad numerum. 402
Sampſonis, & Philiſtęorum mors. 571
Sapientia diuina. 42

Sar-

Sardinia inſula. 166
Satyri Scenici. 399
Scientia & Artes. 444
Sclopus. 502
Scribendi ars. 458
Scriptor velociſſimus. 459
Scopulus. 164
Scylla & Charybdis. 164
Senæ vrbs. 202
Senex. 329
Serenitas poſt tempeſtatem. 91
Serpentes. 285
Serpens renouatus. 289
Serpens ſaucius ex ictu. 290
Sibilla, ſeu Sacerdos vaticinans. 544
Siccitas terræ. 184
Sicilia Inſula. 165
Silua. 242
Silua ad amœnitatem. 244
Simia. 284
Singara, muliercula Chromantica. 453
Sirenes. 164
Sitis ſiue homo ſitiens. 343
Sitis in exercitu. 343
Sol. 20
Solis & diei ortus. 21
V. Aurora. 22
Solis & diei occaſus. 59
Sole oriente aſtra celantur. 23
Sole amicta B. Virgo. 24
Sol deficiens. 24
Sol repercuſſus in ſpeculo. 23
Solis prognoſtica. 24
Sol nube tectus. 22
Solis regia. 211
Somnus. Somni domus. 349
Sonus. V. Concentus muſici. V Citharœdus.
Speculum. 486
Speculum vſtorium. 490
Spelunca. 253
Spes. 437
Spiritus Sanctus. 43
Statua equeſtris. 478
Stellarum numina. 29
Stella è cœlo cadens. 31
Stellæ cœlo ſereno fulgentes. 31
Sterilitas terræ. 197
Superbia. 426
Supplicatio publica. 554
Supplicia varia. 556
Sus. 282

T

Taurus. 270
Taurum pugnam parans. 270
Taurorum in Circo ſpectaculum. 398
Tempeſtas in terram effuſa. 90
V. Pluuia. 89
V. Ventorum conflictus, Naufragium.
Tempus. 75
Templum Hieroſolymitanum. 213
Templum Laureti B.V. 214
Templum Nom. Ieſu Romæ. 216
Templum. Vatican. Sancti Petri. 219
Tenebræ Ægypti. 562
Terebra. 490
Terra. 181
Terræmotus. 182
Terræ repentinus hiatus. 183
Terræ ſiccitas. 184
Terræ ſterilitas. 198
Teſtudo militaris. 528
Texendi artificium. 472
Theatralis moles feſtis luminibus ornata. 220
Theologia. 445
Thynnorum piſcatio. 162
Tiberis fluuius. 177
Ticinus fluuius. 177
Tigris. 269
Timor, ſeu homo timens. 438
Tonitru. 95
Topiaria. 236
Tormentum curule. V. Bombarda. 500
Tormenta varia. 556
Torpedo piſcis. 160
Torrens. 168
V. Fluuius exundans. 169

Trinitas Sancta. V. Deus trinus & vnus. 39
Trigonale vitrum. 483
Triumphus. 530
Trophæum. 530
Tulipa flos. 232
Turbo ventorum. 89
Turris Babylonici. 468
Tuſſis. 356
Typographia. 459
Typhœus Gigas. 308
Tyrannus. 373
Tyrannis Reginæ ſpecie. 380

V

VAccæ pingues, & macilentæ. 271
Valetudo bona vel mala. 351
Venatio. 405
Venenum. 362
Veneficia. 363
Venefica, ſiue Saga. 364
Venti. 86
Ventorum conflictus. 86
Ver. 65
Verona. 201
Veſtitus & cultus inſignis. 332
Veſtium luxus. 334
Veſtitus & cultus Magicus. 336
Veſtitus Sacerd. Chriſtiani ad aram operantis. 337
Veſtitus Sacerd. Hebræi. 339
Veſuuius, & eius incendium. 248
V. Ætna. 246
Via lactea. 18
Villa. 221
Vindemia. 539
Vinum. 539
Virtus. 410
Virtutum complexio. 420
Vitæ humanæ miſeriæ. 318
Vita ex virtutis regula traducta. 317
Vita delicijs affluens. 312
Vita paucis contenta. 314
Vitæ cultus mediocris. 315
Vita egentiſſima. 315
Vita religioſa. 316
Vita ſolitaria in Eremo. 317
Vita militaris. 318
Vita ruſtica. 320
Vitæ ruſticæ, & regiæ comparatio. 325
Vita mari ſimilis. 326
Vitrum trigonale. 485
Vmbra. 64
Vnctionis extremę Sacr. 551
Voluptas. 376
Vrbes. 198
Vrbs munitiſſima. 206
Vrſa. 278
Vrſorum venatio. 279

Z

ZEphyrus. 86
Zodiaci ſigna. 17

FINIS INDICIS.

Digitized by Google

Digitized by Google